AD MEMORIAS HISTORICAS VIRTUTUM, ACTIONUMQUE MARIÆ...

Cesare Niccolò Bambacari




BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE
FIRENZE
In memoria
di
GALGANETTO GALGANETTI
(1897-1917)
Dono della Famiglia

AD MEMORIAS HISTORICAS
VIRTUTUM, ACTIONUMQUE
MARIÆ CATHARINÆ
BRONDI
ANIMADVERSIONES


PATRIS D. CÆSARIS NICOLAI BAMBACARI


ABBATIS LATERANENSIS,

QUÆ

LIBRUM V, ET VI, OPERIS

COMPLECTUNTUR.





Applicato dal S. Franc.co da Lucca alla Libreria de Capuccini di Colle

LUCÆ, MDCCXLIII.

TYPIS SALVATORIS ET JOANNIS DOMINICI MARESCANDOLI
SUPERIORUM PERMISSU.

EDITOR
AD LECTOREM.

QUale consilium, qualisve finis Auctoris fuerit latino idiomate exarandi sequentes Animadversiones, non est opus exponere, cùm in Proœmio ad subsequentem Librum ille per semetipsum præstiterit. Hoc tamen prudentiam tuam, benignissime Lector, monitam volui, suam in hujusmodi eloquutionis genere, parum, vel numquam exercuisse minervam; ut, dum etiam illius humilitas idipsum fateri non renuit, æquo animo feras, si ejus phrasis tuo gustui forsitan minus sapiet. Cæterum si Mysticas, Theologicasque doctrinas, zelum, pietatemque ipsius comitantes, inspexeris, profectò miraberis aquas sapientiæ ejus, magni fluminis instar, semper, ac semper, adeò succrescentes, redundantesque, ut pro praxi in Mysticis materiis, nescio an amplius desiderare quid habeas. Methodum fortè aliam, atque ordinem in Opere postulasses: at quis non videt istud, totum simul non fuisse ideatum atque confectum, sed paulatim ex novis supervenientibus causis, ac rationibus habuisse incrementum, proindeque aliam formam minimè habere potuisse? Quòd verò Auctor has Memorias Historicas Mariæ Catharinæ postmodùm diversimodè disponeret, seu reformaret, ei sua gravissima ætas, tot confecta laboribus, neutiquam permittebat. Divinæ Providentiæ

itaque laudes, quòd ad innocentiam, pietatemque talis Virginis tuendam, talem, tantumque Virum destinarit; verùm an illa isti, qui eam propugnavit; vel iste illi, quæ ei occasionem, seu argumentum præbuit magis, ac magis diffundendi suæ doctrinæ, ac sapientiæ radios, plus debeat, prorsùs hæreo! Hoc tamen, Amice Lector, certissimum habeo, valde nos utrique debere; & tantæ Mulieri, quæ talia, ac tanta nobis Virtutum exempla reliquit; & tanto Virò, qui nos tam præclaris, ac proficuis doctrinis locupletavit. Interim tua pietas Altissimum pro me roget, quòd ad ejus præcipuè gloriam, atque tuum, proximorumque profectum Gesta hujusmodi Virginis, & documenta, doctrinamque tanti Auctoris, ad istorum etiam perenne Nomen, in lucem edenda curaverim.

IN-

INDEX ANIMADVERSIONUM;

Quæ continentur in Libro V, & VI.

LIBER QUINTUS.

In quo examini subjiciuntur ordinati Orationis gradus, per quos hanc Virginem ad internas Illustrationes, & Intelligentias paulatim Deus elevavit.

jorem


LIBER

LIBER SEXTUS,

In quo Scripta Mariæ Catharinæ ab aliquibus vindicantur suspicionibus.

Liber hic in duas dividitur partes; in prima transcribuntur Relationes, quas de hujus Virginis habemus Charactere. In secunda verò parte ponuntur Animadversiones sequentes.

ANI-





DE VIRTUTIBUS, ET ACTIONIBUS MARIÆ CATHARINÆ BRONDI

LIBER QUINTUS,

In quo recensentur, & a suspicione falsitatis vindicantur alta Contemplatio, & singulares Gratiæ, quibus MARIAM CATHARINAM cumulavit Divina Misericordia.

ANIMADVERSIO PRIMA.

De Gradibus Contemplationis, ad quos eam Deus elevavit.

§. 1. Empus jam est, ut qui in antecedenti Libro exteriora quædam, quæ in Maria Catharina, admiratione suspicionem pariente, nonnulli, vel falso rumore evulgata, vel artificiosæ hypocrisis ingenio efficta, suspexere, ratione, exemplis, Sanctorumque auctoritate, defendi, transeam modò ad describendas arcanas, & divinas communicationes, quas inter se & animam, solisque Directoribus conſciis, Divina Bonitas, in præmium virtutis, an in testimonium, discernere non audeo, eidem sæpè communicavit. Justum enim est, (loquar cum Tertulliano (1). *Ut qui mala refutaverim,*

 bona

(1) *Apolog. c. 39.*

bona ostendam. Sincerè tamen confiteor, quòd mihi timorem incutit operis difficultas; non solummodò quia de his Charismatibus aptè non potest loqui, qui eorumdem experientia, propria caruit culpa; sed etiam quia rationabiles multæ hæsitationes calamum usque huc retinuerunt, & mentem. Intra me ipsum enim recogitabam, quòd, cùm de Actionibus, & Virtutibus hujus Virginis, quæ multis innotuere, in tribus primis Libris satis dixerim; ad demonstrandam in ipsa pietatem, Deique gloriam, (quod unici mei consilii est) sufficiebant illa, absque eo, quòd adderem occulta etiam, quæ in Animabus pro sua immensa liberalitate operatur Deus; atque ob id pietatis non sunt testimonia, sed solummodo ad profectum incitamenta; undè objici mihi posset cum Hieronymo (1): *Sufficiunt manifesta, etiamsi celentur occulta*. Angebat insuper me rationabilis timor, ne, cùm tales Gratiæ scrupulosè debeant ab Animabus abscondi, ac proindè nullum habere possint testimonium, quàm apud Directores solam hujus Virginis relationem, exprobrari eidem posset, quod Christo opponebant Judei: *Tu de te ipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum*. Ac propterea certis addendo incerta, quò plus scriberem, eò minus invenirem apud lectores fidei; contingente mihi quòd agens de laudibus Marcellæ, sibi timebat jam citatus Hieronymus (2): *Quid in illa virtutum, quid puritatis invenerim, vereor dicere, ne fidem credulitatis excedam*. Terrebat me super omnia, quòd mirabilia ista prædicantur ut plurimum de mulieribus, & non semper nobilitate, atque eruditione insignibus, sed sæpesæpius vulgaribus, atque idiotis (invalescente nostris temporibus more, quo de muliercula non refertur aliqua virtus, cui ecstases non inserantur, & raptus); quapropter apud Eruditos de hisce scribere, non ædificationem pariat, sed nauseam; & hoc de mirabilibus Sanctæ Gertrudis scribens dubitavit Lanspergius (3): *Quod certè genus eruditionis non debueramus ignorasse, haud admodum gratum, iis præsertim, qui mundano humanoque spiritu tument, quique litera magis docti sunt, quàm spiritu*. Hæc omnia apud me pensitabam; sed inter hæsitationis tenebras, altius, ut spero, refulxit lumen, unde hæc prædictis opposita cogitare cœpi. Si scripturus non quærerem nisi otiosam hujus Virginis laudem, fortè jam exarata sufficerent; sed si Dei gloriam, animarumque ædificationem exopto, cur ea taceam, quæ ad Divinæ bonitatis laudem, spemve in misericordia Dei, taliter sibi servientes remunerantis, valent accendere? Dixit Tobiæ Archangelus Raphael, quòd sicuti Magnatum consilia silentio premere justum est, ita mira Dei opera prædicare honorificum: *Sacramentum Regis abscondere bonum est; opera autem Dei revelare, & confiteri honorificum est* (4). De quo rationem reddit Cornelius a Lapide (5): *Ut ea cæteri audientes, Dei clementiam, sapientiam, & magnificentiam revereantur*. Hac freta intentione, gratias sibi a Deo impertitas in sua Vita, a se conscripta, referre non dubitavit Sancta Theresia. Hac eàdem suas literis commendavit revelationes Sancta Gertrudes, sic Deo jubente (6), *Ut legentium, audientiumque augeatur devotio, & pietas mea reveletur*.

(1) *In 2 ad Cor. c. 12.* (2) *Ep. 16 ad Princip.* (3) *In Proemio.*
(4) *Tob. 12, 7.* (5) *Ibi.* (6) *Apud Lansperg. in ejus vita, lib. 1, c. 16.*

reveletur. Harum Virginum fervorem non habeo; sed quis prohibet earumdem tangi desiderio, quo referens misericordias Mariæ Catharinæ a Deo collatas, has legentibus Deum laudandi, simul & amandi, quasi stimulos addere exoptem? præscriptis obediendo Sancti Stephani Papæ (1); *Sicut homo non debet jactare se de suis meritis, sic opera Dei, quæ in illo per Sanctos fiunt, sinè ejus meritis, non debent sileri, sed prædicari*. Sed hæc apud multos derisionem excipient, potius quàm fidem. Scio utique opera Dei, quò mirabiliora sunt, eò minus humanâ scientiâ turgentibus reddi credibilia; unde bene scripsit Sancta Theresia (2): *Impertitur Deus aliquas Gratias, quæ secum suspicionem ferunt, quia sunt mirabiles; & nisi adsit viva fides, credi non poterunt*. Sed ad benignè legentium alliciendam credulitatem, hoc unum afferam argumentum. Harum, quas narrare gestio, supernaturalium Dei communicationum relationes habeo a moderno Episcopo Sarzanensi, hujus Virginis Directore, proprio caractere conscriptas; quo posito, sic arguo. Episcopo asserenti fidem quis neget? Remanet ergo ut suspicemur Mariam Catharinam apud eumdem voluntariâ fictione mentitam; huic autem sinistro, injuriosoque nimis judicio, quis pietatem colens, assentietur? Certum est enim apud omnes, quòd Revelationes, & Visiones fingere, peccatum gravissimum est, & lethale. Virginem igitur tot insignitam virtutibus, tam numerosa protulisse in re tam gravi mendacia, & in ipsis per plures annos repetendis obstinatè permansisse, imò in iisdem absque retractatione emortuam, quis facile credet? Certè hìc medium non est. Quod enim imaginatione muliebri falleretur anima, eo prædita lumine, quòd scripta ejus, & in agendis prudentia testantur, est improbabile. Vel ergò, si mentita est, hac pejorem nostra sæcula non videre fœminam; vel si vera dixit; in eis deridendis irrationabilis tam fixa nimis esset obstinatio. Sed ad quid in hoc frustra laboro, qui in hisce conscribendis nil aliud quàm simplicem, humanamque fidem, quam historicis non negamus, desidero? Assensum, sive dissensum libero legentium arbitrio relinquo; nec quorumdam incredulitatis timore fiet, ut ab incæpto deterrear opere; addente mihi animum Sancta Theresia, quæ asserit (3) minoris esse damni, quòd aliqui non credant, quàm illis non prodesse, qui credendi humiliter ex his, Deum laudandi, amandique, occasionem sument. Quòd si pusillorum scandalo vulnerabuntur increduli, in promptum habeo quomodo assertum scandalum ex Angelico tuear (4): scandalum nempè hoc sumptum esse, & non datum; ac proinde ex ejus timore deserendas non esse actiones, quæ in Dei Gloriam redundare possunt; imò & cum Divo Gregorio (5) respondeam: *Si de veritate scandalum sumitur, utilius permittitur nasci scandalum, quàm quòd veritas relinquatur*. Illorum multò minus censuram verebor, qui opponunt imprudentiam esse muliercularum Visionibus, mentisque elevationibus fidere. Fateor siquidem in hoc cautam requiri Spirituum discretionem, ne animæ (quod in praxi sæpe accidit) aut decipiantur,

aut

(1) *Apud Tirin. & Cornel. a Lap. in c. 12. Tob.* (2) *In ejus vita, c. 27.*
(3) *In Castro Inter. Mans. 1, c. 1.* (4) *2, 2, q. 42, & 43.*
(5) *In Ezechiel. Hom. 7.*

aut decipiant; non tamen ob id omnibus indistinctè neganda est fides; cùm maximè ex auctoritate Sancti Petri ex Alcantara jam citata (1) Mysticorum Magistra scribat, tales spiritus delicias mulieribus sæpiùs a Deo indulgeri, quàm Viris. Hoc fortè meretur illarum fragilitas, ut roboretur, & devota simplicitas, qua divina Sapientia delectatur: *Cum simplicibus sermocinatio mea* (2). Sunt multi terrena apud semetipsos sapientes, qui curiositati, si non superbiæ, sua devovent studia; & horum ut confundat tumorem, eligit simplices puellas Deus, quibus abundanter Divinum lumen, superbis justè negatum, communicet. Legatur de hoc Sanctæ Catharinæ Senensis revelatio (3), qua Eternus Pater dixit deprimere se velle scientiam illam, quæ inflat, mittendo non unam, sed plures mulieres, (& hoc benè notetur) a quibus humiliaretur tumentium scientiarum fastus verecundiâ doctrinæ, idiotis Virginibus infusæ, de quo agens Surius (4), ait: *Adeò increvit superbia eorum, qui se literatos, ac sapientes putant, ut Divina Justitia ulterius ferre nequeat; eosque vult pudefacere per fœminas virtute, ac sapientia instructas*. Mirum igitur non est, quòd Deus Virginibus, sibi ex toto addictis corde, insolitis quibusdam elevationibus se ipsum communicet; nec talia semper fas est condemnare, veluti muliebres apprehensiones; earum potiùs devotionem, prudentemque simplicitatem imitari satius esset; nam, ut docet Gerson (qui tamen de eruditis, sed non humilibus loquitur): *Stat simplices, & idiotas per fidem, spem, & charitatem, citius pervenire ad Theologiam Mysticam, quàm eruditos in Theologia Scolastica, & discursiva* (5). Notat idem Divus Thomas (6), non quidem scientias despiciens, sed superbiam a scientia facile oriundam: *Scientia, & quidquid aliud ad magnitudinem pertinet, occasio est, quòd homo confidat de se ipso, & ideò non totaliter se Deo tradat: & inde est, quòd hujusmodi quandoque occasionaliter devotionem impediant, & in simplicibus, & mulieribus devotio abundet, elationem comprimendo*. Si tamen humilitate conjungatur (quod utinam non rarò accideret) utilis erit ad charitatem augendam doctrina, ut Sancta sæpiùs protestatur Theresia, & subdit Angelicus (7): *Si tamen Scientiam, & quamcumque aliam perfectionem homo Deo subdat, hoc ipso devotio augetur*. Explosis igitur a mea mente hisce, qui me retrahebant, dubiis, ad scribendum promptior accedo. Tres tamen in hoc consilii mei præmittendas censeo rationes. Prima; quòd aliquid definire audacter in rebus his Mysticis, de quibus plurima Doctorum habemus volumina, non præsumo; proponam solummodo doctrinas, quas ab auctoribus probatioris famæ desumpsi, & quatenus ad optatam hujus Virginis defensionem, & non ultra, opportunas judicabo. Secunda; quòd de ejus scriptis non per extensum omnia, sed aliqua tantùm fragmenta, ad votum meum conducentia, transcribam. Tertia tandem, quòd mihi concedatur venia, si hìc aliqua inseram, quæ in prioribus libris jam retuli, ut nempe hìc conjunctim perpensa, divinis ab hac Virgine perceptis elevationibus præbeant lucem, quæ ibi virtutibus præbuere aucto-

(1) *In sua Vita, c.* 36. (2) *Prov.* 3, 32. (3) *Apud B. Raym. in ejus vita, lib.* 2, *c.* 1. (4) *In vita D. Catharinæ Sen.* (5) *De Elucidat. Myst. Theol. considerat.* 8, & 9. (6) 2, 2, *q.* 82, *a.* 3. (7) *Ibid.*

auctoritatem; in quo parcet lectorum tædium, satius esse cognoscens aliqua replicare, quàm utilia tacere; sic me Divus tuetur Athanasius (1): *Melius est sæpiùs iteratæ sententiæ crimen, quàm aliquid eorum prætermittere, quæ enarrari debuerant.*

§. II. Contemplatio, ex communi Sanctorum auctoritate, potior est ex singularibus gratiis, quas Deus in Animabus internè infundit, imò ut plurimum cæterarum origo; ac propterea de eadem primo loco agendum est, quærendo ad quem in ipsa gradum Maria Catharina, Divino auxilio elevata, pervenerit. Hoc autem Contemplationis nomen in aliquibus effrene parit desiderium, in multis irrationabilem gignit horrorem. Isti, eam ut impossibilem apprehendentes, veluti silvestrem feram, Eremisque aut Claustris relegandam, abhorrent; illi, facilem nimis, & sensibili imaginantes repletam suavitate, ad ipsam immaturè aspirant, ceu ad floridum Viridarium, cujus amœnitate fruantur. Ut ergo ad justam medietatem opposita reducatur apprehensio, & eorum, qui imaginario illam prosequuntur odio, & illorum, qui ipsius inordinato, & intempestivo aguntur desiderio, altiori, & a Sanctis Patribus deducta indagine, quid, & quotuplex sit Contemplatio, videndum censeo; in quo, si tantum mihi sperare licet, hujus Animæ defensioni lectorum aliqua adnectetur utilitas. Ut igitur, quid Contemplationis intelligamus nomine clarius patescat, præmittere operæ pretium est in adeptione cujuslibet veritatis duas præsertim, & ut ad nos attinent, esse intellectus nostri vires; *Discursum* videlicet, & *Intelligentiam*; quæ sunt realiter una facultas, sed in duas distinguuntur, secundùm varios modos, quibus nos veritatem vel inquirimus, vel intuemur. Quando nempè ex præmissis consequentiam venamur, Discursu uti dicimur; quando verò consequentiâ jam adinventâ, vel veritate sine circuitu adeptâ, fruimur; tunc in judicii jam formati complacentiâ immorantes, uti dicimur Intelligentiâ. *Ratio*, scribit Chartusianus, (1) *& Intellectus sunt una vis Animæ; sed differunt actu, & ratione; dicitur enim ratio, ut discursiva, & intellectus prout simpliciter intuetur veritatem.* Quod idem, sed clarius, docet Angelicus, monens Discursum, & Intelligentiam in hoc solummodo differre, quòd in primo, mens quodam ratiocinii quasi gressu, de unâ cognitione transit ad aliam, ut ad perfectam veritatis adeptionem perveniat; in secundâ, quadam quasi intuitus immobilitate veritatem jam possidens, gaudet, in illaque quiescit: (2) *Intellectus, & Ratio in hoc differunt, quantum ad modum cognoscendi, quatenus scilicet Intellectus cognoscit simplici intuitu, Ratio verò discurrendo de uno ad aliud.* In his duobus tota nostræ cognitionis Ratio consistit; & hæc est pariter inter Meditationem, & Contemplationem differentia. Prima Discursus est, quo mens nostra meditando laborat in deducendo a principiis fidei veritates aliquas, quibus, mediis virtutibus, & amore, elevetur ad Deum. Secunda est Intelligentia, idest fixus intuitus, quo Intellectus de Divina veritate sibi complacet jam adeptâ; ac proinde illa a Divo Thoma (3) æquiparatur motui, ista quieti: *Motus intelligibilium operationum ad ipsam quietem Contemplationis pertinet.* Est ergo Contem-

[1] *In Areop. de Div. Nom. c. 1, a. 1.* [2] *Opusc. 53, ad finem.* [3] 2, 2, *q.* 180, *a.* 1.

templatio (ut falsam deponant apprehensionem, qui eam ut nimis aversantur exosam) iis, quæ præcognovit, firma, & delectabilis Intellectus adhæsio, qua ille veri semper famelicus, absque ulteriori inquisitione, admiratione exsaturatur suspensus; sic eam describit Card. Lauria: (1) *Est intuitus Intellectus sine Discursu; adeòut cum suspensione actuum aliarum potentiarum sit fixa cum stupore, & admiratione suspensio*. Simili scribit modo Divus Bonaventura, (2) suadens, ut post sufficientem meditationem, vertat se mens intuitu simplici ad rei cognitæ intelligentiam. Idem advertit Cajetanus: [3] *Solus ibi est simplex intuitus veritatis*. Caveamus tamen, ne audientes in Contemplationis descriptione illa nomina *simplicis intuitus*, *suspensionis*, *aut quietis*, in illum incidamus errorem, in quo lapsi sunt multi, docentes, quòd bonus contemplativus est, qui fide sistit ante præsentiam Dei, & nihil agit ulterius. Hoc perniciosum esset ocium, potentiarumque damnabilis stupiditas, quæ, ut dicit Sancta Theresia, (4) operari debent in ipsa quiete. Id autem quomodo fiat, liceat mihi praxim afferre. Habet equidem fides plures veritates; quia tamen, sicut variis abundat mysteriis, sic una tantummodo est in se ipsa, multæ sunt illæ veritates, sed inter se sic intrinsecè connexæ, ut facilè possit Anima ex una transire ad aliam, formans sibi ex iisdem quasi Scalam, qua ascendere valeat ad Deum, vel catenam, de qua loquitur Areopagita, (5) cujus Anulorum ope elevetur supra se ipsam. Unaquæque insuper fidei veritas multas in se claudit, quas Intellectus eruit, si vult, consequentias; quibus mens, absque eo quòd ab illa prima veritate declinet, eorum, quæ agere debet, sperare, & timere, utiles educere valeat illationes. Hujus mysticæ simul quietis, & operationis exemplar habemus in Circino; cujus uno pede in centro firmato, alter in girum ductus circulum delineat; ita a pari intellectus jam dicto simplici intuitu aliquam ex veritatibus fidei firmiter intuens, & simul circa illam varias deducens illationes, circulariter, ut ita dicam, movetur; ut (exempli gratia) ex meditatis Dei operibus, Creationis, Redemptionis, &c. eruit quis altum Divinæ bonitatis conceptum, in quo admiratione defixus, & hærens, actus elicit ab illo provenientes, gratitudinis, contritionis, amoris, in quibus circuit mens, circa bonitatem, quasi suum centrum, se movens. Unitur tunc (quis non videat?) cum discursu non mobili intelligentia non otiosa; conspirat cum motu quies; undè scribit Angelicus: (6) *Contemplatio habet quidem quietem ab exterioribus motibus, nihilominus ipsum contemplari est quidam motus intellectus*. Et ecce per quid Meditatio, & Contemplatio differunt. Illa est multorum, ut perveniat ad unum; hæc est unius, in quo videntur multa; una est motus ad quietem, altera est quies cum motu. Clarius loquitur Divus Thomas: (7) *Contemplatio est perspicax liber intuitus Animæ in res perspiciendas; meditatio est intuitus animi, in veritatis inquisitione occupati*. Prima supponit discursum, qui cuilibet Animæ rationali, Deo auxiliante, est communis, & ideò ab omni-

(1) *De Orat. Opusc.* 3, *c.* 11. [2] *De Stigm. Div. Am. P.* 2, *c.* 8.
(3) *In* 2, 2, *q.* 180. (4) *In Castr. Inter. Mans.* 4, *c.* 3.
(5) *De Div. Nom. c.* 1. (6) 2, 2, *q.* 180, *a.* 3. (7) *Ibid.*

omnibus sanæ mentis haberi potest: secunda est particularis, & non omnibus data operatio mentis, qua secundùm Mellifluum, [1] Deo unitur Anima: *Mens est quædam vis Animæ, qua Deo inhæremus, & fruimur.*

§. III. Vidimus quid sit Contemplatio [quod forsitan proderit ad aliquas difficultates in favorem hujus Virginis in sequenti Libro enodandas]; remanet nunc, ut ad emendandum errorem eorum, qui Contemplationem vel gratis odio habent, vel intempestivè desiderant, in duplici illam esse specie statuamus. *Acquisitam* nempè, quam aliqui dicunt *Communem*. *Activam seu Imperfectam; & Infusam*, quæ *Particularis, Passiva, & Perfecta* dicitur (2). *Acquisita*, est voluntarius quidam Animæ conatus, quo ipsa gradatim a sensibilium meditatione ad intelligibilia, idest ad Deum, ejusque Attributa, proprio quidem labore, non tamen sine Dono Spiritus Sancti, & maximè *Intellectus*, tentat ascendere; ad quæ perveniens in iisdem complacentiâ quadam immorari gestit, & admiratione. De hac singulariter crediderim Mysticos loqui, quando cum Nazianzeno orationem definiunt quòd sit *Ascensus mentis in Deum*. Sunt, ait Divus Bonaventura (3), Symbola, & similitudines, quas de rebus corporeis in Sacrâ legimus Scripturâ, veluti in via ad Deum duces quidam iis, qui illa ad fidei intuentur radium; imo, ut scribit Apostolus, (4) *Invisibilia ipsius a creatura Mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur*. Ex quo fit ut a veritatibus sensibilibus, media perspectis meditatione, mens ad invisibilia, & divina possit ascendere; ad quæ elevata, si paulisper in refrænanda discursus evagatione, sibi vim inferre non renuit, in iisdem stuporis ope immoretur, & Amoris; juxtà id, quod de Acquisita docet Dionysius: (5) *Sedantes nostras intellectuales operationes ad supersubstantialem radium nos immittimus, secundùm quod fas est*. Diximus satis de Acquisita, nunc pauca loquamur de Infusa, quæ singularis est, paucisque concessa a Dei Misericordia, quia pauci ad eam virtutibus se disponere satagunt. Est inquam mirabilis Animæ elevatio, qua per Donum Sapientiæ ipsam Deus ad se trahit; imò communicatio quædam Divinæ Charitatis adeò sublimis, ut ægrè valeat describi; unde de ea balbutiens potius, quàm loquens, lectores remittam ad id quod Cardinalis scribit Lauria, & clarius in suis Scriptis demonstrare Sancta conatur Theresia. Aliquod solummodo tam ineffabilis elevationis afferam specimen a Mellifluo desumptum: (6) *Infusa Contemplatio est mentis in Deo suspensæ elevatio, æternæ dulcedinis gaudia degustans*. Addit verò Chartusianus: (7) *Ipsa mentis in Deum defixio, admiratio Majestatis, suspensio in lumen immensum, & æternale, ferventissima, & quietissima, ac transformativa, seu absortiva inspectio Divinitatis, est Mystica Theologia, si sumitur pro actu, si pro habitu, realiter idem est ac præstantissimum Donum Spiritus Sancti, quod Sapientia nuncupatur*. Explicent hæc Mysteria, qui eadem didicerunt ex praxi; nos verò, ut profundiùs percipiatur, quid sint hæc dua-

rum

(1) *Lib. de Nat. & Dignit. Animæ*. (2) *Apud Card. Laur. de Orat. Op. 3, c. 11*. (3) *In c. 1 Cœlestis Hierarch.* (4) *Rom. 5, 20.* (5) *De Div. Nom. c. 1, §. 2.* (6) *De Scala Claustr.* (7) *De Myst. Theol. a. 9.*

rum Contemplationum genera, *Acquisita* scilicet & *Infusa*, notemus in quo ambæ inter se conveniant, vel disconveniant. Conveniunt in hoc, quòd habent pariter Deum, vel aliquam veritatem immediatè ad Deum reducibilem, pro Objecto, in quo figitur Intellectus firmo intuitu, sine discursus evagatione. Differunt verò in multis, quæ longiusculè refert Cardinalis Lauria (1); ego quatuor tantummodò tangam differentias, consilio utpote mentis meæ magis opportunas. Prima est, quòd in Acquisita non suspenditur potentiarum, maximè superiorum, operatio; potest siquidem Intellectus, licèt in jam cognita veritate fixus hæreat, deducere pro suo libito ex illa multas, & varias illationes, quibus in Dei obsequio doctior evadat, & expeditior. In Infusa è contra remanent & Intellectus in admiratione, & delectatione eorum, quæ tunc imprimit in ea Donum Sapientiæ, ita absortus; & Voluntas Amore sibi a Paraclito tunc infuso, tali rapta violentiâ, ut ferè nihil operari queant, nisi admirari, & amare; unde in hac infusa accidunt Animæ Ecstases, & Raptus: *Ibi sensus*, scribit Ricchardus a Sancto Victore, (2) *ibi ratio humana intercipitur, ubi mens supra se ipsam rapta in superna elevatur*. Secunda differentia est, quòd in Acquisita adhibet Anima, quasi infans, ut se extollat ad sinum matris, excitos a desiderio se Deo uniendi quosdam Amoris conatus; in Infusa verò ad se illam elevat Deus ante, non tamen contra, ipsius voluntatem; idque ea suavissima vi, qua, ut scribit Sancta Theresia, festucam in altum attolleret robustus Gigas. Hos duos effectus *Acquisitæ*, & *Infusæ* in se experiebatur in Canticis Sacra Sponsa, modo se ipsam anxiosis aspirationibus retorquens in cœlestem Sponsum, qui proinde invitatus, in cor ejus descendebat: *Ego dilecto meo, & ad me conversio ejus* (3); modò ab ipso amabili influentia præventa, raptui assentiebatur obediens. *Dilectus meus mihi, & ego illi* [4]. Tertia differentia consistit in eo, quòd in Infusa, dum Divinus perseverat influxus, Anima distractiones, mentisque evagationes non patitur; quia illam tunc Deus firma quadam secum conjungit adhæsione; in Acquisita ex opposito accidit sæpè sæpius, ut involuntariè, & cum pœna evagetur Spiritus; ubi enim Deus semetipso potentias Animæ non replet, in naturali nostræ phantasiæ mobilitate difficillima est perseverans mentis firmitas; quod Divus notavit Gregorius, dum explicans illa Canticorum verba: *Ne vagari incipiam post greges Sodalium tuorum* (5); sic consolatur Animas de involuntariis distractionibus mœrentes: (6) *In quo Christus non cubat, vagatur; quia mens, quam ille suavis, & ponderosus Christi Spiritus non implet, multis cogitationibus dissoluta circumfertur*. Pro quarta tandem differentia observandum est, quòd in Acquisita laborat, ut plurimùm, Anima, & patitur; in hac enim Contemplatione Donum præcipuè operatur Intellectus, qui revelatæ veritatis penetrationem impertitur, sed non saporem; ex quo sequitur, quòd Anima invitis sensibus, qui nulla alliciuntur gustata suavitate, in Fidei Mysteriis se laboriosè figat, & inferiori resistat cordis repugnantiæ. In infusa autem Donum operatur Sapientiæ, quæ

(1) *De Orat. Opusc.* 3, *c.* 11. (2) *De Contempl. c.* 82. (3) *Cant.* 7, 10. (4(*Cant.* 12, 18. [5] *Cant.* 1, 6. (6) *Ibi*;

quæ cùm ſit, ut dicit Angelicus, *ſapida ſcientia*, in potentiis effundit ſuperioribus, & aliquando etiam per redundantiam in inferioribus, quamdam Spiritualem ſuavitatem, qua cor illectum contemplari anxiè amet id, quo delectatur; & ob id facilis redditur attentio, & in Intellectu a veritate attrahente, & in voluntate accenſione Charitatis, de quo legatur loco citato Card. Lauria. Non ſunt attamen hæ duæ Contemplationes ita inter ſe diviſæ, ut Anima, ſi in Acquiſita fortiter perſeverat, non tranſeat quandoque, Deo largiente, ad Infuſam; quia Jeſus labori compatiens Spiritûs, qui, ut ſapienter ludit Sancta Thereſia (1), adhuc in plumis ad eum volare geſtit, ſed non poteſt, recolligit eum aliquoties in proprio corde, veluti in nido, ubi gaudens quieſcat. Hoc promittit Cardin. Lauria, ſcribens: (2) *Per Contemplationem Acquiſitam diſponitur homo ad Infuſam*; & de eodem ſpem addit Chartuſianus: (3) *Contemplationi Acquiſitæ in Animabus purgatis regulariter ex Dei favore ſuccedit Infuſa, in qua conſiſtit fœlicitas, quæ in hac vita haberi poteſt de cognitione Dei*.

§. IV. Viſo jam (& forte prolixiùs, quoad lectorum tædium, ſed pro mea intentione an ſatis neſcio) quid ſit Contemplatio, & in quot dividatur ſpecies, transeamus ad evincendam falſam eorum apprehenſionem, qui vel ab ipſa ut impoſſibili refugiunt, vel ad eamdem intempeſtivè, & audacter anhelant; quod facillimum erit, ſi jam allata diſtinctio in *Acquiſitam*, & *Infuſam* probè notetur. Si etenim agamus de *Infuſa*, ad eam inconſultò aſpirare noxius error eſſet, ut dicit Sancta Thereſia, & ſuperbiæ reatus; iſta enim ſublime & ſingulare eſt donum Dei, eam concedentis ſua gratuita liberalitate, quando & quibus vult, & de qua dici poſſit cum Pſalmiſta: (4) *Pluviam voluntariam ſegregabis Deus hæreditati tuæ*. Poſſumus equidem, imò debemus, virtutum exercitio, frequentique cum Deo in oratione tractu, nos præparare ad obediendum, ſi ipſe vocet; ſed non debemus tali convivio nos intrudere, non invitati, ne ſine Veſte Nuptiali luamus audaciæ pœnas. Non auſa eſt cœleſtis Sponſa in Cellariam Charitatis ingredi, non vocata, ſed humili deſiderii moderatione expectavit, ut eam introduceret Sponſus: *Introduxit me in Cellaria ſua* (5); & Moyſes quamvis admiſſus jam ad colloquendum cum Deo in Monte Sinai, quod interpretari poſſet de intuitu Divinorum Myſteriorum in Contemplatione Acquiſita, non eſt auſus aſcendere ad Montis ſummitatem inter Myſticas caligines, quæ Infuſam innuunt, abſque præcedente Dei vocantis imperio. *Septimo die vocavit Deus Moyſem de medio caliginis* (6). Quæ quidem Myſteria nos docent, non licere Animæ audaciam, qua ad intimam cum Deo familiaritatem, quæ Infuſæ propria eſt, ſponte aſpiret, niſi, approbantibus ſuis Directoribus, internam Dei invitantis vocem, illamque ad ſe elevantis clarè cognoſcat. Hujus autem cautelæ ratio eſt, quia hæc infuſa Contemplatio dicitur *Paſſiva*, non quia in ipſa non operetur Anima; evidens enim eſt operari, & vehementer Intellectum, & Volun-

(1) *In Caſtr. Inter. Manſ.* 4, & *in S. V. c.* 18. (2) *Tract. de Orat.*
(3) *In Dion. de Myſt. Theol. a.* 3. [4] *Pſ.* 67, 10. (5) *Cant.* 3, 10.
(6) *Num.* 24, 16.

luntatem, cognoscendo, admirando, & amando, alioquin actio non esset meritoria, & vitalis; sed quia non existens in desiderantis arbitrio, a sola dependet Dei Voluntate, tanquam ab exteriori principio, Spiritum ad se trahente, & misericordi quadam impressione potentias suspendente; unde in hoc statu Anima non tantùm liberè agit, quantùm obediens patitur; explicante profundiùs hanc veritatem Angelico: (1) *Considerandum est, quòd si Virtus, quæ est actionis principium, ab alia superiori virtute moveatur, operatio ab illa procedens, non solùm est actio, sed etiam passio, in quantum scilicet procedit a virtute, quæ a superiori movetur*. Id verò in Acquisita non contingit; in hac enim, supposita præveniente Dei gratiâ, potest & debet Anima, tres exercens Potentias, Intellectum, Memoriam, & Voluntatem, quasi pedetentim ad cognoscenda Divina Attributa progredi; in quo mirabilis accidit correspondentia, & Spiritûs, qui labore ad Deum ascendit, et Dei, qui misericordiâ ad eum descendit, ut in Libro habetur de Spiritu & Anima: *Anima ad Deum ascendit, Deus verò revelatione, aut Divina inspiratione ad eam descendit*. Ab hac, quam descripsimus, duarum Contemplationum varietate, hoc debemus inferre, quòd videlicet nemo audacter præsumat Infusam, quia rarum, & merum est Dei donum; omnes, regulariter tamen loquendo, aspirare debeant ad Acquisitam, quia nostri laboris quamdam habet præmii congruentiam; atque ob id nullus sanæ mentis ab hac excluditur, nulla est status conditio, quæ ipsam, si benè percipiatur, prohibeat, dummodo prævias præparationes non renuat, Divo docente Gregorio: (2) *Non enim Contemplationis gratia summis datur, & minimis non datur; sed sæpe hanc summi, sæpe minimi, sæpiùs remoti, aliquando etiam Conjugati percipiunt*. Id autem non negabit, qui animadvertit aliud tandem non esse Contemplationem Acquisitam, quàm, mediâ præcedenti meditatione, ad Deum nostrum unicum finem mentis conversionem; quòd autem ad Dei Unionem aspirare debeat omnis fidelis Anima, evidens est; nec revocatur in dubium, quòd omnes actiones nostræ Dei cognitionem, Dei amorem, Dei gloriam, beatam cum Deo Unionem, habere debent pro ultimo fine; cùm Deo, nostra scilicet hæreditate, semper si volumus, etiam in hac vita uti possimus, ut scribit Angelicus: (3) *In hac vita continuò deberemus frui Deo, tamquam re plenissimè propria*. Sed quia fragilitati nostræ hoc difficillimum est, cùm oramus saltem per Mysteria fidei oporteret nos ipsos attollere ad Deum, cum quo si non loquantur nostra desideria, nec devota, nec efficax nostra erit oratio, teste Suarez: (4) *Qui desiderat aliquid obtinere a Deo, quamvis hoc desiderium cognoscat per Actum Intellectus, nondum loquitur Deo, sed sibi; nondum ergo orat*. Imo meditari vanum esset, si a sensibilibus, quæ meditata sunt, non transit Anima ad invisibilia, quæ sunt præcipuè Dei perfectiones, & Attributa; quod affirmare non vereor, docente me Divo Thoma: (5) *Nullum effectum haberet investigatio rationis, nisi ad intelligibilem veritatem perduceret*. Et revera, si meditatio nostra evadendo in Contemplationem non terminaret in Deum, fateor

(1) *De Un. Verbi Incarn. a.* 5. (2) *Hom.* 17, *in Ezech.* [3] *Opusc.* 53, *c.* 5. (4) *De Relig. T.* 3, *lib.* 1, *c.* 4. (5) *In Areopag. de Div. Nom. c.* 11, §. *Igitur*.

teor quòd nescirem in quo a Philosophorum speculatione differret, qui de virtutibus multa disseruere, sed unico superbæ eruditionis fine. Debemus & nos etiam virtutis meditari pulchritudinem; sed altiori Deo placendi, ad Deum per eam perveniendi, consilio. Debemus Jesu meditari opera, prodigia, Passionem, sed eo præcipuè fine, ut a visibilibus, quæ meditatur, mens ascendat ad invisibilia, quæ credit, ut Sancta jubet Ecclesia, canens, (1) quòd Deus factus est homo: *Ut per visibilia, ad invisibilia raperemur*. Debemus meditando distinctè nostri Redemptoris considerare tormenta, & postquam illa satis penetravimus, utile erit, quia Christus Deus est & Homo, nostrum medium pariter, & noster finis, ante ejus pedes in Dei laudem, gloriam, amorem, confidentiam, gratiarum actionem, quæ omnia Christi Passio suadet, humiliter immorari; quem orandi modum summa Animarum utilitate Sancta proponit Theresia. (2) Patet igitur quòd Virtutes omnes, omnia Fidei Mysteria, a fidelibus perpendenda sunt intentione ad Deum directâ, quod est a meditatione ad Activam Contemplationem ascendere; ut enim sentit Divus Thomas (3), illa medium est, ista Finis; quod idem, mysticè explicans amplexus Joseph, qui meditationis est Symbolum, cum Benjamin Contemplationis typo, docet Ricchardus a Sancto Victore: (4) *Quid est, quòd Joseph, & Benjamin conveniunt, & oscula jungunt; nisi quòd meditatio, & contemplatio sæpe invicem sibi occurrunt? toties ergo Joseph super collum Benjavin ruit, quoties meditatio in Contemplationem definit*. Caveat tamen qui legit, non esse consilii mei persuadere, ut omnis meditatio semper in Contemplationem erigatur; scio utique multoties perutile esse meditari etiam ea, quæ ad prudentem proprii status directionem pertinent, vel ad proximorum charitatem excitandam juvant; & multò minus quis suspicetur, me omnes indifferenter velle contemplativos. Novi siquidem id ab omnibus moderatè optandum, paucis tamen, & juxta propriam conditionem a Deo concedi: docet enim Divus Thomas (5), contemplativos non esse illos, qui aliquando contemplantur, sed qui ad Contemplationem totam suæ Vitæ seriem destinant. Ego igitur non præsumo omnes esse contemplativos, quia hoc non omnibus, nec omni convenit statui, ut bene probant Sancta Theresia (6) (7) & Card. Lauria. Quæ hucusque scripta sunt, directa tantummodo a me fuere ad tollendum Contemplationis odium, quo illam aliqui vel nimis opinantur arduam, vel ut otiosam Eremis, aut Claustris includunt, quasi facilè non sit gaudere de divinis cognitis perfectionibus, nec delectabilius sit, ut dicit Angelicus, (8) Deo frui aliquando, quàm semper illum quærere.

§. V. Videbuntur fortè alicui superflua, quæ de Contemplatione hucusque exaravi, vel imposterum scribam, cùm de hisce multi egerint profundiùs Auctores. Verùm otiosa non existimabit, qui animadverterit has doctrinas ordinatas esse ad justificandum modum, & seriem, qui-

(1) *In Præfat. de Nativ.* (2) *S. V. c.* 13, *& in Castr. Inter Mans.* 6, *c.* 7.
(3) *In* 3 *Sent. Dist.* 35, *q.* 1, *a.* 2. (4) *De præparat. ad Contempl. lib.* 1, *c.* 87.
(5) 2, 2, *q.* 81, *a.* 1, *ad* 5. (6) *In Itin. ad perfect. c.* 17.
(7) *De Orat. Opusc. supracitato*. (8) *Opusc.* 63, *c.* 3.

quibus Mariæ Catharinæ Divinas Deus impertivit Communicationes, quas de ſuorum Directorum calamo hîc juvat referre. Quòd igitur ipſa a ſimplici meditatione myſteriorum Fidei ad ſpiritualem, intelligibilemque intuitum divinarum Perfectionum, paulatim, & ordinatè Deo aſcenderit trahente, patebit ex iis, quæ in hoc libro ſunt impoſterum deſcribenda. Obſervemus modò quàm humili, ordinatâque Spiritus modeſtiâ, & juxtà a Doctoribus approbatam ſpiritualis progreſſus ſeriem, in jam dictis duabus contemplationibus gradatim ipſa profecerit. Ad Infuſam jam diximus fas non eſſe præcipitanter, & inconſultò aſpirare, ſed ad eam longâ ſe virtutum præparatione, ſi Deus dare velit, diſponere. Hæc igitur Virgo quàm heroicâ virtutum profeſſione, ſe myſticis diſpoſuerit elevationibus, ſuo loco patebit. Liceat modò mihi humilem, filialemque laudare timorem, quo divinas recipere impreſſiones ſimplex illi erat obſequium, humilisve obedientia. Debet utique Anima, quando Divinam ſentit præſentiam, ad myſticos elevata Sapientiæ amplexus, gaudere ſed timens, ſe ſubducere ſed deſiderans; cujus rei exemplum habemus in Apoſtolorum Principe (1): *Exi a me Domine, quia homo peccator ſum*. De quo ait Divus Ambroſius (2): *Quò plus noverat, præſumebat minus*. Id in Maria Catharina dum ad Infuſam ſe elevari ſentiebat contemplationem, multæ teſtantur relationes. In Raptibus, quas ad reſiſtendum adhiberet artes, quas preces fluentibus lacrimis, ne raperetur, Deo funderet, in Lib. 2, c. 1; & in Lib. 4. Animadvers. 10, abundè diximus; in futurorum prædictionibus, quas ei communicabat Divina Bonitas, quantâ eas reciperet humilitatis repugnantiâ, quot fletibus tam amabile averſaretur Donum, vidimus in Lib. 2, c. 9. In elevatis, quibus illuminabatur, intelligentiis, quàm profundâ reſiſteret propriæ vilitatis cognitione, conſtat ex exclamatione, quam alibi retulimus: *Ah mi Deus, non plus, non plus gratiarum huic famulæ indignæ*. Et ex alia, qua ſæpe Deum precabatur, ut impertitis ſibi favoribus modum imponeret, ſic orans: *Mi Deus, ceſſet jam tua indulgentiſſima bonitas infundere in immundo Animæ meæ Vaſe, quod non continet niſi res, tuæ Sanctiſſimæ, & juſtiſſimæ voluntati contrarias, dulces, ſuaveſque tuarum gratiarum liquores, quorum indigna ſum, ob mearum culparum magnitudinem, ob quæ ſum ſemper in actuali confuſione, & in meæ nihilitatis abyſſo, ſtupens de tui amoris exceſſu, qui te rapit a cognitione mearum ingratitudinum, quibus tuam Majeſtatem offendi*. Quòd ſi divino creſcente influxu Deo animam elevanti parere neceſſe erat, quo filiali timore, qua humili obedientiâ ſponſo venienti cor aperiret, teſtes ſint relationes, quas Epiſcopo ſuo Directori ipſa transmiſit; dum Æterni Patris illam ad ſe invitantis verba referens, hæc addit: *Hæc erant verba in me tela dulcis amoris, admirationis, ſtuporis, reverentiæ, timoris peccatorum meorum cognitionis, & mei ipſius annihilationis, itaut, penè non cognoſcerem id quod ſum, & quomodo hæc mea vilitas, & miſeria vocaretur ad elevandam mentem ad Deum, qui infinita eſt magnificentia, & majeſtas*. Quomodo autem in Divinis communicationibus, quas recipiebat, ſibi ipſi non fideret, aliquas ſemper, ſed ordinatè Dœmonis timens inſi-

(1) *Luc.* 5, 8. (2) *In Cap.* 5, *Luc.*

insidias, ipsa patefacit, dum easdem suis aperiens Directoribus, ita scribit: *Judicent Directores mei, & illi ad quos attinet, an bonus, vel malus sit iste meus spiritus. Spero tamen in Deo meo, quòd auxilio mihi erit sua infinita bonitas. Dictas extraordinarias elevationes hac protestatione recipio; quòd non intendo aliquod Dæmoni præstare obsequium, casu quo hæc sua essent, nec ipsa acceptare, sed ea pati, ut repulsas tentationes, quarum molestiam Deo offero. Si verò a Deo sunt, ea gratias agens accepto, & illi me ipsam humilians, meque cognoscens horum prorsus indignam, eumdem precor, ut si aliud non poscit sua gloria, has sublimes gratias in me suspendat*. Hæc humilis, sed obediens repugnantia filialisque timor in Donis recipiendis planè demonstrant, quòd ad Infusam audacter non aspirabat hæc Virgo, sed profunda Deo in se operanti se ipsam subjiciebat resignatione. Superiori quidem lumine noverat, suspectas esse Divinas Communicationes, quibus absque reverentiali metu anima fruitur; ut enim docet Sancta Theresia, in aspiratione unionis cum Deo, in quo æquè fulgent Amabilitas, & Majestas, necessariò cum desiderio conspirat timor. Securior lex in similibus Divinis participationibus recipiendis est, subdere anxietatem obedientiæ. Evangelicus ille Centurio, qui Redemptorem in sua Domo, humilitate repugnante, hospitari renuit; Beatissima Virgo, quæ Angelicæ salutationi mysteriosa turbatione respondit, *Turbata est in sermone ejus*: evidenter ostendunt Animæ, ut modesta confusione se retrahat, quando a Deo præsenti elevari se sentit. Sunt hi quidem, ut videntur, contrarii effectus, desiderium, & fuga: sed optimè uniuntur, ut experimur in Canticis, ubi anima anxiè Sponsum, amore impellente, quærit, inventum confusione suæ vilitatis dictante precatur, ut fugiat, *Fuge dilecte mi*. Mirum ergo non est, si Maria Catharina Divinam exorabat liberalitatem, precans, ut secum suspenderet Gratiarum inundationem, Petrum imitata exclamantem: *Exi a me Domine, quia homo peccator sum*. Hic laudabilis est excessus humilitatis, quia amat, audacis; quia reveretur, timidæ; &, ni fallor, eò probabilior est Divinarum in hac Virgine elevationum veritas, quò minus ipsam videmus eas desiderasse; imò de illis humilitèr, & cautè timuisse; placet siquidem Deo modesta quædam in elevatioribus, salutique non necessariis donis, quæ offert, Animæ repugnantia, qua in se ipsa profundè descendens, quantò magis in se deprimitur, tantò magis a Deo elevatur, præsumptionem filiali reprimente timore, dicam rursus cum Sancto Ambrosio: *Quantò plus noverat, præsumebat minus*.

§. VI. Non aspiravit igitur temerè ad *Infusam* hæc Virgo; ad *Acquisitam* tamen labore, & toto anhelavit desiderio, quo ardenter optabat per meditatas Fidei veritates ad intimiorem, & semper magis profundam Dei, Divinarumque perfectionum cognitionem, mente elevari; quæ quidem anxietas intellectum ad Divina contemplanda solicitat, voluntatem ad ea investiganda, ut magis amet, inflammat. Perpendamus igitur, quàm ardens in hac Anima, ut notitiâ accenderetur Amor, se cognoscendi Deus infuderat desiderium. Infans adhuc audire colloquentes de Deo non puerili gestiebat complacentiâ, adeout sincera, talia audiendo, exclamaret simplicitate: O *quam pulchra sunt ista! Ego tanti non ero, ut ad talia perveniam*. Solitaria pro viribus,

quæ

quæcumque puerilia, & ludicra, terrenasque fugiebat conversationes, non suadente solitudinem malincolico humore (aperti enim hilarisque erat genii), sed se in se ipsam claudente spiritu, ut testatur Cathedralis Serzanensis Parochus, suusque in adolescentia Confessarius. Destinavit decennis Cappuccinarum amplecti Institutum, rigorosæ professionem eligens Clausuræ, ut liberiùs, & sæpius Deo, quem sitiebat, vacaret. Nauseabat usque a teneris annis omnia, quæ ad concupitum sui cordis Sponsum eam non deducebant; itaut solo charitatis impulsu consanguineos ipsos vix toleraret, urbanitate jubente, aut adire, aut recipere. Assiduitas tandem orandi, in meditationibus prolixior mora, apertè innuebant qua anxietate torquebatur Deum cognoscendi, & amandi, ex qua ad Acquisitam contemplationem facilior mentis oritur elevatio. De his omnibus in prioribus Libris jam disseruimus; hîc tamen ad clarius testimonium aliqua addamus, quæ suis Patribus Spiritualibus de se ex obedientia ipsa refert: *Omnia intuitu Animæ meæ nihil erant, excepto Deo, Vita Animæ meæ, & vitæ meæ Anima*. Alibi exclamat: *O amoris magnes dulciter, & suaviter paceque tranquilla, attrahe Animam meam, stupore absortam intra abyssum tuarum inenarrabilium perfectionum; & fac, ut ex illarum Reflexione totam in te transformem me ipsam, teque amans tali amoris excessu, ut amandi finem non videam; te amans absque termino; & amem te propter te, qui amari mereris, & corda ad te amandum allicis. Fac ut nulla sit in mundo vis, quæ me ab amore tuo valeat separare*. Amittebat in hac optata Dei cognitione ita se ipsam, ut adolescens adhuc suis fassa sit Confessariis, *Nihil de me ipsa, nec de quacumque alia re cogitabam, nec aliud præter Deum amare poteram*. Hanc fervidam mentem ad Deum elevandi anxietatem, sicuti in suo sentiebat corde, sic cum aliis colloquens ferebat in lingua. In suis etenim, quas alibi retulimus, dictis, ait inter cætera: *Oportet se Deo confidere, & sæpe ad ipsum Oratione recurrere; nostrorum operum præmium a solo expectandum est Deo, atque ideo operandi finis sola sit Dei complacentia, & gloria; proximis placendi desiderio anteponatur Deo placendi studium*. In Epistolis, quas aliquibus, sic jussa transmisit, suadet ut ex memoria Mysteriorum fidei mens sæpe elevetur ad Deum; unde cuidam sic scribit: *Statim mane facto evigilabis, veluti Aquila alis charitatis volans ad pausandum tuis affectibus in Deo, dulcissima, ac suavissima Sanctorum requie, protestans, quòd eum solum pro tuo vis refrigerio; illumque cernens præsentem, dum cogitas, loqueris, vel operaris, omnium horum finem in suo collocans bonore simul, & gloria*. Et alteri sic suadet. *Animam tuam subleva in altum, idest in Deum; ipsum habens ante mentis oculos, tamquam scopum, ad quem omnes tui cordis dirigas affectiones*. Ne tamen suspicemur hoc Dei desiderium, quod sentiebat in se, proponebat aliis, superbam fuisse, ut sæpe accidit, de sublimibus cognitionibus curiositatem; sciamus fuisse Dei Lumen, quo duplicem docebatur veritatem a Divis Augustino & Francisco anxiè percipi exoptatas quæ sunt conjunctim cognitæ Dei magnitudo, nostraque vilitas. *Noverim te, noverim me. Quis es tu Domine, quis ego*. Unde ipsa in quadam mentis elevatione sic cum Deo loquitur: *Vera Sapientia est te cognoscere, tuam beatitudinem, & magnitudinem, simulque nostrum nihil,*

ejusque

ejusque parvitatem, *vilitatem*, *atque miseriam*. Animadvertebat ulterius, quòd cùm cognitioni respondeat amor, Deum desiderare debemus clarius cognoscere, ut valeamus ardentiùs amare. Hinc mentem ad divina contemplanda attributa elevare satagebat, ut in voluntate ardentiùs accenderetur charitas, quod de se Episcopo suo Directori fatetur: *Omni spoliata rerum terrenarum affectione*, *ante Altissimi præsentiam me collocans*, *meam incæpi Orationem*, *contemplans quid sit Deus*, *hoc unico fine*, *ut in me cresceret amor*, *sciens utique*, *quòd quantò magis gemmæ alicujus innotescit valor*, *eò magis æstimatio augetur & desiderium*. Simili consilio alibi Deo de quibusdam sibi donatis intelligentiis gratias agens, eas confitetur, quasi folles, qui Sancti Spiritus aurâ Divinum dilectionis provocent ignem. *Quia* (subdit) *quantò magis Filius magnitudinem sui Genitoris cognoscit*, *eò magis illum propter ejus perfectiones amat*, *sibi complacens de intrinsecis*, *& extrinsecis bonis*, *quibus Pater fruitur*. *Ita ego in clariorem tuæ magnitudinis notitiam deveniens*, *o mi Deus*, *cordis mei amor*, *eò magis coarctor*, *& teneor ad te amandum puro*, *nudo*, *simplicique amore*. Vide infra de puro amore Lib. 6, Animadvers. 9, §. 1. Libenter hæc ardentia Deum contemplandi suspiria, nobilemque eorum finem, hîc retuli. Primo loco, ut arguamus hujus Virginis, quas narrabo, ecstaticas elevationes a talibus verè probatis derivatas fontibus, non posse probabiliter, ut illusiones despici, aut suspectas haberi. Tales enim aspirationes nonnisi a Deo infundi possunt; nec Animæ, constitutæ in tali ardentis charitatis flamma, probabile est, ut multum appropinquare Dæmon audeat, vel permittatur a Deo; ut Sanctæ Birgittæ de suis revelationibus, an a spiritu illusionis essent, timenti, dixit Christus(1): *Ne dubites filia*, *spiritum Dei bonum esse*, *cùm nihil aliud desideraveris præter Deum*, *& de eo tota inflammaris*. *Hoc ego solùm possum facere*, *& impossibile est Diabolo appropinquare tibi*. Secundo loco: ne incredibilis videatur nobis fervor, quo hæc Virgo, ut statim videbimus, ad contemplationem anhelabat Acquisitam. Dei enim desiderium hunc provocabat, dum amor, quamvis adolescens adhuc, animam tamen solicitat ad ejus, quod gestit amare, cognitionem, ut illius lacte nutritus, & ob id adultus, plus amet; & quod postea probabimus, qui amare cœpit, bonum amatum nosse desiderat clariori lumine, ut illud ardentiori diligere valeat amore.

§. VII. Posset hîc aliquis hæsitare, quòd Mariam Catharinam jam descriptum Divina cognoscendi desiderium alienam redderet a virtutum, rerumque sensibilium meditatione, quibus Mysteria Fidei connexa sunt, Contemplationem fastu quodam Intellectus dedignantem. Hanc etiam suspicionem de ipsa repellere mei arbitror esse consilii; in talem etenim errorem, quo sophisticis in hoc sæculo tentavit Sathan argumentis veram deturpare Contemplationem, hæc Virgo non cecidit: Virtutes siquidem meditabatur, ut earum apprehenderet pretium, & modum. Divina opera contemplabatur, ut in eis, veluti in Speculo, Dei cerneret, quæ veneraretur, Attributa. Legat quis in hujus veritatis argumentum, quæ retulimus in Libro I, Cap. VII; & in Libro IV, Animadvers. IX, & liquidò

(1) *In ejus Vita*, *lib.* 1, *c.* 16.

quidò ei constabit, ipsam a tenera ætate, in qua meditationem didicit, usque ad Annum decimumoctavum, quo placuit Deo hanc Animam a purgativa ad illuminativam elevare vitam, immoratam esse semper in meditatione vel legum, quas ad perfectiores acquirendas virtutes, ei Directores præscribebant, vel Mysteriorum Fidei, quæ a suis Spiritualibus Magistris ei proponebantur contemplanda. Cognoscebat siquidem, experiebaturque in se ipsa progressum, quem in talium consideratione acquirit Anima, & ipsa cuidam personæ sibi pietate familiari demonstrat, scribens: *Qui Intellectu insudant in Mysteriis nostræ Sanctæ Fidei, metunt benedictionis fructus, & Contemplationis Acquisitæ delectatione fruuntur*. Ruminabat sæpesæpius tormenta illius, distinctè perpendens Jesu Christi Passionem, & Mortem, ea sensibili Nostri Redemptoris compassione, ut mereretur experiri dolores, quod postea videbimus, tali virtutum augmento, ut ipsa de hoc fateatur: *Ad instar Pauli plus existimo sapientiam tuam, o Jesu mi Crucifixe, quàm ad tertium cœlum ascendere. In cogitationibus Sanguineæ tuæ Passionis veram invenio mei cordis sapientiam, & in his colligo scientiæ plenitudinem, salutis divitias, meritorum copiam, meæ pacis fundamentum, & pretiosissimum totius meæ consolationis balsamum*. Paradisum tandem, ipsaque Sancti Amoris incentiva, Judicium, Infernum, non dedignabatur attentè meditari. Verum tamen est, quòd in variis suæ meditationis objectis, unus erat finis, unum desiderium, se sublevandi ad clariorem Dei cognitionem, unde oriretur in se Divinitatis timor, & amor; quod non difficile credent ii, qui sciunt de tribus motibus, quos contemplantibus assignat Dionysius, rectum, & incipientibus opportunum, consistere in studio Animæ ascendentis a visibilibus ad invisibilia, a creaturis ad Creatorem, ut explicat Divus Thomas: (1) *Rectum motum ponit in Anima, secundùm quòd ab exterioribus sensibilibus procedit ad intelligibilium cognitionem*. Qualis fuerit, ut omnia uno dicam verbo, ejus Meditatio in Activam Contemplationem transiens, satis ostendit quædam Epistola, qua meditandi legem Animæ cuidam a se quærenti, ipsa ex obedientia conscripsit, & cujus exemplar in Lib. III, Cap. ultimo jam retuli; ad quam absque repetendi tædio lectorem remitto; ibique notabit, quomodo ad acquirendum cognitæ Divinitatis timorem simul & amorem, suas direxerit Meditationes. In virtutibus meditandis Divini cordis beneplacitum intuebatur, propter quod illas, ut Deo placeret, amabat, protestans sæpe in suis Relationibus, quòd nihil purè per se ipsam cupiebat, sed omnia ad sui Sponsi majorem optabat gloriam. In meditanda Jesu Christi Passione longiùs immorabatur, singulatim ejus perpendens tormenta. Sed tandem tenera solummodo non satisfacta compassione, ad humiliatæ se erigens Divinitatis admirationem; experiebatur in se quod Redemptor in Evangelio promisit: *Ingredietur & egredietur, & pascua inveniet*; de quo in Libro IV, Animadvers. IX, longiùs loquuti sumus. Cujus veritatis argumentum est, quòd postquàm illum Regem compatitur dolorum, quasi ad majora se erigens, *Altissimam, & venerandam adorat Sapientiam*; docens hoc modo nos, utile & justum esse Christi compati, & meditari dolo-

(1) 2, 2, q. 180, a. 6, ad 2.

dolores; sed teneræ compassioni, quam suggerit Amor, addendam esse profundam adorationem, quam poscit Fides; imò eâdem augetur compassio; & perficitur. Quid plura? Erat Puer Jesus ardens Amor sui cordis, ejus sæpe fruebatur imaginariè spectata pulchritudine; ipsum adorabat, eique reverenti blandiebatur affectu; sed si amatoria, quibus eumdem alloquebatur, verba ritè pensemus, patebit ipsam, dum illum amabat Infantem, humiliter semper veneratam esse ut Deum; & Nomina, quæ eidem Charitate absorta impertitur, ita miscent blanditiis venerationem, ut clarè dignoscatur hujus Virginis Animam in visibili humanitate, qua alliciebatur, fidei intuitu conspexisse invisibilem Divinitatem, quam humiliter adorabat. In multis hoc suis Relationibus, quas alibi transcripsimus, apertè constat; unam tamen in hujus permistæ confidentiæ simul & adorationis hîc libet exclamationem ferre, qua Dilectum suum impetu acta impatientis Amoris invitat – *O Fili Dei, Verbum Unigenitum, figura paternæ substantiæ, inextinguibilis gloriæ lumen, beatificum Angelicarum mentium Objectum. O flos amœnus, & ridens, qui beatis Animabus tuam ostendis pulchritudinem, spirans ipsis fragrantissimum cœlestium Virtutum odorem. O mea cara Spes, Patris gloriæ substantiale lumen. O inaudita, & increata gloriæ speciositas, jucunditas regia, pulchritudo imperialis, cœlestis speciei majestas. O meum bonum, oculorum meorum lumen, o mi Deus, cordis mei cor, ubi es?* Hæc utique nominum varietas modò exprimentium Amoris blanditias, modò sublimia recludentium Mysteria, quis non videt evidenter innuere, quòd ipsa a Christi Humanitatis Meditatione ad ejusdem elevabatur Contemplationem Divinitatis. Hinc mirum non est, si, ut ipsa suis fatetur Directoribus, sæpius, & ferè continua Dei vel actu, vel intentione fruebatur præsentiâ; nec incredibile est, quòd figeretur Deus in ejus mente, quando ipsa ad eum frequentissimè elevabatur oratione, & Amore. Hoc vix credi poterit a non expertis; crederet tamen Riccardus a Sancto Victore, ita scribens (1): *Non solùm frequenter, sed etiam indesinenter confiteris, si perfectè diligis; semper quidem laudas, si semper amas, semper desideras.*

ANIMADVERSIO II.

De Dispositionibus, quibus ad Donum Contemplationis se præparavit hæc Virgo.

§. I. AN sit Contemplationis studium & Amor a gratiæ motu, vel ab innato Animæ rationalis instinctu, difficillimè potest, nisi a dispositionibus quæ præcedunt, & ab effectibus qui sequuntur, distingui. Et ratio est, quia Contemplatio, & maximè primæ Causæ, ita homini est delectabilis, ut in ea naturalem quamdam in hac vita beatitudinem cognoscat Philosophus, & doceat

(1) *De præpar. ad Contempl. c. 12.*

Divus Thomas duabus præcipuè de causis. Prima, quia cùm operatio eò sit magis delectabilior, quò magis est naturæ conformis, necesse est, quòd homo, qui rationalis est, gaudeat in Contemplatione veritatis, quæ Intellectûs est Objectum, & desiderium: (1) *Unicuique delectabilis est operatio sibi conveniens secundùm naturam, vel habitum. Contemplatio autem veritatis convenit homini secundùm naturam, prout est animal rationale.* Secundò; quia cùm Contemplatio, de qua loquimur, tendat ad Deum summum bonum, infinitè amabilem, evidens est quòd Anima non potest sibi non complacere in cognoscendo, & amando, ad quem ipsa dirigitur, suum ultimum finem: *Vita Contemplativa*, addit Angelicus, *non est delectabilis solummodo ratione ipsius operationis, sed etiam ratione ipsius Divini Amoris.* Imò super omnes vitæ hujus delectationes tantò est Contemplatio suavior, quantò gaudia spiritûs sensuum gaudiis sunt potiora, ut cum omnibus expertis sentit Divus Thomas: (2) *Quantum ad utrumque, ejus delectatio omnem humanam delectationem excedit, nam delectatio Spiritualis major est quàm carnalis.* Non minor igitur a personis Spiritualibus Contemplationem jam degustatam tali anxietate diligi, talique Spiritûs aviditate quæri, ut a Directoribus oporteat prudenti discretionis fræno moderari. Credo tamen huic non fidendum desiderio; cùm etenim, ut vidimus, suavis sit jam descripta Contemplatio, potest in Spiritualis gulæ vitium evadere, ni ex dispositionibus, & effectibus, non ab amore proprio talem contemplandi anxietatem, sed a gratia vocante oriri dignoscamus. Quod, ut proficuè, & probabiliter discerni possit, & in hac Virgine mentis elevationes canonicæ, & non improbandæ patescant, in quo unicè consilii mei in his conscribendis ratio collimat; de dispositionibus ad Contemplationem requisitis in hac Animadversione, & de effectibus ab eâ expectandis in sequenti agendum duxi. Dispositio igitur necessaria est, non solummodò, ut ad eam ritè accedamus, sed etiam ne ipsam odio aversemur, & tædio, ex cujus dispositionis defectu provenit, quòd ipsam nonnulli tantâ oderint nauseâ, ut eam suadere reatum putent indiscreti rigoris, exercere reputent impossibile. Verùm non inficior, quòd Acquisita maximè, de qua loquimur, non facilis sit, sed labore adipiscenda; hoc autem, ut docet Angelicus (3), non ab ipsa per se, sed ab Animæ ut plurimum provenit infirmitate. Sicut enim palato non sano amarus est cibus, & oculis ægris odiosa lux, sic cordi non disposito contemplari Spiritualia, tædium est; Intellectui sensibilibus assueto, intelligibilia apparent insipida. Ut ergo ad Divina præparetur animus, præviæ requiruntur dispositiones, quas ad quatuor Divus Thomas reducit, & sunt: Virtutes Morales, quibus mediantibus Animæ pars superior, a passionum pondere non oppressa faciliùs ad Deum, Divinaque se sublevet. Pietatis exercitia; quibus impetrare possimus ad Divina ritè contemplanda infusum lumen. Mysteriorum, divinorumque operum Meditatio; qua Spiritus a Creaturis ad Creatorem assuescat ascendere. Et tandem fixus Intellectus intuitus; quo in Divinis veritatibus firmiter discat immorari: [4] *Ordine quodam, qua-*

(1) 2, 2, q. 180, a. 7. (2) *Ibidem.* (3) *Loco citato, ad 2.*
(4) 2, 2, q. 180, a. 4.

quatuor ad vitam Contemplativam pertinent. Primò quidem Virtutes; secundò alii Actus præter Contemplationem; tertiò Contemplatio Divinorum effectuum; quartò tum verò complementum est ipsa Contemplatio. Ex his quatuor conditionibus satis apparet non esse Contemplativam vitam, ut vulgò dicitur, pigritiæ devotum otium, nihilque volentium agere mendicatum prætextum. In illis igitur compendiosè possem intueri, quidquid ad contemplandum necessaria poscit dispositio. Sed quia Contemplationem in Acquisitam, & Infusam distinximus, operæ pretium est, ut proponantur dispositiones ad primam, & aliæ difficiliores ad secundam; & ut loquamur de Acquisita: Ad ipsam prima & secunda dispositio est Virtutum Moralium laboriosa, illarumque sedula, & actuosa exercitatio. Sicut enim notat Angelicus, non potest Anima sese attollere ad Deum, si a pondere premitur passionum, quas adeptæ non domuere Virtutes; nec Deo tranquillè frui valebit Spiritus, dum fremunt cordis tumultus: (1) *Virtutes Morales dispositivè pertinent ad Contemplationem, quia impediunt vehementiam passionum, & sedant exteriorum occupationum tumultus.* Otiosæ insuper parùm prosunt Virtutes: homo enim nascitur ad laborem, & contra providentiam est otiari, quamvis devotè observat Divus Gregorius, (2) quòd Mysteriosa Exechielis Animalia alas habebant, sed manibus junctas: *Manus hominis subtus pennas eorum;* & interpretans Contemplationes in alis, in manibus actionem, discite, ait, quòd sine operatione Contemplatio parum prodest: (3) *De bono opere tendimus ad Contemplationem.* Contra has duas dispositiones multæ decipiuntur Animæ, quæ, ut de eis Sancta dolet Theresia, quasi ebriæ vino delectationis in Contemplatione degustato, Virtutes negligunt, quibus proprias exament passiones; ex quo contingit, ut post Annos cujusdam, ut ipsis videtur, elevatæ Contemplationis, & suî amantes, & proximis intolerabiles in naturali sua remaneant proprietate. Nec minus errant aliæ, quæ imaginariam devotionem in otiosa collocantes quiete, nescio quid sacrilegii formidarent in concedendo, vel propriæ domus necessitati, vel proximorum charitati, tempus illud, quòd pigra quadam pietate, proprioque Spirituali Amore, veneratis de suo arbitrio destinarunt altaribus. Unde sequitur, quòd in aliorum scandalum otiosa cedat devotio. Imitari ergo oportet milites illos, qui sub Esdra una manu laborantes in ædificatione templi, alterâ impugnabant gladios, ut hostes arcerent: [4] *Una manu faciebant opus, alterâ tenebant gladium;* idest, uno oculo Deum intueri, ut eumdem amemus, altero cordis appetitus, ut Virtutum fræno subjiciamus, proximorumque utilitatem, ut eis charitate serviente consulamus. In hos duos errores hanc Virginem non cecidisse, primos tres libros legentibus patet; in ipsis enim constat a tenera usque ætate, solitudine, pœnitentiâ, oculorum demissione, sensuumque omnium, & proprii Intellectûs, tum cordis mortificatione, Virtutum omnium sedulo incubuisse studio; sicuti & laboribus etiam teneram excedentibus adolescentiam, in propriæ domus quasi servitute non pepercisse; itaut furaretur somno pauculas illas horas, quas ora-

 tioni

(1) 2, 2, *q.* 180, *a.* 2. [2] *Exech.* 1, 8. (3) *Hom.* 2, *in Exech.*
(4) *Lib.* 2, *c. Esdræ* 4, 17.

tioni destinare cupiebat, nec in Ecclesiis ultra parentum placitum auderet immorari. De quibus omnibus in primo libro jam satis retulimus. Tertia dispositio (de quarta enim, quæ est ipsius Contemplationis frequentia, & amor, aliqua diximus, & multa in sequentibus sunt dicenda) est antecedentis Meditationis exercitium, ex quo ad Deum mens assurgit; & hanc Mariam Catharinam a teneris usque annis frequentasse constat, & continuus demonstrat solitudinis amor, quo, ut sola colloqueretur cum Deo, omnium consortia, quantum illi fas erat, in proprio cubiculo, quasi in Eremo clausa, fugiebat. Ibi leges ad majorem perfectionem sibi a Directoribus meditabatur indictas; Divina Fidei Mysteria ab iisdem proposita diu mente ruminabat; sed præcipuè Crucifixi passionem quo Virtutum recogitaret incremento, clarescit ex Mystica exclamatione, quam in Lib. 1, Cap. 7, §. 2, transcripsimus. Sed quid in hisce immoror? Describere dispositiones omnes, quibus ipsa adhuc puella ad Activam Contemplationem, ad quam, ipsa etiam nesciente, vocabatur a Deo, se præparavit, idem esset, ac totam suæ adolescentiæ seriem, quam loco citato retulimus, hîc otiosè resumere. Videantur hæc omnia alibi fusius descripta; nec mirabimur, si ipsa adhuc juvencula ad Deum tanta conscendit sublimitate, quando, ut dicit Mellifluus: (1) *Qui prius in Activa Vita profecit, ad Contemplationem benè conscendit.*

§. II. Sufficiunt jam dictæ dispositiones ad *Acquisitam*, sed non sufficiunt ad *Infusam;* cùm enim in hac strictius anima uniatur Deo, ad talem Unionem præparatio major exigitur; & principalis est summa puritas corporis simul, & cordis, dicente Domino: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* De corporis autem munditie memoria recolamus, ut alibi dictum est, donatam a Deo hanc Virginem singulari privilegio, non solummodò non experiendi, sed & nesciendi quidquid puritatem maculare posset; & deducemus fortasse ex hoc tali a Deo præparatam candore, ut familiarius colloqueretur cum eo, qui Agnus est, & pascitur inter lilia. Docet enim Divus Thomas (2): nil esse tam contemplationi contrarium, quàm impuritatem, quæ Spiritum in luto deprimit carnis: *Virtus castitatis reddit hominem aptum ad contemplationem, in quantum delectatio sensus maximè deprimit animam ad sensibilia.* Sed mirabimur etiam tantâ illam hoc donum servasse custodiâ, quantam & sensum mortificatione, & corporis castigatione, vix adhiberet qui impuræ hujus flammæ vel experiretur violentiam, vel timeret periculum. De cordis autem puritate longius loquendum, utpotè quæ ad dona Spiritus Sancti capessenda conducit, asserente Divo Augustino: (3) *Operatio Spiritus Sancti, quæ est intellectus, convenit mundis corde, qui purgato oculo possunt videre, quod oculus non vidit.* Hanc igitur puritatem enixè optaverat semper hæc Virgo; sed majori ejusdem exarsit desiderio, quando ad divinam anhelans unionem, Christum in spiritu secum interius ita colloquentem audivit: *Tu me amas secundùm capacitatem, quam in præsenti habes, & plus me amabis imposterum, juxtà auxilia, quæ tibi paulatim communicabo. Si scires quantum ego amari*

(1) *De modo bene viv. ser.* 13. (2) 2, 2, *q.* 180, *a.* 2, *ad* 3.
(3) *Lib.* 1, *de Ser. Dom. in Monte*, *c.* 9.

amari mereor propter meam bonitatem, & rectitudinem, a te ipsa statim rapta remaneres. O si nosses meæ puritatis magnitudinem, non solummodò in me vel minima non reperitur macula, sed ejusdem omninò sum incapax. Et quomòdo tu vis mecum uniri, cùm sim ego taliter purus, & tu imperfectionibus defectibusque plena; tu lutum es, ego aurum: Oportet ergo ut te purificare satagas, a te ipsa tollens defectuum maculas, quæ exoptatam mecum impediunt unionem. His excitata vocibus, tali puritatis angebatur curâ, ut anteactus se purgandi labor, æquiparatus cum eo, quem adhibuit in sequenti suæ vitæ cursu, æstimari posset negligentia. Attentissimum, rigidumque suæ conscientiæ examen, quo dictum exequebatur Psalmistæ, *Exercebar, & scopebam Spiritum meum*. Accusationis sui ipsius ad Confessarii pedes frequentia, iterataque sæpius confessionis generalis cura, quibus, & si non graviter maculata, ut candidior fieret, orabat ad Deum, *Amplius lava me ab iniquitate mea*. Severior sui corporis castigatio, qua primus etiam sui cordis motus acribus plectebat flagellis, dicens cum Apostolo: *Corpus meum castigo, & in servitutem redigo*. Oculorum tandem demissio, silentii rigor, cogitationum frænum ita eam reddebant circumspectam, ut videretur mihi imitari mystica illa Animalia, quæ vidit Exechiel (1) plena oculis, in quibus interpretatur Gregorius veros Dei amatores, qui plures habent oculos, ut cautè videant, solerterque caveant insidias omnes, quas contra Spiritus puritatem, vel Dæmonum astus, vel proprii cordis machinarentur passiones: (2) *Corpora Animalium ideo plena oculis describuntur, quia Sanctorum actio ab omni parte circumspecta est, bona desiderabiliter providens, mala solerter cavens*. Hæc omnia, & similia fusiùs alibi enarrata, desideratæ erant puritatis testimonia, non tamen ad eam adipiscendam sufficientia nisi alia addidisset, quæ pariter fuere ad Infusam dispositiones. Inter quæ prima numerari potest severior in jejuniis, vigiliis, flagellis, asperoque vestitu, proprii corporis castigatio. De hac in prioribus libris satis retulimus; hic solummodo monendi sunt molles quidam Contemplativi, qui vellent amare Deum, & simul amare se ipsos, quod Divus negat Bonaventura: (3) *Nisi quisque a semetipso deficiat, ad eum, qui supra ipsum est, non appropinquat; nec valet apprehendere, quod supra ipsum est, qui nescit mactare se ipsum*. In deliciis puritas cordis difficilis est, unio cum Deo ferè impossibilis; & ob id qui ad *Infusam* properat, discat ab hac Virgine, quæ ut viveret Deo, omne, quòd humanum est, interficiebat in semetipsa, juxtà Divi Augustini mentem: (4) *Tunc quisque vivere dicitur, si secundùm sæculum moriens, in solo Deo vivere delectetur*. Secundam ad cordis puritatem, & *Infusam* contemplationem adhibebat hæc Virgo dispositionem, quæ erat a mundanis curis, proprio statui non necessariis, perfecta mentis alienatio. Ut ad Deum totum se vertat noster Spiritus, necesse est ut a superfluis occupationibus, a rerum terrenarum curiositate, a consanguineorum amore, ab iis omnibus tandem, quæ sensibus placere possent, se ipsum radicitus evellat; itaut nec cogitationes habeat, nec affectus, qui ad Divinum

(1) *Ezech. c. 1, & c. 10.* (2) *Hom. in Ezech.* (3) *In Pharetra, lib. 4, c. 8.*
(4) *Apud Laur. de Orat. Op. 6, c. 3.*

vinum beneplacitum, & gloriam, vel actu, vel intentione, non sint directi, ut docet Angelicus: (1) *Munditia cordis, quæ est præambula, & dispositiva ad Dei visionem, est depuratio cordis ab inordinatis affectionibus*. Cujus veritatis ratio est, ut idem monet Sanctus Doctor, quòd Animæ macula a terrenarum rerum amore contrahitur, quo voluntas ipsis vel immoderata fruitione, vel effræni adhærens desiderio, quodam quasi morali contactu, de earumdem impuritate sordescit; atque amittit spiritualem illam pulchritudinem, quam in alienatione mentis, & cordis ab omnibus, Deo, vel propriæ saluti non inservientibus, collocatam, in sponsis suis amat, & quærit Deus: *Obliviscere populum tuum, & Domum patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum* (2). Legamus Divum Bernardum in libris de modo bene vivendi, & de interiori domo, & videbimus quantum a veritate aberrant illi, qui superba quadam curiositate, quam devotionem putant, multum de Deo contemplari gestiunt, sed interim divitiis, gloriæ, delectationibus vivunt addicti, nec animadvertunt temeritatem esse incomprehensibili Dei puritati audere appropinquare, maculis mundanorum appetituum conspersos: *Munditia* (sic eos reprehendit Angelicus (3) *Munditia necessaria est, ut mens Deo applicetur; quia mens humana coinquinatur ex hoc, quòd rebus inferioribus conjungitur. Oportet autem, quòd mens ab inferioribus abstrahatur ad hoc, ut supremis possit conjungi: & ideo mens sine munditia Deo applicari non potest*. Heroicam hanc ab omnibus alienationem didicisse, docente Deo, Mariam Catharinam, apertè innuunt, quæ in Lib. primo retulimus, ubi nos plures docuere Relationes ipsam a quacumque visibilium affectione cor suum tali custodisse zelo, ut etiam puerula, ætati illi condonanda, ludrica evitaret; nihil omninò possideret, illa etiam, quæ vitæ necessaria erant, a genitoribus eleemosinæ titulo recipiens; affectus etiam innocentes devotarum sibi sodalium, veluti animæ perhorresceret laqueos; eo tandem optatam Spiritus provehens libertatem, ut vel ipsos alloqueretur; rarò, & nisi charitate poscente, consanguineos, erga quos naturalis quidam laudatur amor; Patresque suos spirituales solâ adiret necessitate, timens utique ne cordis evaderet incognitus laqueus, vel ipsa filialis propensio; omnibus tandem visibilibus cordis clauderet ostium, quod soli volebat patere Deo, dicens sæpius cum Seraphino Assisinate, *Deus meus, & omnia*.

§. III. Ego autem de tali cordis puritate, & Spiritûs libertate non miror, dum hujus Virginis solitariam, de qua loco citato jam dictum est, vitam recolo, qua in angusto cubiculo, veluti in Eremo, clausa diutius vixit. Quòd solitudo puritatem cordis custodiat, & ad *Infusam* Contemplationem viam sternat, evidens est, asserente Divino Spiritu: (4) *Ducam eam in solitudinem, & ibi loquar ad cor ejus*. Laudavit cœlestis Sponsus suæ dilectæ pulchritudinem, eamque celebravit omni carentem maculâ. Animadvertamus tamen (notat Mellifluus) quòd illam turturi assimilat, volucri nempe solitudinis amico: *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis*

(1) 2, 2, q. 8, a. 7. (2) Ps. 44, 12. (3) 2, 2, q. 81, a. 8. (4) Os. 2, 14.

turturis (1); hinc docemur fugienda esse cum Mundo consortia, si familiarius conversari optamus cum Deo: (2) *Sede solitarius sicut turtur; nihil tibi cum turbis, nihil cum multitudine ceterorum*. Amœni discursus, salium lepida professio, civiles familiaritates, & similia oblectamenta, quæ usus quasi sanctificare gestit, sicut sensibus placent, sic difficile est, quòd vel plures in phantasia, Contemplationem impedientes, non relinquant imagines, vel terrenorum desideriorum maculis cordis non inquinent puritatem. Unde Divus Bernardus suadet contemplativæ Animæ, ut sola sit, in centro sui clausa cum cœlesti vivat Sponso, quem sibi elegit: (3) O *Sancta Anima sola esto, ut soli omnium serves te ipsam, quem ex omnibus tibi elegisti. Fuge publicum, fuge ipsos domesticos, recede ab amicis*. Sed dicet aliquis: & quomodo possum solitarius vivere, cùm plurimorum conversationem mihi imponat charitas, inevitabiliter poscat urbanitas? Huic difficultati libenter respondeo, quia illam solvens, & quasi aliud agens, in ipso etiam concursu multorum illam emendationis ergo adeuntium, in actuosa, quam in Xenodochiis gessit, vitâ, mysteriosam hujus Virginis tuebor solitudinem. Solitudinem non tibi permittit vel proximorum salus, vel tui status conditio? Non renuo; sed peto cur in ipso turbarum strepitu non servas te tibi? Ad quid eorum, quæ ab extraneis nunciantur, tam impatiens curiositas? Ad quid tanta verborum scurrilitas? Ad quid eorum, quæ ad te non spectant, tam perspicax inquisitio, proximorumque fama quæsita scommatum urbanitas? Hæc ne tibi jubet tuo statui decens necessitas, vel curiosa semperque a Deo alienans loquacitas, aut proprii cordis delectatio, vel livor? Solitudinem igitur, quam tua exterius non patitur conditio, habere potes in temetipso, si verba, quæ profers, recogitatâ Dei metiri velis præsentiâ; si non permittas voluntariè ad cor descendere, quæ auris suscipit invita; si doctrinæ inhereas Melliflui te monentis: [4] *Secede ergo mente, non corpore, sed intentione, sed devotione, sed Spiritu*. Hanc utique legem custodisse Mariam Catharinam, ex relatis in tribus prioribus libris satis apparet; quippe quæ usque a teneris annis solitudini assueta, eamdem in concursu, quem charitate patiebatur impellente, cor suum sibi retinebat; & exterius in animarum salute diffusa, interius intentione in Dei gloriam, & amorem defixa, in externa multorum frequentia interiorem, quæ Deo magis placet, in assiduè meditatâ Dei præsentiâ custodiebat solitudinem. Ita nos docet pluries hîc citatus Bernardus, monens Deum Spiritum esse, ac proinde Spiritus potiùs quàm corporis solitudine gaudere: (5) *Spiritus ante faciem tuam Christus Dominus, Spiritusque requirit non corporis solitudinem*. Ac propterea dum etiam exteriora patitur, solitudinem amat Anima, si cogitationes suas & verba, ad Dei gloriam dirigit; & in medio etiam terrenarum rerum strepitu solitaria vivit, addit Mellifluus: (6) *Solus es, si non communia cogites, si non affectes præsentia, si despicias quod multi suspiciunt, si fastidias quod multi desiderant*. Hanc doctrinam non solùm ab hac Virgine ad praxim reductam, sed etiam in Spiritualibus, ob varias

(1) *Cant*. 2, 12. (2) *De Inter. Domo, Ser*. 40. (3) *Ibidem*. (4) *loco cit*. (5) *Ibidem*. (6) *Ibidem*.

rias non spontè distractis occupationes, perutilem, hîc ferre longiùs non .cinbui. Transeamus modò ad ultimam, quæ in contemplativis prima esse debet, dispositionem, & hæc est humilitas. De illa verò hîc non loquor, qua Anima suæ nihilitatis conscia, se proximis humiliat, optatque, non solùm patitur, ab omnibus, ut mereri se clarè videt, despici, & posthaberi. Talis enim Virtus in *Acquisita* etiam Contemplatione est necessaria, imo ejusdem est fructus. Alia ad *Infusam* requiritur humilitas; illa nempe, qua se Anima Dei experimentalis se noscens Præsentiæ, mysticarumque elevationum indignam, ad eas nullatenus aspirat, imo ab iisdem, quantum obedientia permittit, propriæ vilitatis conscientia refugit. Cordis puritatem pretiosa hæc custodit, Divinasque impetrat communicationes, humilitas; tùm quia superbiam, quæ cæteris turpior est Animæ macula, a Spiritu tergit; tùm quia Deum, qui humilia respicit, quasi fugiendo ad se invitat, de quo rationem reddit Angelicus. Humilitas (dicit ipse) Virtus est ordinata ad refrænandos naturales Animæ nostræ, ad sublimia semper innatâ quadam propensione tendentis, inordinatos impetus: (1) *Debet esse Virtus, quæ temperet, & refrænet animum, ne tendat ad excelsa, & hæc est humilitas.* Spes enim, ni propriâ regatur cognitione, per se ad alta tendit, undè humilitate eget; qua emendante, Divinas communicationes, non quidem despiciendo recuset (hæc enim esset ingratitudo), sed ab audaci earum desiderio suæ retrahatur vilitatis intuitu: (2) *Humilitas reprimit motum spei, qui est motus Spiritûs ad magna tendentis.* Hac ergo Virtute, quo studio ad Contemplationem se hæc Virgo disponeret, satis constat ex iis, quæ in his Commentariis pluries retulimus, de sua humiliatione ergà proximos, & de timore, quo pavida semper Divinam unionem patiebatur simul, & timebat, dicens cum Psalmista: (3) *Ab altitudine diei timebo.* Sciebat siquidem illa utiliorem ad Mystica Dei dona obtinenda dispositionem esse, sui humilem cognitionem, qua fateamur ea demereri, ac proinde Virtutum exercitio, fideique ductu, Dei puræ incumbere servituti, nec cogitare quidem de suavibus illis elevationibus, quæ ad solidam perfectionem utiles sunt aliquando, sed non necessariæ; imò si desiderentur, multoties perniciosæ. Hanc in contemplativis super omnes alias præparationes Sancta requirit Theresia (4); & hanc possidendi argumentum est: *Si imaginemur, postulante hoc nostro demerito, numquam in vita nostra talia habituros dona.*

§. IV. Differuimus hucusque de dispositionibus ad *Infusam* maximè necessariis, sed de difficiliori, & qua in ipsa Infusa non omnes exercentur Animæ, sed illæ solummodò, quas Deus ad Mysticas, altioresque præordinavit secum communicationes, loquuti non sumus, Purgationem igitur destinatam ad talem Spiritus munditiem, qua par est, ut ad Deum abstractivè videndum cordis purificetur oculis, distinguunt Sancti Bernardus (5), Bonaventura (6), & alii, apud eruditissimum Cardinalem Lauriam (7), in *Activam*, & *Passivam*. Activa est illa, qua Divi-

(1) 2, 2, q. 81, a. 1. (2) *Ibidem.* (3) *Ps.* 55, 4.
(4) *In Castr. Inter. Mans.* 4. (5) *De Scala Claustr. Instructio.*
(6) *De Stigm. Div. Amor. P.* 2, c. 17. (7) *De Orat. Cp.* 6, c. 9.

Divinæ vocanti gratiæ libero nostro cooperamur arbitrio; Virtutibus scilicet hucusque descriptis, terrenas omnes affectiones a corde evellendo; superbiæque tumorem humilitate deprimentes, Spiritus puritati seriò incumbimus adipiscendæ. Passiva verò est illa, qua nostrâ utens, quam illi spontè donavimus, Voluntate, contra naturalem nostri cordis inclinationem, ut nos a terrenis purificet, aliquando operatur Deus; ut sunt permissa infortunia, toleratæ detractiones, toleratæ sæpiùs infirmitates, & similia, in quibus nil aliud nobis remanet, quàm humili resignatione Deo gratias agere, & pati. Prima debet utramque Contemplationem *Acquisitam*, & *Infusam* præcedere (crescente tamen in exercendis Virtutibus paulatim diligentiâ, dum crescunt gradatim mentis elevationes, sine qua cautela neutram debent nimia facilitate Directores admittere); secundâ, ut dixi, non omnes purificantur Animæ, sed illæ tantùm, quas ad altiores cum Deo participationes Divina præordinavit Providentia, quæ regulariter amicabili a Deo taliter exerceri solent severitate, ut nisi toleratæ præcesserint cruces, Divinæ suspectæ sint intelligentiæ. Ut autem clariùs percipiatur hæc passiva purgatio, libet hîc Divi Bonaventuræ afferre doctrinam, qua ipsam discernit in *purificationem aquæ*, & *purificationem ignis*. Aquæ nomine innuuntur externæ internæque tribulationes, quando nempe tum infirmitatibus, hominumque persecutione, tum ariditate, vel suggestione Dæmonum, exagitatus Spiritus, exclamare potest cum Psalmista: (1) *Intraverunt Aquæ usque ad Animam meam*. Ignis autem purgatio est ad Deum tendens, sed quasi a Deo non sensibiliter acceptatus amor, quo voluntas invitata simul, & rejecta, quasi impatiens sui exilii, suspirat; & Deo, suâ ostensâ amabilitate Animam amantem trahente, sed simul amabili quodam rigore aspirantem non elevante, ipsa dilectione dilectum minimè possidente, in delectabili pariter, & doloroso amore liquescit; & corpus ipsum delectabilis doloris redundantiâ torquet, ut Sancta ait Theresia, fassa se nescire, qua Divina arte inexplicabili tormento insatiabiliter gauderet Anima. Hoc igitur intelligibili igne purgatur Spiritus, desiderio Divinorum a terrenis avulsus, & simul Deo fruendi repulsa a cœlestium consolationum aviditate purificatus: *Sicut*, scribit Seraphicus ille Doctor (2): *sicut est duplex purgatio in corporalibus per aquam, & ignem; sic et in Spiritualibus. Prima per dolores frequentes, attritiones, & lacrimas. Secunda, & multò efficacior per consurrectionem ardoris*. Observamus hoc in omnibus Sanctorum Historiis, in quibus notare est non elevasse Deum ad Ecstases, ad Raptus Animas, nisi prius afflictionibus internis & externis longiùs purgatas; itaut scribat Sancta Theresia (3) tales esse contemplativorum cruces, ut nisi eas Deus in vitæ Spiritualis initio eorum ipsas absconderet Intellectui, arduum esset, quòd illis se subjiceret Spiritus. Id omne verificatum in hac Virgine fatebitur, qui, de ea quæ historicè retulimus, legit; qui autem non legit, nec additas has Animadversiones intelliget. Patent lib. 1, Cap. 4, continuæ supernaturales, & dolorosissimæ infirmitates, quæ in ferè toto suæ vitæ decursu

D ex

(1) *Ps.* 68, 2. (2) *De Myst. Theol. P.* 4, *c.* 3. (3) *In Castr. Inter. Mans.* 4.

ex Divino Amore, Animarumque zelo, illam afflixere; quæ clarè demonstrant, ut ipsa in una ex suis Relationibus Episcopo suo Directori fatetur, quòd iisdem Deus, mediâ tolerantiâ, ejus acuebat amorem; trahebatque ex doloribus fortiter toleratis Divinum illud lumen, quod in suis Scriptis effulget; contingente huic Virgini, quod Christus Sanctæ revelavit Geltrudi (1): *Cùm contingit corpus per aliquam passionem affligi, ex parte membri patientis suscipit Anima tamquam aerem solari radio perfusum; & quò universalior, seù gravior est passio, ad puriorem clarificationem Animæ præstat*. Notentur lib. 2, Cap. 12, durissimæ ariditates, acresve, & diu repetitæ, quas passa est, tentationes; & cognoscemus, quòd ex ipsa Spiritus obscuritate, eam Deus ad humilem deducebat Divinæ Voluntati, ut eadem scribit, resignationem: *Acquiescens omni ei quod de me Deus disponebat, videbatur mihi ariditatibus cessantibus, in humilitate, pace, & conformitate non parùm profecisse*. Tentationes insu er eam Crucifixo majori uniebant confidentiâ: *Tormenta* (ipsa dicit) *quæ ex tentationibus patior, media sunt, quibus tibi, o bone Jesu, strictioribus uniar charitatis vinculis*. Ex quibus inferre possumus Deum se familiariùs communicare Animabus illis, quas purgatione passiva, idest, gravioribus exercuit angustiis; quod Divus notavit Gregorius (2), dum legens, quòd Canticorum Sponsa, ut cœlesti frueretur Sponso, vocata fuit ad *Montem Myrrhæ*, concludit (3) quòd *Deus eos familiariter invitat, quos per mortificationem vitiorum proficere conspicit*. Observentur Lib. 3, Cap. 13, horribiles apparitiones, vexationes, flagella, quæ sæpiùs a Dæmonum livore pertulit; & arguemus Mysticum fuisse, ut hæc præcederent prælia ecstaticis visionibus, quas ipsa habuit, & intelligentiis; ut Jacob priùs cum Angelo luctatus est, postmodum dictus Israel, quod significat *Deum videns*; ex quo Sanctus deducit Isidorus non elevari Animam ad abstractivam Dei visionem, nisi postquàm cum Spiritualibus hostibus fortiter præliando Divinam substinuerit gloriam: (4) *Oportet ut priùs sit Jacob luctans, quàm Israel videns Deum*. Has mirabiles hîc retuli dispositiones, ut in Maria Catharina Spiritûs, quas postea describam, Elevationes, a Divina quidem cognoscantur liberalitate, sed mensurentur etiam a magnitudine eorum, quæ prompto hilarique animo pertulit, imò semper magis, ac magis pati exoptavit. Hic quidem primus fuit consilii mei scopus, sed cogitavi etiam utilem fore Animarum Directoribus has Animadversiones, ne facile fidant earum sibi relatis visionibus, aliisque ecstaticis suspensionibus, aut intelligentiis, ni experiantur in ipsis heroicas Virtutes, & jam allatas respectivè dispositiones; sicuti è contra, ubi hæc ad praxim diuturna viderint experientia, ne sint nimis increduli; in his etenim nimia nocet in credendo facilitas, obest e contra fixa nimium in non credendo obstinatio. Protestor autem in iis, quæ dixi, non esse mentis meæ, vel Divinæ bonitati, atque omnipotentiæ in his Mysticis legem, aut modum imponere; aut legentes a Contemplationis studio, exagerata dispositionum difficultate, terrere: *Potens est Deus omnem gratiam abundare facere in nobis* (5); itaut vel

(1) *Apud Lansperg. in ejus Vita, lib. 2, c. 14.* (2) *Cant.* 1, 3.
(3) *Ibi*. (4) *Lib.* 3, *c.* 15. [5] 2 *Cor.* 9, 8.

vel fine omnibus jam dictis Animæ conatibus se ipsum misericordiæ liberalitate communicet, vel præparationes ipsas Anima cooperante supernaturali auxilio perficiat. Rursus, non in omnibus ad Contemplationem properantibus omnes allatæ requiruntur dispositiones. Difficiliores retuli, quia de Anima loquuturus sum ad altiores Dei participationes elevata, cui prælectioni majores conveniunt ad perfectionem conatus. Cæterùm ad *Infusam* allatæ virtutes requiruntur ut plurimum actu: ad *Acquisitam* verò, diligentiâ & desiderio quæsitæ sufficiunt; unde sicut ad illam aspirare esset audacia, sic media ad istam conducentia, quia difficilia, formidare est pusillanimitas. Insistamus Meditationi, & quæ videbantur ardua, paulatim evadent delectabilia. Meminerimus confidentia dictante esse Deum Solem, qui splendet *super bonos & malos*, (1) de quo dicitur: *Non est qui se abscondat a calore ejus*. Dat Deus Animæ primò modicum lumen, scribit Areopagita; (2) sed si illo pro facultate utatur, radios gradatim auget, usque ad metam, quam unicuique providentia præfixit. Correspondeamus ergo moderatis, facilibusque primis inspirationibus, & experientiâ discemus quomodo Deus ad majora nos disponens, adimplebit quod dixit: [3] *Quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam*. Sed si voluntariâ cordis cæcitate contra Divinum hunc Solem oculos claudimus, obstinatâ ad sensibilia propensione ab hoc Mystico igne elongamur, non dispositionum difficultatem, sed Voluntatis aversionem culpemus; si lucem non cernimus veritatis, amoris calorem non experimur; exprobrante nobis Angelico: (4) *Sicut Sol lucet semper, non semper illuminat; ignis ardet semper, non semper calefacit. Sic Deus fluit semper, sed non influit, nisi in recipiente, & disposito*.

ANIMADVERSIO III.

De mediis, quæ ad perfectam dirigunt Contemplationem, & quomodo iis utebatur hæc Virgo.

§. I. NON potest actio esse perfecta, si opportuna ad ipsam non adhibentur media: ut igitur discernamus, an fide dignæ sint Spiritûs elevationes, quæ de Maria Catharina referuntur, & nos examini hîc subdemus; operæ pretium existimavi, qua possum indagine, ad Canonicæ Sanctorum Doctrinæ trutinam perpendere media, quibus ipsa ad perfectam elevata dicitur Contemplationem. Ad quod distinguendum, animadvertamus hujusmodi media esse in duplici classe attendenda. Alia nempe a pura liberalique Dei oriuntur præventione, ut vocantes Gratiæ, & Spiritus Sancti Dona; ad *Acquisitam* videlicet Donum Intellectus, ad *Infusam* Donum Sapien-

(1) *Matth.* 5, 45; *Ps.* 18, 7. (2) *De Div. Nom.* [3] *Matth.* 25, 23.
(4) *Opusc.* 60, *c.* 17.

pientiæ ; & hoc quia, ut notat Divus Thomas, (1) potest quidem nos illuminare Fides, sed quod postea veritates apprehendantur, luce, & amore, ad Dona Intellectus, & Sapientiæ pertinet. Alia autem media respiciunt obedientem animæ cooperationem, qua ipsa Gratiæ, & Donis pro viribus respondeat. De primis ergo hìc nihil agendum; quia de iisdem in Lib. 4, Animad. 6, longius disseruimus; de secundis, quæ ad nos attinent, præsens erit quæstio. Pro quo præmittendum puto, quòd contemplatio, quamvis a Mysticis sæpius *Quies* dicatur, aut *Otium*, (Vide de hoc infra, Lib. 6, Animad. 10, & sequentibus) non tamen est aut mentis, aut animæ, a quacumque actione desidiosa cessatio, sed potius actualis, quamvis delectabilis spiritûs labor, magis vel minus vehemens, secundùm quòd majori, vel minori influentiâ cum intellectu, & voluntate Paracliti dona concurrit. Et quoad intellectum, meminerimus cum Divo Thoma (2) orationem quamcumque, quia propria est Animæ rationalis, ejus opus esse, qui nos dirigit in eo, quod a Divina bonitate petimus, concurrente voluntatis imperio, quo ille ad postulandum compellitur. Id verò multò magis verificatur de contemplatione, quæ cùm sit, ut supra diximus, firmus in veritate jam adepta mentis intuitus, necesse est, ut consistat in intellectu, cui videndi facultas adscribitur, obediente tamen voluntati, quæ amore veritatis ab eodem cognitæ, ipsum impellit, ut in eadem se figat, ad hoc ut ipsa majori fruatur delectatione; unde nos jure docet supracitatus Theologiæ Sol, vitam contemplativam in vi cognoscitiva essentialiter sistere, in Appetitiva verò perfici; illius opus est intueri, istius ad intuendum movere, & firmitatem intuitus conservare: (3) *Vita contemplativa, licèt essentialiter consistat in intellectu, principium tamen habet in affectu, in quantum videlicet aliquis ex charitate ad Dei contemplationem incitatur*. Et re vera quomodò percipere quis posset, qua ratione totali a sensibus abstractione in speculando se ipsam mens figere valeret (quod Carneadi, & Pithagoræ sæpius accidisse legimus) nisi ardens veritatis potiundæ desiderium eam in speculatione immobilem, & quasi a corpore alienatam sisteret? Id operabatur in Philosophis naturalis quædam ecstasis ab effræni verum cognoscendi exorta cupiditate; sed idem multò sublimiùs, & efficaciùs in animabus jùstis agit charitas, eas tantò fortiùs in Deo figens, quantò illius nobilior est cognitio. Ex quo eruitur quòd Divina cum mentis abstractione attributa contemplari, actio est intellectûs; in iisdem autem firmo figi intuitu, imperium est voluntatis; quæ, cùm delectabile semper sit id intueri, quod amamus, in Deo intellectum figit, quia Deus suum centrum est, & suus unicus amor. Sic apud Angelicum (4) scribit Gregorius: *Constituit contemplationem in charitate Dei, in quantum scilicet aliquis in dilectione Dei inardescit ad ejus pulchritudinem conspiciendam*. Idem Divus notat Bernardus, asserens in perfecta contemplatione duos uniri nobilissimos excessus, unum mentis, luminum absortæ claritate; alium voluntatis, sibi ipsi raptæ vi dilectionis: (5) *Duo sunt beatæ contemplationis exces-*

(1) *In 3 Sentent. dist.* 35, *q.* 2, *a.* 2; *& q.* 1, *a.* 3. (2) 2, 2, *q.* 83, *a.* 1.
(3) 2, 2, *q.* 18, *a.* 7, *ad* 1. [4] 2, 2, *q.* 180, *a.* 1. (5) *Ser.* 49, *in Cant.*

excessus, *in Intellectu unus*, *alter in affectu*, *unus in lumine*, *alter in fervore*, *unus in cognitione*, *alter in devotione*. Unicam hujus rei rationem addam, & est; quia cùm in Contemplatione maximè *Infusa*, & signanter in raptibus, & intelligentiis, invisibilis fiat in anima Filii, & Spiritus Sancti Missio, necesse est ut in eadem conjungantur cognitio & amor; imo donum ipsum Sapientiæ, eò quòd in ambabus recipiatur superioribus Animæ potentiis, lumen non dat sine ardore, non illuminat, quin simul accendat; ipsumque Divinum Verbum, quod Animæ se communicat, lux est, sed inflammans, ut bene notat Angelicus: (1) *Non verbum qualecumque, sed spirans amorem. Non igitur mittitur Filius secùndùm quamlibet perfectionem, sed secundùm instructionem, vel illustrationem, quæ prorumpit in affectum amoris.* Consistit igitur contemplatio, ut opus est intellectûs, sed a voluntate imperatum, in cognitione, & amore. Sed quia Divinarum rerum cognitionem haurire non possumus nisi a Fide, & Dei amor non distinguitur a charitate, consequens est ut Fides & Charitas duo sint proxima media, quæ ad contemplationem concurrunt, sic me docet Divus Thomas: (2) *Secundùm potentiam intellectivam homo participat cognitionem Dei per virtutem Fidei; secundùm potentiam volitivam, amorem Dei per virtutem charitatis.* Fides admiratione, simplicique intuitu ad veritates revelatas, & meditatione perpensas, intellectum sublevando, nos ad contemplationem introducit; charitas earumdem veritatum complacentiam quandam in voluntate spargens, in contemplatione nos figit; cum Divo loquutus sum Bonaventura: (3) *Spiritus noster in illo arcano secreto per fidem collocatur, per sanctam charitatem in illo perpetuatur.* Inde est quòd Sancta Theresia suis Monialibus sæpiùs suadebat, ut post satis cognitam meditando veritatem, ad ea, quæ dilectionem poterant suscitare, mentem converterent; & pius Gerson nos prudenter monet modum nos sublevandi contemplatione ad Deum, non in sola consistere cognitione, sed ad vim affectivam, variosque transeundum amoris actus: (4) *Hoc poterit fieri, si in omni cognitione, & meditatione sua de Deo, nequaquam sistat homo in cognitione, sed aspiret per vim affectivam, quasi cordis ore inbiante, in suam potentiam, in suam sapientiam, in suam bonitatem saporandam.* Colligamus ergo ex dictis, in Mysticis, quæ de Mariæ Catharinæ referuntur, a suspicione vindicandis (cujus solius rei gratiâ supradicta ex Sanctorum auctoritate collegi) duo esse contemplationis etiam sublimioris media; fidem scilicet, & charitatem; ac propterea si ex istis exortas videbimus, a deceptione immunes ejusdem fateri cogemur illustrationes, & ecstases; & ut de fide, ut virtutum omnium fundamento, primo agamus loco.

§. II. Ad Divinam unionem, quæ contemplationis est finis, anhelanti fidei firmitatem necessariam esse, hæsitare non sinit Apostolus: (5) *Oportet accedentem ad Deum credere quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Cavendum tamen est in proposito nostro hoc non sumendum esse

(1) 1, *q.* 43, *a.* 1, *ad* 1. (2) 1, 2, *q.* 110, *a.* 4. (3) *De 7 Itiner. Ætern. Itin.* 1. (4) *De Myst. Theol. Practica Industria* 12. (5) *Heb.* 11, 6.

esse de sola fide speculativa, quæ in simplici clauditur de veritatibus revelatis assensu, sed etiam de practica, quæ meditatione, & contemplatione nos ducit ad Deum; dum docens nos ipsum adorare, ut adorari poscit a nobis, idest *In spiritu, & veritate*, æternæ & incomprehensibili intellectum unit veritati; unde scribit Angelicus; (1) *Fides facit hominem inhærere Deo, in quantum est nobis principium cognoscendi veritatem; credimus enim vera esse, quæ nobis a Deo dicuntur*. Hujus fidei taliter ruminatæ effectus est, ut meditationis auxilio in Divinæ veritatis sole firmo, tandem, ut in hac vita fas est, figere nos possimus intuitu, quod nobis promittit Albertus Magnus. Explicans enim illa Areopagitæ verba, monentis Deum contemplari (2) *Immaterialibus, & non trementibus oculis*, scribit, quòd nobis impossibile esset figere in Divina luce oculos mentis, sicut idem non possumus in Solis Disco oculis corporis, nisi fides luminosâ suâ obscuritate Divinum temperans radium, intellectum ita confortaret, ut eum valeret intueri: (3) *Non tremens efficitur lumine fidei confortatus; dicit ergò Dionysius immaterialibus oculis, quantùm ad intellectum, non trementibus, quantùm ad confortationem fidei*. Alter verò fidei effectus non minus ad contemplationem ducens, est (quam supra contemplativis necessariam probavimus) Puritas scilicet cordis, quam ex fide charitate formata, recognoscit Angelicus: (4) *Primum principium purificationis cordis est Fides, quæ si perficiatur per charitatem formata, perfectam purificationem causat*. Contemplatio igitur est actus intellectus, qui oritur simul, & perficitur ab habitu fidei; qua mediante, quasi in speculo, & per enigma pervenit mens, non puro solummodo assensu, sed intuitu, admiratione, & amore, ad contuendum quasi crepusculum æternæ illius Diei, quam expectamus in Patriâ; sic eam describit Card. Lauria: (5) *Contemplatio ut est effectus fide præditi, atque actus veræ fidei, quo Deus videtur per Speculum, & in enigmate, ab habitu fidei est*. Hoc autem quomodo fiat, non est meæ imbecillitatis describere; dicam nihilominus, quod in Sanctis Auctoribus legi, si tamen intellexi. Quærit Divus Thomas, an ratio humana, seu discursus, meritum fidei minuat; & respondet, quòd si consequenter, ad veritates jam firmiter creditas, ut eas profundius penetret, & in eis sibi complaceat, mens ratiocinetur, credendi augetur meritum: (6) *Cùm homo habens promptam voluntatem ad credendum, diligit veritatem creditam, & super eam cogitat, & amplectitur si quas rationes ad hoc invenire potest, quantùm ad hoc ratio humana non excludit meritum fidei, sed est signum majoris meriti*. Quod si verum est; si fides principium est meritorii discursus, quo ejus in meditatione ruminentur veritates, cùm finis in operibus bene ordinatis semper suo respondeat principio, de consequenti fides etiam erit finis, in quo terminetur, seu perficiatur humanæ rationis discursus, directus nempe ad apprehendendas aliquas divinas veritates, in quibus intellectus stabili devotione immoretur. Principium illud est meditatio, finis ille est contemplatio; dum fides ipsa elevat Animam ab eo, quod meditando cognovit ad id sublimius,

(1) 2, 2, q. 17, a. 6. (2) *De Cœlest. Hierarch.* (3) *In Cœl. Hierar. c.* 1, §. 1.
(4) 2, 2, q. 7, a. 2. (5) *De Orat. Opusc.* 5, c. 2. (6) 2, 2, q. 2, a. 10.

mius, quod est veritatis, ut a Deo revelatæ, firmus intuitus, quo veritati, ut possumus hac vita, unimur, & Deo. Multa alia de hoc addere possem; sed ea ad sequentem librum, ubi de hac re rursus agendum erit, ne ea replicare cogar, de industria differo. Sufficiat pro omnibus ipsa praxis. Experiatur quisquis solida, & non fœminili devotione Deum desiderat (aliis enim quàm hujusmodi de his loqui esset inutile). Experiatur, inquam, hunc non otiosum, nec difficilem contemplandi modum, videlicet: Meditetur quis fide innixus ex Dei operibus, Creationis, Redemptionis, & similium, Divinum aliquod Attributum; ipsoque satis ad sibi possibilem cognitionem perpenso, fide ipsa ducente in illo mentem figat; sibi ipsi rememorans æternam esse, quam meditatus est, veritatem; imo fide ipsa elevante recogitet incomprehensibiliter minus vero esse id, quod intellectu assequi potuit, Deumque infinitè quamcumque creatam cognitionem trascendere; & ex hac fidei apprehensione in admirationem, & amorem assurgens, amare conetur, & adorare in Deo, quod humanam rationem transcendit. Quo intuitu inhærens hauriet ex ipso, auxiliante superiori lumine, consequentias, quas ipsa dictabit animi in Deum elevatio, quæ erunt actus humilitatis, adorationis divinitatis, fide & stupore in caligine cognitæ, obedientiæ, spei, & dilectionis, in quibus voluntate jubente mens immoretur. Hoc attamen totum (quod ut ecstaticas elevationes hujus Virginis veluti fide innixas tuear, non ut alios doceam, conscripsi) non omnibus, ac semper convenit. In humili versemur meditatione, donec Deus ad altiora vocet; vocabit autem, ut spero, si virtutibus, & verà sensum mortificatione dispositi, fide imaginationem & humanam rationem, velimus perficere. Fides etenim ad Arcana Dei, ejusque unionem paulatim spe, sedulitate, & perseveranti patientià, viam sternit, ut commentans Areopagitæ dicta, docet Angelicus: (1) *Per fidem conjungimur ineffabilibus, & ignotis veritatis Divinæ, quæ excedit omnem humanam rationem, & cognitionem, suprà virtutem, & operationem nostræ mentis, & intellectus.*

§. III. Est ergo Fides ad quamcumque elevatiorem etiam, & ecstaticam Contemplationem efficax medium, sed sola non plenè sufficit; ipsa siquidem, de qua scripsit Apostolus: *Per dilectionem operatur*, postulat pro secundo, & fortè magis activo principio suarum operationum, Amorem; & ratio est: Quia mens elevari ad *Infusam* non potest, nisi roboretur Dono Sapientiæ; unde dicit Chartusianus, quòd dum mens procedit a Meditatione ad Contemplationem, lumen humanæ rationis non a sola fide confortatur, sed multò magis a Donis Intellectûs, & Sapientiæ: (2) *In hoc cognitionis profectu maximè juvatur mens humana, dum naturale lumen ipsius confortatur lumine fidei, & Donis Sapientiæ, & Intellectûs.* Cùm autem Donum Sapientiæ, ut alibi demonstravimus de Angelici mente, in ambabus superioribus infundatur Potentiis, evidens est non impertiri Intellectui elevatam cognitionem, nisi pariter accendatur in Voluntate ardens amor, quod ab experientia didicerat Mellifluus: *Reve-*

(1) *In Areopag. de Div. Nom. c.* 1, §. 1, *lect.* 1.
[2] *In Dionys. de Myst. Theol. a.* 8.

(1) *Revelatio, quæ fit per Spiritum Sanctum, illustrat ad cognitionem, sed etiam accendit ad Amorem*. Hanc regulam ad praxim existimarem lapidem veluti lydium, quo discernant Directores, cujus sint metalli illustrationes, seu abstractiones illæ, quas sæpe a devotis pœnitentibus, & maximè a mulieribus, audiunt: Si etenim multum anhelant ad cognoscendum de Deo, parum verò ad amandum, argui potest eorum abstractiones similes esse illis, quas de aliquibus legimus Platonicis, qui de Divinis, neglecta charitate, amabant scientiam, unde eorum speculatio superbaerat curiositas. Cavendum hîc tamen est, ne scrupulosæ torqueantur conscientiæ, in Contemplatione *Acquisita* non semper sensibilem esse Amorem, & peculiariter quando in ariditate se abscondítur Amor. Si tamen probè Animæ statum tunc discernamus, cognoscemus, quòd charitas se ipsam prodit, dolore nempe illo, quo Spiritus, quia non amat, torquetur, & de absentia Amoris suspirat; quia, ut Divus ait Augustinus, jam Deum possidet, qui eum flendo quærit, & dolor non amandi argumentum est amoris. Undè in hoc etiam ariditatis casu admittenda est Contemplatio, quæ semper habet pro principio Fidem, Amorem pro fine, ut bene notat Chartusianus (2): *Principium vitæ est Fides, finis verò dilectio*. Adèò certa est in contemplativis hæc Fidei, & Amoris unio, ut hanc auctoritatibus firmare superfluus sit labor. Attamen, ut clariùs percipiatur, duas hujus rei rationes ferre statui, quæ & mihi, & legentibus utilia fortasse erunt documenta. Prima est, quòd cùm Intellectus de sui natura volubilis, & ad varia sit cognoscenda propensus, in firmo illo intuitu, quem diximus Contemplationem esse, vix figi posset, nisi eum figeret veritatis contemplatæ Amor, quo illum sistit Voluntas, quamdiù perseverat fervor. Ubi tacere non possum mysteriosam quamdam inter duas superiores Potentias concertationem, Intellectûs nempe, qui profundiùs cognoscendo Voluntatem accendit, & Voluntatis, quæ accensa illi jubet, ut diutius contempletur, ut magis amet; vicissitudine enim mirabili ex Contemplatione oritur Amor, ex Amore augetur Contemplatio; ut enim naturaliter videre cupimus, quem amamus, & viceversa illius aspectus causa est, ut fortiùs amemus; ita a pari Amor æternæ veritatis a Donis Spiritus Sancti accensus in Anima, illam ad contemplandum provocat, & Contemplatio vehementiorem suscitat charitatis flammam, perseverante hac mutua duarum Potentiarum cooperatione, donec in Spiritu, plenè dominante Sapientiæ Dono, discursivæ suspenduntur facultates Intellectûs, qui in tali statu non amplius dux, sed, ut ita dicam, pedissequus evadit Voluntatis; uti docet Divus Thomas (3), finem Contemplationis in dilectione reponens: *Indè est, quòd etiam terminus, & finis Contemplativæ Vitæ habetur in affectu. Dum scilicet aliquis in visione rei amatæ delectatur, & ipsa delectatio rei visæ amplius excitat Amorem. Unde dicit Gregorius, cùm quis eum, quem amat, viderit, in Amore ipsius amplius inardescit; & hæc est ultima perfectio Contemplativæ Vitæ, ut scilicet Divina Veritas non tantùm videatur, sed etiam ut ametur*. Vellem me ipsum hac doctrina redarguere, meæ expro-

[1] *Ser.* 8, *in Cant.* [2] *In Epist.* 4 *Ignatii Mart.*
[3] 2, 2, *q.* 180, *a.* 7, *ad* 1.

exprobrans lapidei cordis rigiditati, quòd in contemplanda Dei mei amabilitate, tædium ſentio, quia verè illum non amo; ſed ne ultra lectorum patientiam torqueat calamus, ad ſecundam neceſſe eſt, ut properem dictorum rationem, quæ eſt: Quòd æternarum veritatum, in quibus exercetur Contemplatio, Amor magiſter ſit. In quo multi oppoſito decipiuntur errore. Alii ſiquidem, ut de Deo altiora penetrent, multum legunt, & anxioſo exercentur ſtudio, ſed non ea, qua par eſſet, amant charitate. Non dico, quòd ad adipiſcendam Divinæ magnitudinis cognitionem, utile non ſit ſtudium, utiliſque lectio, ſi diſcreta eis utamur moderatione. Si etenim hoc meum eſſet conſilium, Auctor Libri de Spiritu & Anima (1) me jure reprehenderet: *Quantò major notitia, major erit dilectio*. Dico ſolummodò cum Divo Auguſtino, quòd incumbat Amori, qui deſiderat ſcientiam: *Tene charitatem, & invenies ſcientiam;* & cum Gregorio Divinarum rerum perfectiorem notitiam oriri ex Amore: (2) *Ipſe Amor notitia eſt*. Alii elevatiores deſiderant a Deo illuſtrationes, ſibi ipſis ſuadentes plus habere ſanctitatis, ſi plus habeant ſcientiæ. Verum eſt, quòd ſcientia facilis eſt ad contemplandum via, & Sancta Thereſia hanc in omnibus optat contemplativis; ſed verum eſt etiam, quòd ſcire parum juvat, ſi a labore ſolummodo proveniat humano, nec ſupernaturali illuſtraretur lumine, quod lumen a Deo ad menſuram charitatis infunditur: *Secundùm*, inquit Ricchardus a Sancto Victore (3) *Secundùm menſuram dilectionis diſpenſatur & modus manifeſtationis*. Ama, exclamabat ſimplex, ſed Sanctus Frater Ægidius, ama pauper muliercula Deum tuum, & Theologis doctior eris. Id autem accidit, quia Amor flamma eſt Divina, non fatuus ignis, qui luceat, nec ardeat; & luminis gratia, qua illum cognoſcimus, datur a Deo juxtà ardorem deſiderii, quo illum amare conamur, loquor cum Divo Thoma: (4) *Effectus Divinæ gratiæ multiplicantur ſecundùm multiplicationem deſiderii, & dilectionis*. Audacter verò liceat mihi ulteriùs progredi, & aſſerere Deum in hac vita ab Animabus juſtis amari plus poſſe, quàm cognoſci, in quo cum Hugone a Sancto Victore [5] concurrit Angelicus: [6] *Contingit, quòd aliquis plus ametur, quàm cognoſcatur; quia poteſt perfectè amari etiamſi non perfectè cognoſcatur; quia cognitioni prævalet Amor*; addit idem Sanctus Doctor: (7) *Dilectio præeminet ſcientiæ, & major eſt Intelligentia; plus enim diligitur, quàm intelligatur*. A cognitione revera oritur Amor, nec poteſt Voluntas ad aliquod ſe inclinare Objectum, antequam ab Intellectu ſibi proponatur amabile; attamen, reſpectu ad Divina, plus habemus ad amandum, quàm ad cognoſcendum activitatis. Cujus rei cauſa eſt, quia ad hoc, ut Intellectus intelligat, recipere debet in ſe ſpecies, aut imagines eorum, quæ intelligit; & cùm de Deo dari non poſſint ſpecies, quæ perfectè eum repræſentent, haberi non poteſt in hac vita Dei adæquata cognitio; ſed eum in oculata cœcitate fidei, ut nobis fas eſt, & ipſe concedit, Divina percipimus. Voluntas

E e con-

(1) *Cap. Ultimo*. [2] *Hom. 27, in Evang.* (3) *De Contemplat. lib. 4, c. 16.* (4) *In Dionys. de Div. Nom. c. 4, §. Ad hæc, lect. 4.*
[5] *De Cœl. Hier. c. 7.* [6] 1, 2, *q. 27, a. 2, ad 2.*
(7) *In 4 Sent. diſp. 49, q. 1, a. 1.*

e contra nulla mediante specie ad Objectum amatum fertur, sed ut in se est, vel ut demonstrante apprehendit intellectione; ac propterea charitas in amando aliam non habet mensuram, nisi cognitam Dilecti amabilitatem; tantùm amat, quantùm & ipsa cognoscere satagit, & Deus infundit Amoris. Ex Divo Thoma hæc hausi, cujus de hoc varias doctrinas hîc afferre negligo, quia eruditis hæc scribo. Concludam potiùs quòd in amando, si angustiantur in cognoscendo vasa Spiritûs, dilatentur spatia charitatis. In cognitione contenti esse debemus sivè majori, sivè minori lumine, quod Deus nobis donat. *Altiora te ne quæsieris* [1]; in amando autem non debemus termino, aut modo dilectionem coarctare, sed diligere toto corde, tota anima, totis viribus nostris, ut Deus jubet, & majores semper vires ad amandum postulare. Contemplatio substineri debet a Fide & Charitate, a cognitione simul & ab Amore; ab hoc autem potiùs, quia ab hoc plus obtinebit Anima, quàm ab illa; strictiùs Deo unietur, quò plus amabit, de quo certiores nos reddit Angelicus: (2) *Magis recipit Anima secundùm affectum, & vehementiùs movetur, quàm secundùm Intellectum.*

§. IV. Quia omnia, quæ hucusque dicta sunt, non ad alium scopum diximus, quàm ad evincendum Mariæ Catharinæ Mysticas Contemplationes firmis innixas mediis, fide videlicet, & Amore, ac proindè non esse improbandas: remanet nunc, ut luce meridiana clariùs ex ejusdem suorumque Directorum, qui fide digni sunt, relationibus, ejus fidem, & charitatem, ejusdem respondisse intelligentiis, & Raptibus, demonstremus. Et circa fidem: quòd ab illa amaretur ardenti zelo, in Libro I, Cap. IX jam dictum est; quomodo a Donis Spiritûs Sancti ejusdem illustraretur Fides, in Lib. IV, Animad. VI, satis vidimus; quo fervore in orando fidem adhiberet, ex iis, quæ de ejus oratione Lib. I, Cap. VII, & Lib. IV, Animad. IX, recensuimus, clarè apparet; adeout de hoc nihil superesset, quod adderem, nisi dubium a Divo Thoma propositum ad illius heroicam fidem laudandam viam sterneret. Quærit Sanctus Doctor, an Fides in uno esse possit major, quàm in alio; & videretur primo aspectu negativè respondendum. Cùm enim de primis principiis intelligentia in omnibus ratione utentibus æqualis sit, ita credendi habitus in Mysteriis Fidei, quæ in cognitione supernaturali primis assimilantur principiis, dici deberet in omnibus fidelibus idem. Cum distinctione tamen huic dubio respondet Angelicus. Fides dupliciter considerari potest, vel secundùm Objectum quod respicit, vel secundùm subjectum in quo recipitur. Primo modo, si attendatur formale fidei, quod est prima veritas, in diversis Fidès non potest esse diversa. Si verò observemus ejusdem fidei materiale, varios nempè articulos, quos proponit, extensivè fides in aliquibus potest major esse, quàm in aliis. In secundo verò Fidem sumendi modo, quadruplici ratione in aliquibus invenietur excellentior. Prima, & secunda ex majori claritate, & firmitate, qua vel ob perfectiorem activitatem luminis naturalis, vel ob abundatiorem gratiam lucis infusæ, Intellectus credit. Tertia, & quarta ex majori, vel minori promptitudine, & devotione, qua Voluntas imperio fidei se sub-

(1) *Eccli.* 3, 22. (2) *In* 3 *Sentent. dist.* 15, *q.* 2, *a.* 1.

ſubdit, illamque diligit: *Poteſt ergo Fides in aliquo dici major, uno modo ex parte Intellectus, propter majorem certitudinem, & firmitatem; alio modo ex parte Voluntatis, propter majorem promptitudinem, ſeù devotionem, vel confidentiam* (1). Quatuor ſunt igitur Conſiderationes, ex quibus diſcerni poteſt, in quibus Fides fortior ſit, vel debilior; naturalis nempè vivacitas nobilioris Intellectûs, qua aptior ſit ad recipiendas Divini luminis impreſſiones. Extenſio intelligentiæ, qua plura penetrentur Myſteria. Firmitas in credendo contra omnes tentationes immobilis. Et tandem Voluntatis promptitudo, qua ipſa fidem ardentiori devotione diligat. Quæ omnes ad mirabilem teſtandam hujus Virginis fidem, ni fallor, unitæ concurrunt. De ſui agilitate Intellectus, ut inſtrumenti aptioris ad profundiùs apprehendendum infuſæ lucis auxilio id, quod Fides proponit, ſatis loquuti ſumus in Lib. I, Cap. I; & in Lib. IV, Animadvers. I; unde hìc eadem repetere otioſum eſſet. Transeamus ergo ad tres cæteras qualitates examinandas: Et circa jam dictam extenſionem, cognitio, quam ejus mens a Deo illuſtrata recepit, ſe dilatavit, non ſolummodò ad Myſteria, quæ omnibus noſſe neceſſe eſt, ſed etiam ad illa, quæ ad Theologiam magis, quàm ad ſalutem attinent; quod clarè apparebit, quando varias ejus deſcribemus intelligentias, quas in Raptu viſas, ſuis Directoribus ex obedientia transmiſit. Quoad firmitatem verò; meminerimus quoties a Dæmonum livore, & aſtu, ſubtilibus contra fidem argumentis aggreſſa eumdem mirabili vicit mentis immobilitate; de quo in Lib. I, Cap. IX, & alibi loquuti ſumus. Addamus nihilominùs aliqua ex iis, quæ ad rem hanc ipsa ſuis Patribus Spiritualibus retulit, & nos, ne hiſtoriæ ſeriem nimis prolixis digreſſionibus læderemus, in citatis locis prætermiſimus. Aggreſſa igitur acribus, & diutinis tentationibus contra Fidem, ſic ſcribit — *Tentata pariter fui ſuper Myſteria noſtræ Sanctæ Fidei, & Deus, verax Fons omnis boni, Monſtro permittebat infernali, ut mibi ſuggereret rationes adeò tenui meæ capacitati acutas, ſubtileſque, ut ferè Divinæ gratiæ miraculum fuerit, me illis non ceſſiſſe. Vebemens erat timor in aliquem labendi conſenſum, & ob id erant oculi mei quaſi lachrymarum fontes, nec ceſſabam totius mei Spiritûs efficacia a Divinizata Humanitate* [2] *auxilium implorare, quo poſſem inimicum vincere, & fortiter patienterque tolerare certamen, exclamans: O mi Deus, ante regiam, ſplendidamque Majeſtatem tuam, quæ jucundiſſima, & ſapientiſſima eſt Angelorum beatitudo, proteſtor me hæc omnia libenter pati ex tui Amoris intuitu, quem toto corde diligo; & quod impiis antiqui Serpentis propoſitionibus Animæ non aperiam auditum*. Alibi, cùm ex horribili Dæmonum, quam paſſa erat apparitione, acrem contra Fidem contraxiſſet imaginationem, ſic fatur — *Oborta eſt ſtatim horribilis in me contra Sanctam Fidem tentatio. Omnia malignorum Spirituum dicta tela erant, quæ profundè animam meam, & cor vulnerabant; unde continuò dicebam fletu: O mi Deus fac, ut omnipotenti ſcuto tuæ particularis gratiæ adverſariorum aggreſſiones propulſem, quibus omni ſuo ſtudio diligentia, & attentione in mei præcipitium conſpirant; & ut ex bis anima mea proficiat, ita ut Dæmones confuſi ſe in Infernum præcipitent. Capite ad terram*

[1] 2, 2, *q.* 5, *a.* 4. [2] *Vide infra, lib.* 6, *Animadvers.* 3, §. 6.

ram flexo quasi in actu martyrium subeundi, *addebam* : *O mi Deus unice mi Dux*, *unica mea fortitudo*, *millies potiùs mori*, *quàm perversis istis assentiar suggestionibus*; *nec rei alicui*, *quæ sit Majestati tuæ vel levis offensa*; *charior enim mihi tu es*, *quàm totus Mundus*. Ex hoc fletu, ex his orationibus, quas ipsa describit, satis patet in fide sui Spiritûs firmitas; magis enim dolet violentus ad nos dejiciendos impulsus, quò magis stabilitas optatur ab Anima. Timor verò, quem ipsa fatetur, cognitionem exprimit propriæ fragilitatis, & tentationum, quas patiebatur, vehementiam. Orationes verò, quibus sæpiùs, ut inimicorum fugeret fabulationes, cor elevabat ad Deum, docent nos in suggestionibus contra Fidem, absque eo quòd ipsas Meditatione intueamur, & discursu, statim debere ad Crucifixum mentem convertere, siccoque, & brevissimo ad phantasticas imaginationes dissensu, aliò applicationem transferre. Quoad Donum ergo Fortitudinis evidenter patet in veritatibus revelatis inconcussam stetisse hujus Virginis mentem. Quoad Donum verò Sapientiæ, quàm altè esset impressa in ejusdem Voluntate fidei æstimatio simul et Amor, dignoscitur etiam ex laudum facundia, & ardore, quo ipsa in suis celebrat relationibus, de quibus pauca hîc transcribam; multa sileo, ut lectorum evitem tædium. Post elevatam intelligentiam, quam habuit de altioribus fidei Mysteriis, in raptu sic ait : *Rediens ad me ipsam experta sum promptam*, *efficacemque Voluntatem reducendi ad praxim virtutes omnes*, *& maximè fidei* (1), *quæ fundatur super Dei infallibilitatem*, *qui Sapientia est*, *nec potest falli*. *Bonitas*, *mentiendi nescia*, *omnipotentia*, *cui omne est possibile*. *Ipsa fides lumen est nobis demonstrans veritatem eorum*, *quæ credimus*, *speramus*, *amamus*. *Sic actus faciebam perfectæ fidei*, *ardenter cupiens vitam ipsam profundere*, *& sanguinem*, *ut confiterer certam fidei veritatem*, *illamque substinerem*. Aliquando post devictas in materia fidei tædiosas tentationes, ita petit a Deo ejusdem augmentum, eamque laudat his verbis : *O præclarissima Sapientia*, *te per infinitam tuam bonitatem exoro*, *ut in Anima mea lumen fidei conserves*, *& augeas*, *cùm eadem lux sit*, *in qua omnia videmus*. *Est caligo*, *quæ in se ipsa claritas est lucidissima*, *neque in se admittere potest accidentia*, *vel mutationem aliquam*, *quia est perfectissima*, *nec in ea aliquis reperiri potest defectus*. *Veritas est ita certa*, *ut sapientes*, *illuminatæque mentes aliud contra id*, *quod ipsa docet*, *non valeant percipere*. *Est tuba*, *quæ vocat*, *& allicit Animas ad Dei Amorem*, *dicens*: *Transite ad me omnes qui concupiscitis me*, *& a generationibus meis implemini*; *ego mater pulchræ dilectionis*; *Spiritus meus super me dulcis*, *& hæreditas mea super mel & favum*; *Vinum & mustum lætificant*, *& super utraque dilectio Sapientiæ* (notatur hîc quomodo Sacræ Scripturæ Sententiis ad suam accommodat intentionem, & eas, licèt grammaticæ nescia, sinè errore transcribat, quod cùm sæpiùs in suis legamus relationibus fateri, cogimur ipsi Divinum astitisse lumen, sed de hoc alibi, vide Lib. 6, Animadvers. 2.) *O mi care Amice* [ipsa prosequitur] *& dilecte Sponse*, *me solare*, *faciens ut in toto vitæ meæ decursu*, *Anima simul & corde tuæ ineffabili veritati vivam semper attenta*; *sic enim inimicus veritatis confundetur Dæmon*. Multa alia de hujus Virginis erga

(1) *Vide lib. 6*, *Animadvers. 11*, §. 5.

erga fidem, & zelo, & amore, hîc referre utile forsitan esset; sed quia de hoc in Lib. 1, Cap. 9, quamplurimè retuli, brevitati consulens ab otiosa repetitione parco. De ejus siquidem ardenti fide, super quam ipsius nitebatur Contemplatio, hîc, & alibi allata hæc legentibus Commentaria, ut spero, sufficient.

§. V. Conveniens forte esset hîc immorari in demonstrando quàm ardens in Maria Catharina Dei esset Amor, qui, ut probavimus, veræ contemplationis medium est & mensura; sed quid addam iis, quæ in lib. 1, c. 8; et lib. 2, c. 6, sicuti & in lib. 4, Animadvers. 10, longius jam retuli. Ibi si notemus ardentem charitatem, quæ ejusdem cor sensibili etiam inflammabat incendio, non mirabimur, quòd hæc Virgo longissimis, sæpiusque repetitis contemplationibus, mentis oculo divina Attributa, sui Sponsi pulchritudinem, incomprensibilem Dilecti amabilitatem, ab omnibus aliis interius abstracta conaretur intueri. Hic enim ardenter amantium mos est, gaudere in amati visione, imò ejus intuitum in ipsa ebrietate semper magis sitire. Quia tamen in locis citatis de Sancto amore, quatenus movet voluntatem, non in quantùm intellectum, ad quem contemplatio attinet, illustrat, & figit, actum est; cogor hîc aliquid addere iis, quæ de amore, cognitionem solicitante, in superiori tertio paragrapho jam disserui, demonstrando præcipuè quos motus in intellectu excitare consuescat Amor. Et isti, juxtà Angelici mentem, ad tres reduci possunt, qui sunt, ipsum in amati contemplatione figere; cogitationum multiplicitatem colligere in unum, nempe ad Deum, vel ad ea quæ ad Deum spectant; & tandem menti stimulos addere, quibus satagat semper intimius amati perfectiones rimari, & cognoscere. Quoad primum igitur effectum, commentans Divus Thomas dictum illud Areopagitæ, *Amor ecstasim facit*, notat quòd amor, sicut ex alterius amabilitatis cognitione oritur, sic eadem semper majori concupitâ fame nutritur, & crescit: ex quo contingit quod intellectus, animæ oculus, fixus remaneat in intuendo Divina illa attributa, quæ adorat, & amat (1): *Amor ecstasim facit dispositivè, in quantum facit meditari de Amato*. Heu, si omnes, & ego maximè, in divinis perfectionibus meditandis sitim non patior, sed tædium, argumentum evidens est, quòd ejus amore non ardeo. Exarsit quidem charitate cor hujus Virginis, ac propterea contemplatio erat indeficiens suum studium, sua consolatio, sua a cæteris laboribus requies, quòd illa in aliquibus suis scriptis exprimit, iis, qui eam dirigebant, gaudium, quo eas contemplando in Divinis perfectionibus fruebatur, sic fassa: O *mi Deus, amor cordis mei* (2), *arctatam me video, & obligatam ad te amandum propter tuas prærogativas, & perfectiones, summè mihi complacens de bonis intrinsecis, & extrinsecis, quibus in te ipso frueris, de quibus plus gaudeo, quàm si mea essent; non ad aliud, quàm ad te aspiro, confitens quòd, te excepto, nihil est quidquid amatur, vel desideratur*. Et revera quomodo potuisset hæc Virgo tot annis rigorosam illam tolerare solitudinem, qua, exceptis paucis mensibus in publica Animarum salute expensis, ab adolescentia usque ad mortem alibi vixisse

[1] 2, 2, q. 28, a. 3. (2) *Vide lib. 3, Animadvers. 19, §. 1.*

xisse descripsimus? quomodo per plures horas, imo per noctes integras (ut illi in occupatione, & experientia dolorum Christi, & Virginis Matris aliquoties evénit) in contemplatione immobiliter valuisset immorari? quomodo tandem ante Divinam præsentiam, Deique majorem gloriam, se cogitatione, vel intensione ferè semper conservasset, ut ex multorum constat Relationibus, & in lib. 3, c. ultimo apparet, nisi ardens, & violentus amor ejus potentias spirituali complacentia in Dei dilectione fixisset? Secundus effectus, quem in intellectu operatur Amor, est sistere distractiones, & evagationes illas, quibus ipse novarum veritatum naturaliter avidus, de una facile transit ad aliam; quod quale sit contemplationis impedimentum, mystici omnes & scribunt, & dolent. Qua autem ratione a charitate hæc innata firmetur inconstantia, docet Angelicus, asserens, quòd, sicut Amor terrenus disgregativus est, cogitationum Animæ, eas secundùm multiplicitatem rerum sensibilium in varios spargens affectus; sic Amor divinus e contra congregativus est, qui in uno, hoc est in Deo, aut in Dei gloria & beneplacito, curas omnes unit, & colligat: (1) *Amor Dei est congregativus in quantum affectum hominis a multis ducit in unum*. Hanc veritatem experiuntur fortè multi, & de hac ego certè sæpiùs queror, nec inficior evagationes, quas patior, oriri ex terrenis rebus, quas diligo. Sequitur ut plurimum phantasia inclinationem cordis; & quod pejus est, quia voluntas in varias, inutilesque dividitur apprehensiones, ob id mens diversarum, & inutilium cogitationum divisione laceratur. Oporteret igitur de voluntariis meis distractionibus pœnitere potius, quàm mirari, si hæc Virgo in suis contemplationibus tali immutabilitate, dulcique quiete, ita Deo unita remaneret, ut ipsa suis Directoribus de animæ suæ statu rationem reddens, scribit: *Quòd scilicet in Divinis illustrationibus ejus quiescebat Spiritus. Absque eo quod, nec a Phantasmatibus, nec a distractionibus turbaretur; & certè videbatur mihi, quòd nulla humana vis a dulcissimis, castissimisque Dei mei amplexibus me potuisset avellere*. De hac gratia paucis a Deo donata, & ut verè mirabili, suo loco examen differo: Vide lib. 6, Animadvers. 2, §. 6. Notemus modò, quòd hujus fixæ attentionis causa erat amor, qui colligens in Deo omnes affectus, omnes pariter in eo dirigebat cogitationes. Renuntians quippe cuicumque rerum externarum curiositati, sola in domestica morabatur Eremo, ita in se, & in Deo interius collecta, ut ipsa de se scribat: *Nil inveniebam quod me satisfaceret; fugiebam, in quantum permittebat charitas, omnium conversationem*. In exercitiis spiritualibus proposuerat, & scrupulosè observabat. *Statuo vivere cum mente in Deum collecta, absque eo quòd me in rebus distraham sensibilibus, quæ meo profectui impedimenta esse possunt: Statuo negare meis auribus quascumque mundi curiositates, auditum autem interiorem Animæ internis aperire inspirationibus, exteriorem verò corporis, cæteris claudere, exceptis solummodo Dei Verbi concionibus, & Directorum documentis, ut tantum ex iis in via perfectionis sanctarumque virtutum, semper magis, ac magis progrediar*. Quòd hæc omnia inviolabili observaret constantiâ, testes sunt omnes,

(1) *1, 2, q. 73, a. 11, ad 3.*

omnes, qui secum colloquebantur, asserentes, quòd nihil audierunt ab ipsa, quod ad Dei gloriam, vel ad animarum salutem aliquo modo non pertineret; argumentum evidens quòd in Deo suæ fixæ erant cogitationes, & propterea de Deo erant ejus colloquia. Hoc sicut ipsa in se experiebatur, sic aliis persuadebat, scribens ex obedientia cuidam, quem Deo ipsa acquisierat: *Attende ad ducendam vitam puram, atque perfectam. Vive segregatus mente, & affectione abstractus a vanis Mundi objectis. Expedi te ab omni eo, quòd cor tuum movere posset, & amorem attrahere.* Testata est tandem hanc a rebus omnibus terrenis separationem, dum Deo gratias agens de sibi communicato lumine, quo clarius cognovit vanitatem esse applicationem ad terrena, eo quòd solus Deus nostrum mereatur amorem, concludit intelligentiam qua noverat multas Animas in peccato labi, quia a proprio amore seductæ ad sensibilia se retorqnent, his verbis: O *Divine Sol, substantia immortalis, natura increabilis, quàm magna est in me te amandi obligatio, propter innumerabilia beneficia, quæ a te recepi, & actu recipio a tua amabilissima Beneficentia, cùm me tuo superno lumine illustrasti ad cognoscendam hanc ineffabilem veritatem, quòd scilicet tu fons es, in quo omnes continentur rerum omnium perfectiones; & quod variæ hujus mundi delectationes tantam non habent activitatem, & substantiam, ut cor hominis vel semel saturare possint.* Fuit ergo Divinus amor in contemplationibus hujus Virginis fidelis Dux, ejus firmans intellectum, ac per consequens evagationes refrænans, in unam colligendo cogitationem, & maximè desideria, & affectus. Tertia tamen & nobilior, quam in ejus mente operata est ardens charitas, fuit illa, qua solicitabat ipsius intellectum ad penetrandas quantum illi ab infusa permittebatur luce, divinas incomprehensibiles perfectiones, dum non contentus in Divinis Mysteriis simplici memoriâ, & assensu, anhelabat ad profundius cognoscendum Dei attributa. Aspirare ad elevatas intelligentias, ubi non habetur pro fine virtus, & charitas, est perniciosa curiositas, & de hac legitur in Proverbiis (1): *Qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria;* sed desiderium penetrandi, prout nostræ in hac vita cœcitati fas est, & Fidei licet, Divina Attributa, ob finem Deum humilius adorandi, & ardentius amandi, arcana & laudabilis (dummodo importuna non turbet anxietatem) operatio est Divini Spiritus, de quo ait Apostolus: (2) *Spiritus omnia scrutatur etiam profunda Dei.* Supposito igitur, quod certissimum est, finem contemplationis Unionem esse cum Deo; quærit Divus Thomas quomodo in hac vita Deo uniri possit intellectus noster, qui cùm in se recipiendi contemplatam infinitatem incapax sit, non quidem summo bono, sed intelligibili ejus speciei, aut imagini, ut potest, conjungitur. Et respondet unionem intellectûs cum Deo non esse in hoc exilio *Realem, sed intentionalem*, quod ita declarat. Quando amans non simplici acquiescens amati apprehensioni, in penetranda profundius ejusdem amabilitate laborat, tunc quodammodo amati internum cognitione penetrat, atque ob id in intimis se insinuat ipsius; & sic ipsi intentione unitur: (3) *Amans dicitur esse in Amato per apprehen-*

[1] *Prov.* 25, 27. [2] 1 *Cor.* 2, 11. (3) 1, 2, q. 28, a. 2.

hensionem, in quantum amans non est contentus superficiali apprehensioné amati, sed nititur singula, quæ ad amatum pertinent, intrinsecus disquirere; & sic ad interiora ejus ingreditur. Et ecce quomodo in contemplatione Spiritum Deo unit amor. Qui Mysteria fidei non amat, vel parum amat, facilè contentus est simplici assensu, nec in ipsis intima se insinuat cogitatione, quod, heu, nimium in majori fidelium parte nobis experientia demonstrat. Qui autem illa verè, & ardenter amat, ab ipsa solicitatur charitate in iisdem intimis laborare penetrandis, ut eorumdem fortius pretium apprehendat. Ex quo sequitur, quòd intellectus distinctim Divina contemplans Mysteria, in quibus incomprehensibilis, obscuro sed supernaturali lumine, nobis in hac vita Dei lucet majestas, in Deo amoris, & cognitionis, ut ita dicam, ingreditur; & ipsi, sicuti hìc licet, unitur; *& sic ad interiora ejus ingreditur*. Quod ergo Maria Catharina sanctæ unionis cum Deo anxietate compulsa, in contemplandis ejus attributis laboraret impensius, ex multis, quas recepit, patet intelligentiis, & illarum in Animadversionibus, quæ sequuntur, nonnulla afferam fragmenta. Non enim credibile videtur, tot a Divino Spiritu ei infusas esse illustrationes, & fœminili capacitati sine dubio superiores, absque eo quòd in ipsa a charitate accensum desiderium, atque eas adipiscendi ab impetu amoris dictatus labor, præcederet. Discamus nos igitur quòd de Deo parum discit, qui frigidè amat; si etenim in intellectu, quem ut eum cognoscamus ipse dedit, anxietatem, mediâ revelatæ veritatis contemplatione, in illius intima penetrandi videret Deus, luminis supernaturalis abundantiâ nostro responderet zelo, & desiderium exaudiret cordis: *Desiderium pauperum exaudivit Dominus* (1). Unde tam insensata, quam in multis cernimus, Dei ignorantia, non ex rudi provenit intellectu, sed ex frigiditate oritur charitatis. Huic Animadversioni finem imponat utilis Divi Gregorii doctrina, qua nobis suadet in contemplatione uti fide, sed magis amore. Fides siquidem certè Deum demonstrat, sed uti rem, quæ ut plurimum cor parum movet, quia certitudinem ejus non habemus nisi ex auditu; amor verò sensibiliorem in spiritu causat impressionem, gustu, & sapore quodam, cujus infusione Fides, ut ita dicam, evadit quodammodo in experientiam; atque ideo Fides operatur, ardet, perficitur ab amore: (2) *Fide velut fama Deum cognoscimus, amore autem contemplationis, qui fama innotuit, veluti ex ostensione revelatur.*

ANI-

(1) *Ps.* 10, 17. (2) *In 1 Reg. c.* 3.

ANIMADVERSIO IV.

Disquiritur quadam probabilitate Finis, ob quem Deus animabus elevatas impertiatur intelligentias. Et simul proponuntur effectus, qui ex iisdem, si sunt a Deo, proveniunt.

§. I. CElebre apud Theologos est Axioma, *Deus, & natura nihil frustrà*; & jure, quia ex una parte mundi confunderetur ordo, nisi ejus opera finis ipse connecteret; ex alia impossibile est, Divinam Sapientiam in operibus suis altissimum sibi convenientem non intueri scopum, ad quem mirabilia a se patranda colliment, cùm in nobis etiam imprudentia esset sinè prævia operari intentione; imò nec voluntas ad quodvis se inclinare potest objectum, nisi eam præcognitus aliquis finis impellat. Non operatur igitur quæ mirabilia cernimus Omnipotentia, absque eo quòd in ipsis altissimos intueatur fines, quos etsi nobis incognitos scrutari velle temeraria esset audacia; aliquando tamen Divina indulget bonitas, ut ad nostram pateant utilitatem, non solùm videlicet, ut ejus laudemus sapientiam, sed ulterius ut ex finis ipsius evidentiâ, quæ si otiosa essent, veluti accidentalia aspernaremur, quia utilia experimur, opera esse Providentiæ fateamur. Id sicuti Sapientes in omnibus mirantur creaturis, ita, & multò magis verificari debet in Animarum provida cura, & signanter in extraordinariis gratiis, quas nonnullis Divina impertitur misericordia. Potest enim, ni fallor, prudenti probabilitate distingui, utrum mirabile, quod de his audimus, sit vera Dei operatio, an delirium imaginativæ, aut ab humoribus turbatæ, aut a Dœmone illusæ ex attenta indagine, tum virtutum præcedentium, tum accidentium, quæ ex tali communicatione, & ipsi Animæ, & proximis oriuntur proficua: hi enim ut plurimum sunt fines, quos exteriores maximè spiritus elevationes respiciunt; unde concludit Angelicus (1): *Ex fine oportet accipere rationes eorum, quæ ordinantur ad finem*. Hac igitur mensura, cujus sint valoris Mariæ Catharinæ, que referuntur, divinæ communicationes, perpendere ex industria decrevi; ut scilicet utrum legitimæ, an adulterinæ sint, discernantur ex fine. Memoria ad hoc recolamus quid in Lib. 4, Animadvers. 7, & 8, jam probavimus, quòd scilicet otiosa fuissent tot Dona gratuita, quæ ex plurimorum testimonio huic Virgini a Deo collata inficiari non possumus, si directa non fuissent ad proximorum salutem, ad quam præelectam a Providentia exitus ipsi testantur; nunc videamus ulteriùs ad quem scopum, prout prospicere potest mei intellectûs tenuitas, Divinæ communicationes huic Animæ liberaliter a Deo donatæ collimaverint. Procul a dubio est primum finem eorum,

F quæ

(1) 2, 2, *q.* 132. *a.* 1, *ad* 1.

quæ operatur Omnipotentia, majorem Dei esse gloriam; cùm enim qui sapiens est nobiliorem semper eligere debeat suarum actionum scopum, necesse est, ut Dei sapientia altiorem intueatur, & sublimissimum finem, qui est ipse: *Omnia propter semetipsum operatus est Deus*. Vidit hanc veritatem hæc Virgo; ac proindè obedientia movente se induxit ad suis Directoribus scribendas intelligentias, quas recipiebat; ut apud ipsos saltem, (eo quòd ipsa debitas referre gratias ex humilitate non confidebat) Deo aliqua resultaret gloria. Ita ex jussu aliàs nominati P. Bonaventuræ sui Directoris, proprio scribit Episcopo: *Ex obedientia mei Directoris, scribo, quòd Deus eo tempore, quo Exercitia spiritualia peragebam, sua Omnipotentia in me mirabiliter operatus est; ut cum admiratione cognoscatur Omnipotens, & omnis boni auctor, eò magis, quò instrumentum debilius est, & vilius*. Quid de hac scribendi forma, de qua injustè suspicati sunt nonnulli, censendum sit, suo loco examinandum relinquo, (Vide lib. 6, Animadvers. 2, §. 2.); dicam nunc quod sentio. Intelligentiæ quædam in pauperibus mulierculis illuduntur veluti somnia ab iis, qui superbiâ inflantur intellectûs, quasi obliviscantur dicti illius: *Abscondisti hæc a sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis* (1). Verùm si istæ heroicis sint suffultæ virtutibus, nec a fide discrepent, despiciendæ non sunt; gaudet siquidem Deus simplices alloqui Animas, *cum simplicibus sermocinatio mea*, & se Virgunculis humiliando suam gloriam exaltat. Non erravit igitur hæc Virgo sperans glorificari Deum in relatis sui Spiritûs illustrationibus; sicut non erravit Sancta Gertrudes in suas scribendo revelationes, puro mota desiderio, ut ex iis laus accresceret Deo, teste Lanspergio (2): *Deo sperans inde laudes accrescere majores, quàm ipsa omnibus suis exercitiis, cunctisque virtutibus dare potuisset*.

§. II. Glorificat igitur seipsum Deus, cùm Animabus justis suæ bonitatis participat influentias; observare tamen debemus, quòd omnia ad seipsum, & suam dirigens gloriam, ut ad ultimum finem, nostram simul intendit utilitatem; ita ut ejus optantes gloriam, simul nobis mereamur præmium; undè Angelici dictum glossans, (3) *Deus gloriam non quærit propter seipsum, sed propter nos*; addit Cajetanus (4): *Non intelligitur quod ly propter seipsum denotet causam finalem; quoniam Deus gloriam suam, & omnia vult propter se, tamquam finem omnium creatorum, & creabilium; sed intelligitur ly propter, ut denotet terminum utilitatis*. Quo posito, in elevatis Mariæ Catharinæ contemplationibus respicere possumus, ut a Divina ordinatos Providentia, duos fines, qui ambo ad fidem præstandam iis, quæ in hoc Libro dicturus sum, viam sternunt; & sunt: Alta perfectio, ad quam mediis hisce illustrationibus ejus Spiritum elevare decreverat; fructus, quem ab ejus zelo sublimibus, & continuis misericordiis edocto, simul & accenso, in proximorum expectabat salutem. Quoad ergo primum finem, ipsam purificandi, ut antè alios seipsam perficeret, notum est apud omnes ad sublevandas a lapsibus fragilitates nostras duo esse præcipuè media, timorem videlicet & amorem; & ambobus

(1) *Matth.* 11, 25. [2] *In ejus Vita*. (3) 2, 2, *q.* 132, *a.* 1, *ad* 1.
(4) *Ibidem*.

bobus, in illustrationibus huic Virgini impertitis, usus est Deus. Blanditiis enim aliquando in internis allocutionibus majori cor ejus accendebat amore; minis nonnunquam, ostensoque æternæ ejus salutis periculo, salutari humiliabat timore. Apparebat eidem sæpè sub amabili pueruli specie, ut vel ipsa tenella ætas confidentiam alliceret, & dilectionem; elevabat eam aliquando ad degustandum umbratile quoddam Paradisi experimentum; illustrabat Intellectum ejus sublimibus intelligentiis, multisque Divinæ charitatis, veluti industriis cor ejus ardenti devinciebat affectu; de quibus omnibus partim jam diximus, partim in posterum dicemus. Concludamus nunc hæc charismata ordinata fuisse ad fortiùs radicandas in ipsius Spiritu tres Theologicas Virtutes, quarum ope, si eas toto corde sequamur, perficiuntur Animæ. Id bene cognovit hæc Virgo in una, Æterno Patri confitens, ex suis Relationibus -- O *Deus, Virtute propria tuæ Divinæ Essentiæ une & trine; o principium sinè principio, qui ab æterno fuisti; te precor per tuam semper quietam, semperque operantem bonitatem*, (notentur quæso hæc ultima verba, innuentia aliquid Virgunculæ capacitati superius) *ut mihi seraphicam impertiaris eloquentiam, ignitamque tui Divini Amoris flammam, qua te ferventer laudare possim, & tibi, sapientiæ Sol*, (1) *gratias agere, eò quòd tam efficaciter meum illustrasti Intellectum; ut ex immensa, consubstantialique tua bonitate tam sublimes perciperet intelligentias, ad hoc ut crescat in me Fides, augeatur Spes, accendatur Charitatis ardor*. Finis ergo tot illustrationum erat alere in ejusdem Spiritu fortem illam fidem, generosam confidentiam, ferventissimumque Amorem, de quibus alibi satis multa retulimus. Non cessavit tamen Deus secundo uti medio, ad stabiliendam nostri cordis inconstantiam perutili, sancto nempè timore. Testantur hoc, quas amabilibus intelligentiis addidit, minæ; dum Æternus Pater, post profundas cognitiones, quas eidem revelaverat in Raptu, ipsam quasi mysteriosa humilians severitate, ita subjunxit: *Recogita, o Sponsa!, quæ es talis ex Filii mei gratia, quo fine tam magnas tibi indulgeo misericordias, quales non communico tot aliis majoris meriti Animabus, quippè quæ ut columnæ in mea fundatæ dilectione, fortiter tempestuoso cuique resistunt Aquiloni; tu verò sinè his quasi fragilis arundo omni cederes tentationis vento; his tu nutrita fortior evades, & poteris resistere cuicumque calumniæ, contradictioni, & furori antiqui Serpentis. Te tamen miseram, si gratiæ meæ dignis non responderes operibus; essent enim hæ meæ communicationes tibi in Mortis Articulo confusionis, & ruboris, eò quòd ipsis usa non esses eo fine, pro quo easdem tibi impertitus sum; ut scilicet ad montem sanctæ perfectionis velociùs evolares, ubi modus apprehenditur me perfectiùs, & excellentiùs amandi, qui non in verbis, sed in perfectæ virtutis consistit operibus*. Hoc utique modo miscebat Deus, ut hujus Virginis purgaret Animam, intelligentiis minas, timorem amori; undè mirum non est si ipsa hoc profundè penetrans, cœlestia intuebatur dona, quasi contrà nativam humani cordis inconstantiam propinata remedia, in una ex suis collationibus profunda humilitate, filialique timore, sic scribens: O *Deus, fons, undè omne bonum derivat, & in quo nullum invenitur malum, humiliter* te

(1) *Vide lib. 6, Animadvers. 5, a. 4.*

te precor, ut non permittas me umquam tuis abuti gratiis, quas continuò tua mihi participat incomprehensibilis bonitas, ut antidota, quæ me a tuis præservent offensis, in quibus sinè his laberer. Concede mihi, ut hunc finem actualiter videam, æxtimans tuas gratias super omnes Mundi thesauros, vivens in continuo illas amittendi timore; & quòd in illis magis, quàm in me, meus figatur Amor; imò nihil in me, totus in te, ipsas amando hoc unico fine, ut scilicet media, quibus tuam Divinam non offendam Majestatem. Multa alia humilis sui timoris testimonia in Lib. I, II, & III, satis attulimus; hic Divinam precor pietatem, ut hos humilitatis, filialisque timoris sensus, cautâ, sed non pusillanimi Divinorum Judiciorum apprehensione, imprimat in omni Anima, quam suo allicit amore, ut intelligat amabilia, quibus fortè fruitur, charismata, esse quidem dilectionis incentiva, sed simùl timoris artes, quibus a terrenis purgetur Spiritus. His duobus finibus, quibus erga Mariam Catharinam usa est Divina Charitas, addamus tertium, qui fuit accendere in ipsa ferventem, &, quasi dixi, sanctè impatientem de proximorum salute zelum. Ad hoc peragendum usus est jam descriptis mediis, amore primùm, in pluribus intelligentiis eidem demonstrans qua charitate inter ineffabilia tormenta pro Animabus sanguinem fudit, mortem pertulit; qua illustratione admonita fuit, ut ipsa ardenter amaret animas, quas suus Sponsus & redemit, & ut Sponsas incomprehensibiliter amavit, & amat. Ut verò huic amoris calcari aliud adderet timoris, in aliquibus raptibus voluit ut tormenta videret, quibus in Purgatorio & Inferno purgantur, & plectuntur peccata. His duobus mediis ardens accendebatur in ipsa proximorum salutis desiderium; conspirabat enim cum amore, quo animas a Deo ineffabiliter contemplabatur dilectas, compassio, qua de earum, ni pœnitentiam agerent, dolebat tormentis; quæ omnia in ferè toto libro 3, & in lib. 4, Animadvers. 7, & 8, abundè constant; ultra id, quod enarrandum erit in sequentibus Animadversionibus, quando de internis loquutionibus, quibus ipsi se magistrum ostendere non dedignatus est Deus, agendum erit.

§. III. Media, quæ ad aliquem finem efficaciter ordinavit Deus, vacua, & sine effectu remanere non possunt; nemo etenim ejus resistere potest voluntati, nullum accidens turbare prævalet Divinæ Sapientiæ consilia. Ut igitur pateat verè a Deo adhibita fuisse prædicta media ad finem in hac Virgine a providentia intentum, videamus an iisdem convenientes responderint effectus. Haberi non potest evidentiùs argumentum, quo probabiliùs dignoscamus Mysticas Animarum elevationes, & intelligentias, esse a Deo, quàm diligenter observare effectus, qui ab hisce derivant, & Virtutes, quas enutriunt. Monent siquidem nos Evangelia, ut de arborum qualitate non a frondium pulchritudine, sed judicemus a fructibus. Multi sunt effectus, quos Sapientiores Animarum magistri, & præcipuè Cardinales Bona (1), & Lauria (2), sicuti & Sancta Theresia [3] ad discernendum veras a falsis, vel mentitis communicationibus, assignant, eosque majori suadent examinandos cautelâ, quo

(1) *De Spiritu Discr. c. 5, num. 3.* (2) *De Orat. Op. 7, cap. 9.*
(3) *In Castr. Inter. Mans. 4.*

quo elevatiores sunt, quæ referuntur, illustrationes. Ego autem inter multiplices, quas legi, eligam quas credo certiores, majorisque ponderis, ne de singulis loquens nauseam lectoribus moveam, qui apud auctores eos possunt majori inspicere profectu; nec debeo hîc referre nisi ea, quæ ad tuendas hujus Virginis intelligentias (quod unicè mei est consilii) opportuna crediderim. Hos equidem possem compendiosè ad tres restringere cum Chartusiano (1), *Castigatio carnis*, *custodia cordis*, *gloriatio in adversis*; & scio quòd a memoria austeritatum, mortificationis, & patientiæ, quas in his Commentariis jam descripsimus, quasi a legitimis effectibus veritas eluceret gratiarum, quas hîc referam. Sed quia in re tanti ponderis, qualis est de interno Animarum judicium ferre, majori qua possumus procedendum est cautela, liceat mihi evidentiores ad examen revocare effectus, qui ex Contemplatione, & maximè *Infusa*, ad eam non improbandam attentè debent perpendi. Et ut aliquo procedam ordine, eos in duas Classes distinguam; videlicet, quia duo sunt intuitus, in quibus ut plurimùm se exercet Anima verè contemplativa, Deum cognoscere & seipsam; duo pariter sunt præcipui effectus, qui ex vera oriuntur Contemplatione; alii Spiritum deprimunt, veluti in centro fixum propriæ vilitatis; alii eumdem amore, & cognitione ad Deum elevant, quasi raptum supra seipsum; & si hos duos in Maria Catharina, qui consistunt in mysticè opposita, & tamen unita, elevatione, & depressione, concurrisse videbimus, satis constabit, Contemplationem ejus operationem fuisse superni luminis, & singulare Dei Donum.

§. IV. Ambos igitur examini subjiciamus; & ut a primis incipiam, præcipuum in ipsis profundam habere locum humilitatem, quæ eò profundiùs descendat, quò altiùs contemplatio ascendit, hæsitare nescit alibi a me citatus Gerson (2). Imo humilitas effectus est ab intelligentiis a Deo infusis taliter indivisibilis, ut facilius a Divino adipiscatur communicato lumine, quàm a propria meditatione, & labore, ita Sancta docente Theresia (3): *Hæc non acquiritur solummodo per viam intellectûs, sed clara quadam veritate, qua in momento comprehenditur id, ad quod multo tempore laborans non posset imaginativa pertingere, circa nihil quod sumus nos, & totum quod est Deus*. Cujus rei duas afferam causas, prima est, quia ob activitatem, quam habet unum ex oppositis ad demonstrandam alterius pulchritudinem, vel deformitatem (undè videmus in nobiliori candore turpius etiam parvas apparere maculas), quantò magis Animæ in communicatis elevationibus Divina revelatur puritas, eò magis de propria erubescit turpitudine, & vilitate, testante hoc Divo Gregorio (4): *Sancti Viri, dum arcana Divinitatis audiunt, quantò magis contemplando proficiunt, tantò magis despiciunt quod sunt, aut nihil, aut propè nihil se esse conspiciunt*. Secunda causa est, quia quantò clarior est lux, tantò etiam minora, & prius non visa conspiciuntur, & detestantur ramenta; cùm autem in contemplativo major sit lux infusa, tantò evidentiori conspicit, & horret

(1) *Lib. de Fonte lucis, c. 3.* (2) *De Distinct. Verbo Visa, signo 4, sub litera Z.* (3) *In Castr. Inter. Mans. 1, c. 1.* [4] *Lib. 35 Moral. c. 2.*

ret etiam leves suæ conscientiæ maculas; unde contingit, quòd crescente gratiâ, veniales etiam culpas, quas prius negligebat, emendatione tergat. In cujus rei exemplum notat Gregorius, quòd Job se prius credebat innocentem; at quando ad superiorem radium abstractivè vidit Divinam sibi adesse præsentiam, tali illuminatus fulgore se reum fassus est (1): *Nunc autem oculus meus videt te, idcircò ago pœnitentiam in favilla & cinere*. Super quæ verba concludit Sanctus Pontifex, quòd mens nostra, si supernaturali tangatur illustratione, detestabiles in se videt eas minores culpas, quas ad solius humanæ rationis lumen negligebat, ut leves (2): *Quantò magis Gratiæ lumen percipit, tantò magis reprehensibilem se esse cognoscit*. Levium igitur culparum sine phantastico scrupulo, delicata quædam Synderesis, veræ probabilisque in Anima Divinæ comunicationis testimonium est; nec clarius argumentum Divinæ, experimentalisque Præsentiæ in Anima inveniri potest quàm, tranquilla tamen, cordis humilitas. Num autem in Maria Catharina, judicandi a Deo donatas ei intelligentias, ac visiones, de quibus infra, tale habeamus argumentum, sententiæ relinquo eorum, qui hæc Commentaria, vel legerunt, vel legere non dedignabuntur; in quibus notare poterunt in ea tantùm crevisse erga Deum, & proximum humiliationem, quantùm altiores creverunt spiritûs elevationes. Unam tantùm hic observationem tacere non possum, fuisse videlicet valde illuminatæ humilitatis inditium, timorem illum, qui eam in recipiendis Dei donis reddebat de sua tenuitate confusam, futuræque ingratitudinis pavidam. Confusio apud Card. Bona (3), optimum signum est; innuit enim Animam, dum Dei gustat amorem, non oblivisci majestatem. Ingratitudinis etiam pavor demonstrat, quòd Spiritus, quò clarius perfectionem videt, qua Divinæ charitati teneretur correspondere, tantò magis de sua timet fragilitate, dum Anima, utì Divus ait Gregorius (4): *Fit, ut illuminata plus metuat, quia magis aspicit a veritatis semita quantùm discordet*. Quod autem magis est mirabile, in tanta humilitate timor evanescit servilis, remanet castus; & qui alioquin erat inferni, evadit solius peccati horror. Horror tamen tanta conjunctus magnanimitate, ut adhibitâ quantum est in se cautelâ, operosa, sed quieta spe nitatur in Deum; ita subdit Gregorius (5): *Quoties nobis cœlestia demonstrantur, Spiritus quidem pavore se concutit, sed tamen spes præsumit*. Spes, utì probat Angelicus (6), temperato non opponitur timori; illa Divinam, quæ infinita est, respicit misericordiam; hic nostram, quæ licèt magna, limitata tamen est, intuetur miseriam; unde sperare plus debemus, quàm timere. At quòd Anima elevata ad peculiarem Dei, & per consequens sui ipsius cognitionem, vivere possit prorsus sine timore, fateor, quòd mea mens non valet percipere; unde non miror dixisse Sanctam Theresiam, quòd a Deo sibi communicatæ misericordiæ erant cordi suo quasi quædam amoris flagella, plus humiliabatur a Donis, quàm torqueretur a pœnis; quod Sancta Maria

(1) *Job* 42, 6. (2) *Lib. Mor.* 35, c. 15. [3] *De Discr. Spir. c.* 12, *num.* 3. (4) *Lib.* 5 *Mor. c.* 21. (5) *Lib.* 5 *Mor. c.* 23.
[6] 2, 2, q. 27, a. 3.

ria Magdalena de Pazzis (1) anxiè suo sæpius diceret Confessario; *Heu Pater, Salvabor?* quòd Sancta Catharina Senensis jam morti proxima Divinorum Judiciorum horreret apprehensione. Non, inquam, de his miror; stupeo potius, quòd aliquæ Animæ si tenuem quandam orando sensibilem, & non semper a Deo infusam senserint consolationem, quasi suarum oblitæ culparum in stolida statim vivant securitate. Timeamus, me ipsum moneo, timeamus, cautelâ tamen, non pusillanimitate. Sit humilis, sed confidens timor, qui nos a terrenis avulsos ad Crucifixi pedes perducat. Hac vivebat lege hæc Virgo, humilis in se, magnanima in Deo. Quod quamvis alibi satis declaratum sit, hìc tamen, ut efficax veræ contemplationis effectus, & argumentum ex aliquibus ejus relationibus, ultra ea, quæ in præcedenti transcripsimus Animadversione, juvat colligere. Donata a Deo in raptu cœlestibus Divinisque cognitionibus sic Ecstasi finem imponit: *Sublimes Intelligentiæ, quæ omne id revelata videtis facie, iisdemque indicibili fœlicitate, suavitate, & pace fruimini, vos ardenter precor, ut apud Altissimum fundatis pro me preces, ut non permittat me suis magnis abuti misericordiis; ne amarissimæ in mortis articulo mihi sint confusioni; sed dicere possim cum Apostolo: Gratia Dei in me vacua non fuit.* Alibi post visionem, quam habuit in raptu de Purgatorii pœnis, sic loquitur: *Te humiliter precor o Deus unicum bonum, unicèque ab anima mea dilectum, ut digneris exaudire hanc miserrimam Creaturam, manuum tuarum opus; illamque præcipua tua gratia sic protegere, ut post tot a diviti tua bonitate mihi collata Dona, ex mea miserabili fragilitate in miserias non cadam, & ingratitudines; sed mihi sint merito pariter, & confusioni, me horum cognoscenti indignam; & quòd firmiter existimem, talia te mihi impertiri, quia his omnibus egeo, ut salver, & tibi perfectè finali correspondeam perseverantiâ.*

§. V. Humili huic, discretoque timori, addamus alios veræ Contemplationis effectus; inter quos præcipuus est Amor, qui a Divinitate accenditur contemplata. Quòd *Infusa* maximè, sicut proles est, sic parens, quodammodo deveniat amoris, jam satis probavimus, & addi potest, quòd sicuti in Cœlo beati Spiritus ardentissimè Deum amant, quia ipsum clarè vident, sic (servata tamen proportione, quæ inter Visionem intuitivam esse debet, & abstractivam) quò majori lumine in summo illo bono mens figitur, eò majori Voluntas ardore ad amandum movetur. Quàm violentas autem charitatis flammas accenderent in hac Virgine frequentes, quibus fruebatur, Spiritus elevationes, in Lib. 1, Cap. 8; & Lib. 2, Cap. 6, sicuti & in Lib. 4, Animadvers. 4 jam diximus; & ego Sapientiorum prudentiæ relinquam decidere, an sæpiùs replicati Raptus, mysticæ, & quasi continuæ ex Amoris violentiâ infirmitates, impetus, a quibus extra se rapiebatur anxietate quærendi Animas, quæ suum amarent Dilectum, martyrii ardentia desideria, patiendi insatiabilis fames, continui pro Animarum salute perpessi labores, argumenta sint sufficientia, ad evincendum exarsisse in hac Anima mirum Divini amoris incendium, qui elevatæ contemplationis consuetus

(1) *In ejus Vita.*

tus est effectus & incontroversum signum. De amore igitur in corde ejus contemplationis statu semper magis ac magis inardescente, non est ambigendum, si multis, & spectatis relatoribus fidem aliquam non negemus; hujus autem amoris a contemplatione derivantis aliquos effectus verè mirabiles hìc referre libet, ut dignoscamus an vera, & a Deo infusa esset Virginis hujus dilectio. Ad primum igitur discernendum, considerare oportet, quòd *Infusum* semper sequitur delectatio, de qua in sexto libro nonnulla erunt ponderanda. Ex hoc autem spirituali gaudio oritur quædam liquefactio animæ, qua dissoluto a Divina Verbi præsentia cordis gelu, ut totus in suo se ingerat Dilecto, liquescit Spiritus; ut Sanctæ Theresiæ, quærenti quid ageret anima sua in tali statu, Cœlestis Sponsus respondit (1): *Totam se liquefacit, o Filia, ut se ponat in me; jam non est ipsa, quæ vivat, sed ego*. Ab hac Animæ liquefactione, seu mystica sancti amoris ebrietate, quam in Cellariis divinæ charitatis contraxit Spiritus, alter nasci solet effectus, & est contemplandi avida sitis; quia *Qui bibunt me, adhuc sitient*. Sapor enim spiritualis, quem in Deo gustavit voluntas, denuò eodem fruendi ipsam sitire cogit; & sicut in Patria Beati semper magis optant Deum videre, quem semper vident: *In quem desiderant Angeli prospicere;* sic in via, Divina amabilitas eò magis desideratur ab iis, qui eam plus degustant; unde contingit Animam Dei sui ecstaticâ fame nauseare omne id, quod Deus non est, vel ad Dei non pertinet gloriam; quæ quidem terrenarum rerum nausea alter est effectus, ex *Infusæ* contemplationis oriens amore; atque ob id efficiens, ut ipsa proprium depellens amorem a corde, non solummodo exteriorum omnium, sed etiam quodammodo obliviscatur sui; mirabilis certè proprietas, quam pluries citata mysticorum Magistra altioribus adscribit intelligentiis, scribens quòd in ultimo unionis gradu (2): *Primus effectus est talis oblivio sui ipsius, ut quasi videatur amplius non esse; ita enim vivit, ut quodammodo se non cognoscat, nec recordetur aut Paradisi, aut vitæ, aut mortis, tota enim fixa remanet in quærenda Dei gloria*. Id autem provenit, ut Divus asserit Bonaventura, quia cùm Anima unitur Deo ita remanent in ipso absortæ ejusdem potentiæ, ut sicuti ipsa nescit aliud amare, quàm Deum, sic pro illo tempore nec cogitat, nec optat, nisi beneplacitum, gloriam, & possessionem Dei unicè a se dilecti (3): *Ita inhæret Deo, ut omnes affectus in amoris gaudio uniti, in sola fruitione Conditoris suaviter quiescant*. Hos tres effectus ecstatici contemplativi amoris in paucis videmus, & in paucis illis non semper, sed pro illo solùm tempore, quo dignatur Deus Animam elevare in se suspensam, sibique unitam. Spiritus enim Sanctus non continuò tali vi influit in animam, *Spiritus ubi vult spirat*; & Anima ipsa ex naturali nostrâ incostantiâ suas patitur vices, nec semper in eodem perseverat statu, unde non supponamus Mariam Catharinam in eadem æqualiter permansisse semper descripti amoris fruitione; tentationes, ariditates, siquidem expertam sæpius jam demonstravimus. Verum tamen est duos ex

(1) *In ejus Vita c.* 18. (2) *In Castr. Inter. Mans.* 7, *c.* 2.
(3) *De profectu Relig. lib.* 7, *c.* 16.

ex prædictis effectibus, mundanarum scilicet rerum nauseam, & oblivionem, in eadem observatos a multis fuisse, plus vel minus evidentes, semper tamen perseverantes; ex quo inferri potest ejus contemplationem, uti talium fontem, veram fuisse, atque perfectam. Gaudebat illa taliter de experimentali Dei præsentiâ, & Divinorum attributorum spirituali intuitu, ut in istis fidei memoriâ saltem, si non actuali semper mentis elevatione, indesinenter absorta, de aliis quàm de Deo, vel de Divinis, proximorumque salute, & perfectione, loqui nesciret, sequente, utì solet, linguâ cordis affectum; nec tædium erat illi, ut plurimis accidit, continua solitudo, immò in ipsa recreabatur Spiritus, anhelans ad intimè agendum cum Deo, cæterorum oblitus, & nauseans. De his omnibus satis alibi diximus; perpendamus hìc aliqua de illius interna animi liquefactione, quam supra inter veræ contemplationis effectus numerandam probavimus. De hac, ut interius operatur in spiritu, aliquid loqui non audeo; quatenus verò ex amoris abundantiâ redundat in sensibus, in eis pariens infirmitates, & deliquia, (de quibus jam in lib. 2, c. 1; & in lib. 4, Animadvers. 4, satis agimus) remanet ut de ea, ut mei moris est, in aliquibus ejus relationum fragmentis ad praxim clara addamus testimonia: *Remansit* (de quadam ecstatica sua Visione ipsa scribit) *Remansit intimè cor meum ardens ex viva, dulci, suavi flamma puri, Divini, & sancti Amoris, itaut liquefierem, exclamare coacta, cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum*. Liquefactionis autem hujus evidens est argumentum ardens Deum laudandi, eique gratias agendi desiderium; violenti enim amoris impetus quasi impatiens Anima, eumdem in Divinas prorumpendo laudes, lenire conatur, quod multoties fecisse hanc Virginem, multa ejus testantur scripta, unum tantummodo brevitatis gratiâ hìc transcribamus, post multas siquidem a Deo acceptas illustrationes in Spiritûs fervore, sic exclamat: *Invoco, & totâ mei Spiritus vivacitate precor omnes, Paradisi beatas Animas, ut mihi auxiliari dignentur in laudando tuam, mi Deus, liberalissimam bonitatem; & orando ut in me hoc lumen conserves, & augeas*. Certiùs tamen jam descriptæ liquefactionis signum est, ut alibi dicemus, totalis, & perfecta nostræ voluntatis in Divinâ resignatio, integraque omnium nostrum in Divina Providentia, nostrarumque rerum derelictio. Qualis verò in hac Virgine esset propriæ abnegatio voluntatis, docent ejus scripta, in quibus de hac virtute sæpesæpius, & disertè loquitur; unum ex illis quasi in hujus veritatis testimonium, hìc mihi libet referre. *Quæ* (de hac resignatione scribit), *quæ simplicissimum est totius christianæ perfectionis principium, & finis, ut fons, & origo, a qua omnes emanant virtutes, & est earum natura, & essentia, in ea enim, ipsæ ad suam reducuntur unitatem, cum multiplicitate elevatioris perfectionis. Dei igitur operante bonitate, Dei beneplacito vivo resignata in omnibus, tam in patiendo, quàm in non patiendo, tam in operando, quàm in non operando, non reposcens a Deo me ipsam, respiciens omnes meas actiones in Christo, & per Christum, ac dicens cum Apostolo, vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus. Est voluntas Divina nodus amoris & laqueus amantis erga amatum; est ebrietas quædam, quæ facit animam sui ipsius oblivisci, in Deo suam*

amittens proprietatem (1) ; *sicuti enim Vini stilla in aliquo projecta flumine, vel in Oceano, colorem amittit Vini, & saporem, & transformatur in aquam; sic remanet anima privata, & nuda omni humano desiderio in Divinâ immersa voluntate; & quasi volendi impotens nisi id, quod vult Deus.*

§. VI. Fateor, quòd vota mea excitaret sic descripta meæ Voluntatis resignatio; sed, heu! ad hanc perfectè adipiscendam requiritur integra contra suggestiones proprii amoris victoria, passionumque cordis, quæ multoties nos impellunt ad id volendum, quod non vult Deus. Hæc nihilominùs victoria, quamvis implorato Dei auxilio, continuoque contra nos ipsos præliandi labore obtineri possit, faciliùs autem, & perfectiùs, ut Sancta asserit Theresia, ab *Infusâ* adipiscitur Contemplatione; tunc maxime, quando sæpiùs donantur a Deo replicati Raptus, aut Ectases, vel saltem experimentalis conceditur Dei præsentia. Cedunt enim paulatim infusæ charitati passiones; & qui ventis imperavit, & mari, tumultus ita inferiorum potentiarum compescit, ut vix audeant contra rationem assurgere. Ut autem de hoc etiam loquamur veræ Contemplationis fructu, animadvertendum est ipsius effectus ad instar annulorum in cathena ita inter se connexos, sibi ipsis succedentes esse, ut unus nascatur ex altero. Contemplatio etenim Amorem parit; Amor cùm adolevit, amati desiderio cæterorum nauseam gignit; hæc resignationi viam sternit; ex his duobus ultimis pax Spiritus resultat; & hoc quia Anima Amore saucia, suo vulneri proficuum, excepto amato, balsamum non experitur; undè cuncta, ceu sibi inutilia, & seipsam odio habens, faciliùs Dei Voluntati, ut unicè amati, quadam charitatis liquefactione se subjicit. De hac igitur intimâ Spiritus pace, de qua alibi egimus, & agemus, statuimus ipsam ab *Infusa* emanare Contemplatione, quatenus per jam dictos gradus charitas de inferioribus triumphat potentiis; quibus edomatis faciliùs Dei beneplacito se subdit ratio, ab interiori non turbata tumultu. Contemplatio siquidem, ut scribit Justinianus (2): *Cunctas inferioris hominis inordinatas affectiones sub rationis contendit deprimere imperio.* Quòd posteà hunc nobilem effectum intimæ pacis operarentur in Maria Catharina frequentissimæ sui Spiritus elevationes, innotescit ex mirabili ejus cordis a terrenis quibuscumque alienatione, de qua in Libro I, Cap. XIV, & alibi egimus. Flocci faciebat ipsa quidquid est visibile, & Deo solebat dicere: *Nihil est omne quod extra te diligitur, aut desideratur; etsi creaturæ omnes me amarent, non in ordine ad te, contenta essem, ut ab Amore desisterent mei ipsius, ut te diligerent, quia tu dignum es Objectum omnium cordium amoris.* Elevata quondam ad contemplandas intellectualiter Divini Verbi pulchritudines, sic Episcopo scribit suo Directori: *Vidi Verbum Divinum, quod dulciter recumbebat in immenso Patris sinu* (3), *cum eo Divina identificatum essentia, cum distinctione tamen personali. Mihi suum ostendit amorem, pulchritudinem, & splendorem, & quòd istæ prærogativæ derivant a secunda origine Divinæ Essentiæ, in qua ineffabili modo unitur quidquid pretiosum,*

(1) *Vide lib. 6, Animad. 9, §. 3, &c.* (2) *De Casto Connub. loc. aliàs cit.*
(3) *Vide lib. 6, Animadv. 3, §. 7.*

tiosum, quidquid amabile, quidquid pulchrum, aut desiderabile dari potest, aut concipi, cùm sit infinita delitiarum abyssus, cui nec dedit principium æternitas, nec tempus dabit finem, (ecce sublimis hujus Visionis effectus) *quæ perfectiones furatæ sunt omnes cordis mei affectiones, adeout nihil imposterum amare, aut desiderare potuerim præter Deum meum*. Ex hac igitur effectuum unitate, qui a charitatis attractiva in uno congregabantur Deo, ex hac passionum subjectione, quæ vel vi domitæ Amoris, vel mortificatæ gaudii, a potentiis superioribus in inferiores redundantiâ, tumultuari non audebant, oriebatur in hac Virgine pax illa Spiritus, qua in fælicibus æqualiter ac in adversis frui ipsa suis fatetur Directoribus, scribens, quòd *Ex replicatis Dei Donis retrahebat Divinam, intimam, & tranquillam animi pacem, itaut meo etiam indicerem corpori; jubilemus Deo salutari nostro*. Sed derivabat etiam pacifica illa proximorum justis desideriis condescendentia, quam alibi mirati sumus, & Gerson inter effectus veræ Contemplationis enumerat; Angelicus autem (1) proximorum adscribit Amori, a quo possessa Voluntas, quia nihil pro se desiderat, facilè vult, quod ex licitis alii volunt. Ab hac duplici pace interna & externa, conservabatur sancta illa, & ædificans hilaritas, quam procedentem & a conscientia, remorsibus non turbata, & a Spiritu elevato super cordis passiones, utì sentiunt Sancti Bonaventura (2), & Justinianus (3), quotquot eam alloquebantur, in ejus mirabantur vultu; & ut alibi dictum est, magnes quædam erat, a qua peccatores alliciebantur ad pœnitentiam. Nec mirum erat, quòd tam læta appareret in modesta vultus specie, quæ spiritualem lætitiam ex propria synderesi, divinisque repetitis communicationibus, gerebat in corde, dum a Cardinali Bona (4) hæc verecunda hilaritas boni Spiritûs æstimatur argumentum.

§. VII. Evidentior *Infusæ* Contemplationis, & ecstatici Amoris effectus, ardens est patiendi desiderium; illa enim Crucifixi a se dilecti tormenta recolens, hic suo more amantem in Amatum transformans, conspirant ad hoc, ut dolorum Regis in Anima, tolerantiâ pingente, forment imaginem. Hinc videmus in Animabus præcipuè a Deo dilectis exarsisse semper inexplebilem patiendi sitim, dicente Sancta Theresia: *Aut pati, aut mori*; respondente Sancta Maria Magdalena de Pazzis: *Pati, non mori*. Quòd autem hoc veri Spiritûs argumentum habeamus in hac Virgine, ex iis, quæ in ferè toto primo, secundo, ac tertio libro, & alibi exarata sunt, evidentissimè constat; nec est cur hìc otiosè repetamus. Remanet tamen ut dubium, ex cujus solutione veritas hæc patebit, enodemus. Diximus enim hìc, & alibi, in *Infusa* Animam Spirituales, sed maximas experiri delectationes; hæsitabit ergo nescio quis, quomodo tolerantia, quæ Contemplationis certus est fructus, reperiri possit in hac Virgine, quæ tot, tantisque a Deo sibi præstitis fruebatur consolationibus? Respondeo cum Divo Thoma, in duplici sensu sumi posse delectationem; sensibilem nempe, quæ partem tangit Animæ inferiorem; & Spiritualem, quæ a sola superiori, videlicet a Voluntate, per-

G 2

(1) *2, 2, q. 29, a. 3.* (2) *De Prof. Relig. c. 5.* (3) *De Casto Connub. c. 3.* (4) *De Discret. Spirit. c. 8, num. 13.*

percipitur [1]: *Delectatio appetitûs sensibilis est cum aliqua transmutatione corporis; delectatio autem appetitûs Spiritualis, nihil aliud est quàm simplex motus Voluntatis*. Prima aliquando, sed raró, utilis est, & dignoscitur provenire a Deo, si illâ contemplativus non avidè fruatur, sed eâ ad se magis humiliandum, & Deum ardentiùs utatur amandum; ita censent Beatus Joannes a Cruce [2], & Card. Bona (3). Secunda verò nobilior & tutior, interiùs Deo unita inter exteriores tribulationes veluti in suo centro immobili fruitur pace, Deique Voluntatem eâdem confidentiâ æqualiter intuens, sensibiliter patiens, Spirituali, sensibusque incognito perfruitur gaudio. In quo casu impertitur Christus se amantibus similitudinem quamdam sui ipsius, in quo simul cum Beatitudine Spiritûs tormenta uniebantur corporis. Has igitur simili dolore permistas experiebatur Maria Catharina Spirituales consolationes. Apage, quòd sensibiles quæreret; de hoc enim fugiendo defectu clarè nimis a cœlesti suo Sponso fuit pluries edocta. Cùm enim in se de imaginaria quadam Visione nullum sensisset cordis motum, sicuti tunc erat non adhuc in Divinis plenè erudita, hæsitare cepit a Deo illas non provenisse; cui cœlestis Sponsus, ejus occurrens dubio, sic in Spiritu interiùs est allocutus – *Arbor, quæ non profundè in terram radices figit, paucos fructus affert; ita et gratiæ meæ si in superficiali remanerent cordis delectatione, parùm fructificarent; quando autem altè penetrant Animam, multum fructificant*. Iterum simili anxia timore audivit a Christo interiùs illam docente, quòd *Visiones Intellectuales obscuriores sunt, quàm imaginariæ, & minus habent sensibilitatis, nec ita fortiter sensibilem Amorem promovent; contigit siquidem Animæ sicuti duobus, qui amantur a Rege, quorum uni Rex allicientia, & exteriora exhibet Amoris signa, non alteri, quamvis secundum plus amet; Anima a pari, quæ habet sensibiles imaginarias Visiones, plus Amore inardescit sensibili, quàm altera, & plus a Deo apparet amata. Verùm si sensibilitas illa deficit, tepescit Amor; in altera e contra non tepescit dilectio, quia in Voluntate radicatur, non in sensu*. His igitur erudita non quæsivit in posterum ipsa sensibiles delectationes, sed pati avidè cupienti, tormenta interna, & externa erant concupitæ consolationes, & de his eam saturabat Divinus Amor, qui cùm eidem prædixisset, quòd ejus Animam fovebat ut Sponsam, corpus castigabat ut inimicum, hoc proficuâ semper secum adimplevit severitate; adeout Visionibus, Intelligentiis, Raptibus, cæterisque, quibus eam cumulabat præcipuè charitatis argumentis, conjungerentur semper cordis palpitatio, sanguinis vomitus, totius corporis acres dolores, aliæque infirmitates, de quibus longiùs actum est in Lib. 2, Cap. 6; & in Lib. 4, Animadvers. 4. Ubi devota lectoris erudiri potest curiositas. Hæc mirabilis unio, in qua delectatio simul, & pœna, unitæ conspirant, non adeò nova est, ut de ipsa pluribus in locis Sancta non loquatur Theresia, asserens (4), quòd Spiritûs elevationes, *quædam videntur mortis agoniæ, excepto quòd quamdam secum ferunt suavitatem, quam nescio cui assimilare possim*. Sed meliùs hoc videre licet in Psalmis, in quibus David modò pro-

(1) 1, 2, *q.* 31, *a.* 4. (2) *Ascen. ad Mont. Carm. lib.* 2, *c.* 7.
(3) *De Discr. Spir. c.* 12, *num.* 3, & 4. (4) *In ejus Vita, c.* 20.

protestatur se in Dei memoria delectari : *Memor fui Dei, & delectatus sum*; modò ex eadem amaros retrahebat fletus: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte, dum dicitur mihi quotidiè, ubi est Deus tuus*. De hac verò gaudii simul et doloris commistione rationem reddere non ego præsumam, quam adducere, nescivit Theresia; dixi tamen aliquid, a Sapientioribus haustum Mysticis, in Lib. 4, Animadvers. 4, §. 2; hic tantùm duas addam causas, quas ibi non retuli; & sunt, Dei desiderium, quod Animam intolerabili stringit anxietate; & peccatorum, quæ vel ipsa commisit, vel proximos patrare cognoscit, acerbus dolor, eò magis Spiritum angens, quò magis amatæ bonitatis contemplatur injurias. Ex hoc contingit, quòd Amor per se delectet, per accidens torqueat, ut notat Angelicus [1]: *Gaudium charitatis potest habere permistionem tristitiæ; prout scilicet aliquis tristatur de eo, quod repugnat participationi Divini Boni, vel in nobis, vel in proximis, quos tamquam nos ipsos diligimus*. Immoratus sum forsitan nimis in describendis effectibus, qui observari debent ad discernendas prudenter extraordinarias Animarum illustrationes. Otiosa tamen, ut spero, mea non erit prolixitas, si ex his conditionibus in Maria Catharina, ut in hisce legi potest Commentariis, plenè adimpletis, arguere probabiliter quis velit a Deo verè provenisse mirabiles ejus mentis, quas referam, elevationes. Et insuper ex his colligent Animarum Directores ex effectibus mensurandas esse Contemplationes, sine quibus jubet prudentia, ut relationibus pœnitentium suspendatur fides; horum tamen si longa, & cauta habetur experientia, devotio non patitur, nec charitas, ut indistinctim omnia, velut phantasiâ dictante, somniata, aspernentur charismata; admittenda aliquando sunt, si allati effectus consentiant, hac tamen cautela ad occurrendum gulæ Spiritualis periculo, ut doceantur, & maximè mulieres, ne in delectationibus, quas sentiunt, degustandis otiosè immorentur, sed sapore illo utendo, non fruendo, celeriter ex illo ad Divinam bonitatem, & cætera, quæ ad Virtutes, & fidem pertinent, mente pertranseant, & præcipuè ad Actus Contritionis, & de Divinis offensis tristitiam, docente Angelico (2): *Devotionem primò, & per se consequitur delectatio, secundariò autem tristitia, quæ est secundùm Deum*.

ANI-

(1) *2, 2, q. 28, a. 2.* (2) *2, 2, q. 82, a. 4, ad 6.*

ANIMADVERSIO V.

Quomodo ad jam assignatos, vel in posterum assignandos, Contemplationis gradus, paulatim Deus elevavit hanc Virginem.

§. I. POstquam de Divino lumine Mariæ Catharinæ a Divina bonitate participato, & de labore, quo ipsa se ad contemplationem *Infusam* Deo auxiliante disposuit, necnon de effectibus, a quibus ei impertitæ a Deo dignosci possunt communicationes, abundè pro mea tenuitate dissérui, tempus est ut ad ejus intelligentias, mentisque elevationes perpendendas progrediar. Verùm quia, quæ sunt a Deo, ordinata sunt, utile opinor animadvertere prius ad ordinem, quo ipsam gradatim a minoribus ad majora Divina perduxit Providentia. Hic tamen testor non esse consilii mei mysticis legibus omnipotentiam Dei subdere; dicam solummodo quòd, sicut in mundi creatione ab inferioribus initium sumpsit, progressurus ad formationem hominis, qui nobilius Divinæ manus est opus, ita in rebus mysticis, & muneribus gratiæ, ex minoribus regulariter incipit ad majora progressurus, elevans animam, dummodo ipsa cooperetur, de uno gradu ad alium perfectiorem, & tandem ad intimam sui ipsius participationem. Multi sunt isti *Infusæ* contemplationis gradus, qui apud auctores legi possunt; ego autem omnes ad tres præcipuos compendiosè reducam, & sunt: *Oratio recollectionis*; *Oratio quietis*; *& Oratio unionis, sivè Mystica Theologia*, in qua Ecstases includuntur, & Raptus. De his tribus igitur aliquid notare decrevi, non quòd in Doctrinis mysticis superbè me ingerere audeam, sed tantùm solummodo, quantum opportunum duxero ad demonstrandum his omnibus a Deo donatam fuisse hanc Virginem; qua perspecta veritate ejus intelligentiis, cæterisque Divinis gratiis, quibus cumulatam multi referunt, facilior, humana tamen semper, adhibeatur fides. Præmittere tamen operæ pretium duco aliquid de Divina præsentia; a cujus vario Dei communicato lumine, in varia apprehensione, diversæ divinæ communicationes in Anima, ni fallor, dependent. Veritas ergo inconcussa fidei est, quòd Deus creatis omnibus est intime præsens, Potentiâ, Essentiâ, & Præsentiâ. De hoc nulla infidelium mentibus hæsitatio. Est tamen attenta Animadversione dignum Areopagitæ dictum, asserentis Deum esse quidem nobis semper præsentem, nos verò non semper esse præsentes illi (1): *Ipse quidem universis adest, non autem omnes ipsi adsunt*. Ad cujus veritatis clariorem notitiam perpendenda est doctrina, quam nobis Divus Thomas proponit, qui ultra tres allatos modos, quibus Deus rebus

(1) *De Div. Nom. c. 3.*

rebus omnibus etiam inanimatis præsens est, quartum addit, quo in solis ratione præditis divina considerari debet præsentia; & hic consistit in intellectu eum cognoscente, atque in voluntate ipsum amante (1): *Est communis modus, quo Deus est in omnibus rebus per Essentiam, Potentiam, & Præsentiam, sicut causa in effectibus, participantibus bonitatem ipsius. Super istum autem communem modum, est unus specialis, qui convenit naturæ rationali, in qua dicitur Deus esse sicut cognitum in cognoscente, & amatum in amante.* Pro cuius auctoritatis clariori inspectione, animadvertere debemus, intellectum in cognoscendo recipere in se spirituales species, seu intelligibiles similitudines eorum, quæ cognoscit; voluntatem verò se unientem ei quod amat, vi cuiusdam amatoriæ impressionis in se ipsa amatum recipere; ita prosequitur Sanctus Doctor: (2) *Quia cognoscendo, & amando, creatura rationalis attingit sua operatione ad ipsum Deum, secundùm istum specialem modum Deus non solùm dicitur esse in creatura rationali, sed etiam habitare in ea, sicut in templo suo.* Et ecce in quo sensu sumenda sunt supra allata Dionysii verba, *Non autem omnes ipsi adsunt.* Quando scilicet vel in lethali sumus peccato, vel etiam existentes in gratia, superfluis cogitationibus, seu nimis anxie terrenis divulsi affectibus, longè ab ipsius memoria, & amore divagamur, tunc quodam modo, & moraliter Deo præsentes non sumus, quamvis sit ipse nobis præsens; & evenit nobis id, quod de Filio Prodigo in Evangelio legimus: *Abiit in Regionem longinquam*; de quo Crysologus: *Coram Patre sine Patre erat.* Quando verò Deum pura mente adoramus, contemplamur, amamus, tunc cognitione, & amore, mysticè sumus in ipso, & ipse realiter est in nobis, ejusque Divinâ Præsentia intellectus fruitur, & voluntas: *Cùm ipsum invocamus castissimis orationibus* (addit Areopagita (3) *& revelata mente, ac ad Divinam unionem aptitudine, tunc & nos ipsi adsumus.* Cui sententiæ ausus sim dicere quòd correspondeat hæc Virgo, dum ex obedientia cuidam suo scribens Domestico, eumque ut Dei præsentiam sæpius recogitet, enixè rogans, hæc ait: *Considera, quòd Deus rebus omnibus est intimè præsens, & intimus est cum omni sua immensitate, infinitate, cæterisque attributis, Divinisque perfectionibus. In ipso innatamus omnes plusquam pisces in mari, eodemque plenè, sicuti spongia aquis repleta; non sufficit tamen natare in Deo, hoc est omnium; sed in Dei gratia illæ solummodo innatant Animæ, quæ illum ab intuitu numquam mentis amittunt, veluti suum centrum, unicum Bonum, & fælicitatem, ad quem omnes suarum affectionum dirigunt lineas.* Hoc autem, quod est ponere nos ipsos ante Dei præsentiam, consistit in conatu, quo eum actualiter cognoscere, & amare gestimus; atque ob id contemplatio in duobus istis actibus sistens, sicuti duplex est, *Acquisita*, & *Infusa*, sic Dei præsentia in cognitione, & amore, ut vidimus, reposita, duplici frui possumus modo. Uno, fixâ Fidei apprehensione, qua imitantes Augustinum, asserentem se in multis quæsiisse Deum, nec invenisse nisi in se ipso, firmantem nos in hac æterna veritate, Deum in nobis esse, in nobis ipsum adoramus, & amamus, ambulantes in illa conscientiæ rectitudine, quæ a Deo semper nos visos, decet.

(1) 1. q. 43, a. 3. (2) *Ibidem*. (3) *loco supra citato*.

decet. *Ambula coram me* (Abrahæ jussit Dominus) (1) *& esto perfectus*; & hic, scribit Sancta Theresia, excellens est meditationis modus, quia fidei innixus veritati. Alter addit certitudini fidei ineffabilem quemdam spiritualemque saporem, quo, ut ita dicam, experientiâ cognoscit Anima in se descendisse Deum; & de hac scribit Seraphica Mysticorum magistra (2): *Contingebat mihi aliquoties talem ex improviso habere præsentiæ Dei veluti sensum, ut nullo modo dubitare possem ipsum in me immorari, & me totam quasi in ipso submersam esse. Hoc non erat per modum Visionis, sed alio, qui animam suspendit, atque extra se rapit*. Primus, spiritualiter in solis exercetur superioribus potentiis, Intellectu, ac Voluntate, & dici solet præsentia fidei; secundus, quandoque a gaudio spiritûs sensibiliter in cor redundat, unde dicitur Præsentia experimentalis. Nec miretur quispiam de hoc nomine, quasi cum fide, quæ est substantia rerum non apparentium, incompossibilis sit experientia: hoc enim hìc non sumimus pro clara, certaque visione eorum, quæ videri non possunt, sed pro incognito quodam, atque a Deo infuso spirituali Animæ gustu, quo roboratur Fides, & mirabili modo Divina percipitur præsentia, eo sensu, quo de se fassus est Sanctus Anselmus (3): *Gratias tibi, bone Domine, gratias tibi; quia quòd prius credidi, te donante, jam sic intelligo te illuminante, ut si te esse nolim credere, non possim non intelligere*. Quòd autem his duobus divinæ præsentiæ modis frueretur hæc Virgo, quamvis ex jam dictis satis constet, placet tamen eruere etiam ex iis, quæ ipsa de se ex obedientia suis Directoribus scripsit. Et circa primam Præsentiam, quæ consistit in mente intuendo, & voluntate adorando, in nobis, & in omnibus Creaturis, quod veritas suggerit Fidei, semper præsentem Deum, cunctis Dei amatoribus, juxta, & facilis, utilisque hæc est memoria, docente Richardo a Sancto Victore (4): *Integer Dei amator, quocumque se vertit, familiarem habet amoris monitorem; rebus his pro speculis utitur, & in omne quod cernit, sui amatoris resultat memoria*. Hoc de Maria Catharina referunt omnes, qui secum collocuti sunt, testantes, quòd *habitualem habebat Dei præsentiam, numquam illius negligebat intuitum, omnes res suas dirigebat ad ipsum, quando personas intueri necessitas postulabat, imaginabatur in illis se redemptoris imaginem tenuissimo Divini amoris pennicillo, & colore pretiosi sanguinis delineatam videre*. Ipsa autem de se sincerè suis Patribus spiritualibus sic testatur in quadam sua exclamatione: *Prostrata humiliter te adoro, o mi Deus, hìc præsens in spiritu, & veritate, unus in Essentia, trinus in Personis; mi Deus, creator Cœli, & Terræ*. Idem omnibus se de suo Spiritu consulentibus sæpè suadebat dicens: *Ponamus nos ante dulcem, suavem, amabilem, desiderabilem, ac proficuam Dei præsentiam, quæ fortiter attrahit Animas ad eum contemplandum, & unicè amandum. Perpendamus, quòd Deus est nobis præsens, & intimus cum tota sua immensitate, attributis, & perfectionibus*, & ut intelligeretur, quòd de præsentia loquebatur, quam diximus Fidei, subdit: *Quis nos docet Deum nobis esse præsentem? Fides, in qua resplendent omnes veri-*

(1) *Gen.* 17, 1. (2) *In ejus vita*, c. 10. (3) *In Prolog.* c. 4.
(4) *De Grad. Char.* c. 3.

veritates Thesauri, quia fundata est in irrefragabili veritate Divina. Quoad verò ad aliam experimentalem præsentiam, ad quam, quia supernaturalis est, pertingere non possunt nostri conatus, quòd ipsa adultâ jam ætate, & perfectione ad eam elevata esset a Deo, patet ex iis, quæ, revelans animæ suæ statum illis, a quibus dirigebatur, scribit: *Habebam* [inquit] *Deum in Anima mea fortiter impressum, & cum spiritus suavitate ejus fruebar experimentali præsentiâ*: Hoc ulterius distinguitur ab eo, quod de hac Virgine referunt Directores his præcisis verbis: *Dicebat se videre jucundam divinam faciem sub velamine puræ, sinceræ, invariabilisque fidei, quæ dulcissimum est lumen illustrans, & cum delectatione eo fruebatur coruscante super se, amabili ejus, & fœcunda misericordia, amans eum insatiabiliter, & puro amore eum super omnia æstimans*. Nec sit qui ambigat super verbum illud *videre*, de visione enim sumendum est Intellectûs, qui Paracliti donis illuminatus, Deum sibi esse præsentem tantâ apprehendebat certitudine, ac si illum oculis vidisset corporeis; imò fortius; adimplebatur quippe in ea (debita tamen servata proportione) quod de Moyse scripsit Apostolus (1): *Invisibilem tamquam videns sustinuit*.

§. II. Primus ad utramque Contemplationem ingressus est Animæ intra seipsam ab exterioribus recollectio, quæ cùm oriatur a Divina Præsentia, in qua se colligit Spiritus, sicuti hæc, ut diximus, duplex est, ita et duo sunt recollectionis modi; unus est naturalis, artificiosus, proprioque partus labore, quia videlicet, suppositâ semper Divinâ assistente gratiâ, a nobis ipsis, & a nostra diligentia, qua evagationibus ab effectu cordis exortis, pro viribus, resistimus, Anima ad se nascitur redeunte; & hæc ad *Acquisitam* ordinatur Contemplationem, dum Anima, ut Deo vacet, Divinisque Mysteriis, quæ Fidei gestit intuitu contemplari, ante Divinam Præsentiam posita, terrenis omnibus veluti mentis claudit ostium. Alter est supernaturalis, & infusus, ad quem scilicet Deus speciali, & Divino vocat auxilio, & vocat attractivâ quadam initiatæ suavitatis, quam Divina experimentalis infundit præsentia; & est veluti Lucifer lucis illius, quæ in ordine ad *Infusam* jam promittitur menti: si etenim ipsa primo hoc benè utitur radio, quo experientia quadam sibi Deus patescit præsens, elevatur paulatim ad contemplandam ante eum infinitam ipsius bonitatem, quam incognita quadam delectatione delibat. De his ergo duobus Recollectionibus acturus, quatenus solummodò expedit ad evincendum ambos Mariæ Catharinæ a Deo donatos, & non ultra; satis esse judico, absque eo quòd multas referam auctoritates, hic compendiare Sanctæ Theresiæ, quas longiùs ipsa profert, doctrinas. Primus ergo, dicit illa Mysticorum magistra [2], est opus Fidei, qua quis reminiscens vi apprehensæ æternæ veritatis sibi Deum esse præsentem, ut ejus Mysteria contempletur, & amet, non sinè aliquo conatu omnes alias excludit cogitationes, affectibusque renuntians cordis, laborat, ut totum applicet Intellectum ad Dei cognitionem, Voluntatemque ad Amorem. Hic supernaturalis non est, etsi

H absque

(1) *Heb.* 11, 27. (2) *In ejus Vita, & in Castro Inter. & in Jan. ad Perfect. c.* 8.

absque Dei concurrente gratiâ haberi non possit; quia non est potentiarum silentium, sed ipsarum voluntaria in se ipsis inclusio; est tamen necessarius, ut distractiones evitemus, quas non ita pateremur continuas, si memores Dei præsentiæ, vim aliquam nobis facere non renueremus, ad hoc ut in ipso omnes unirentur mentis affectus, obedientes Mystico illi Evangelii dicto (1): *Tu autem cùm oraveris intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum*. Ab hac prima naturali, &, non inficior, laboriosa Recollectione, oritur regulariter secunda supernaturalis, & suavis, qua primæ amaritudo tota dulcescit; dum Recollectio *Acquisita* disponit ad *Infusam*. Et ratio est, quia commiserans Deus Animæ labores, fatigatæ in resistendo importunis phantasiæ evagationibus, suavi quodam, veluti ovem interno pastoris sibilo, eam ad se vocat, & colligit, idest infuso suæ præsentiæ radio eamdem ad se elevans (ut lepide scribit Sanctus Franciscus Salesius) spargit in ea quasdam suarum vestium fragrantias, quibus fruendi avidæ omnes concurrunt potentiæ. In hac oratione igitur jam incipit Divina amabilitas Spiritui suæ Præsentiæ, & Bonitatis, ita gustum infundere, ut ejus suavitatem, sicuti possunt, experiantur & sensus. Videatur de hoc Cardin. Lauria in suo Tractatu de Oratione (2). Pater Balthassar a Sancta Catharina Senensi, de Ingressu, quem scripsit Animæ [3]. Pater a Ponte, in Vita P. Alvarez (4), sed supra omnes observentur, quæ de hac suavi Recollectione Seraphica, & pluries a me citanda scribit Magistra: *Errant*, dicit ipsa (5), *per has res exteriores dispersæ Animæ potentiæ; quod videns Deus, ut ad ovile reducat, quasi bonus Pastor eas vocat, sibilo tam suavi, ut ipsæ eum quasi minimè intelligant; sed operatur Deus, ut ejus vocem audiant. Habet autem hic sibilus tantum efficaciæ, ut statim deserant potentiæ exteriora, in quibus vagabantur, distractæ*. Hac Deus voce præparat Animam, sicut *In sibilo auræ tenuis* [6] Eliam disposuit ad abstractivam sui Visionem in Monte Oreb; elevantur enim Intellectus, & Voluntas ad *Infusam*; & sicut Sancta notavit Theresia (7): *Videtur quòd absque artificio paulatim erigatur Contemplationis fabrica*. Egrediamur modò ad intentionem, qua ista scribimus, quæ est, & erit semper, demonstrandi in Maria Catharina adfuisse Divinas illas communicationes, quas Misericordia Animabus se amantibus indulgere consuevit. Ambas igitur jam declaratas Recollectiones a teneris usque Annis expertam fuisse hanc Virginem, apertè innuunt solitudinis amor, orationis frequentiâ, ludorum, vestium, & similium, quibus gaudere solent puellæ, fuga, neglectus, & nausea; de quibus plures testantur, & qui eam a pueritia cognoverunt, & Directores. Quis enim in puella non melancholici, sed amœni genii, & nullis Patrum Spiritualium promota monitis (nam nisi in decimosexto ætatis Anno alicujus se directioni subjecit) hæc demirari potest, qui peculiarem Dei gratiam ipsam ad interiora, & ad se recolligentis, indubitanter non videat? De primo autem modò audiamus quid ipsa de se suis referat Confessariis -- *Desiderabam me totam per-*

---

(1) *Matth. 6, 6.* [2] *Opusc. 4, c. 5.* [3] *P. 2, lib. 1, c. 4.* [4] *C. 13.* [5] *In Castr. Inter. Mans. 4, c. 3.* (6) *3 Reg. 19, 11.* [7] *Loco supracit.*

perfectæ vitæ dedicare, & esse in statu, in quo aliud quàm Deum non cogitarem. Animo revolvebam Religionem amplecti, in qua nullum viderem, nec alicui loquerer, sed solitaria in Cella mea cum Deo meo viverem, addicta semper Sanctis Exercitiis Divini Cultûs, & Amoris. Nec fuerunt hæ pueriles velleitates, aut ephimeri fervores, sed fixæ determinationes, quas perficere, ut potuit, exequi fategit; addit siquidem: *Ad ætatem perveniens duodecim Annorum crevit in me Mundum relinquendi desiderium, nec in ipso aliquid inveniebam, quod me delectaret, non poteram cum aliquo conversari; per fenestras vel aspici, vel aliquid aspicere, evitabam; oculis in publico perambulabam demissis, ne obviantes viderem, nec ad dexteram aspicere audebam, aut sinistram; omnia mihi nauseæ erant, & tedio, & me felicem judicabam, quando in mea immorari mihi licebat solitudine, qua ita gaudebam, ut clausam in aliquo optarem esse cubiculo, ut sinè impedimento, & distractione de Deo cogitare possem.* Signa hæc primæ saltem Recollectionis esse quis ambigat? Secundam tamen crescente paulatim adolescentiâ addidit Deus, infundens in cor ejus intimam quandam suavitatem, internumque Divinarum rerum saporem, in quo, ut vidimus, experimentalis Dei præsentia consistit. Decennis siquidem in Beatissimæ Virginis venerando Imaginem, ab incognita sensibili trahebatur devotione, quam ipsa sic exprimit: *Experiebar in me tantùm devotionis erga Virginis Sanctissimi Rosarii, ut dicunt, Imaginem, ut quasi quotidiè sub crepusculo ad eam pergerem venerandam; & me fœlicem existimabam, atque beatam, quando huic incumbebam exercitio. Satisfactionem in me sentiebam, dilectionemque ineffabilem, atque, in aspiciendo Imaginem illam, inflammabatur cor meum.* Teneram hanc devotionem in adolescentula, elevatis cognitionibus adhuc incapaci, nos cogit fateri, quòd motus esset gratiæ, & Divinæ vocis, eam gradatim ad *Infusam* vocantis. Quod clariùs patuit in primâ, ad quam admissa fuit Communione, de qua ipsa sic fatetur: *Recepi cum magna lætitia, jubilo, & interna satisfactione Divinum Cibum; & statim veluti ignis carbone inflammata remansi. Videbam siquidem mihi Paradisum Amoris suscepisse in me ipsa; & tam vehementem contraxi Cœlestis nutrimenti famem, ut quotidiè, si mihi aliorum permissione licuisset, ad illud accessissem, quamvis me cognoscerem indignam.*

§. III. Progredientes ad ulteriores infusæ Contemplationis gradus, animadvertamus hos omnes provenire magna ex parte a varia impressione, quam Divina præsentia plus minusve operatur in Anima, juxtà clariorem Doni Sapientiæ illustrationem; atque ob id sicuti a Divino lumine supernaturalis, & jam descripta oritur Recollectio; sic crescente infusa luce, fortiùsque Spiritum penetrante, ex eâdem præsentiâ, dum evidentiùs menti se ostendit Deus, aliæ prodeunt nobiliores elevationes; inter quas non infimum habet locum illa, quæ dicitur a Mysticis *Oratio quietis*, quæ a Cardinali Lauria (1) vocatur *Oratio præsentiæ Dei*. Suspendat quæso, qui hæc legit, zelum suum; neque hoc nomine offendatur *Quietis*, quod fortè malitia aliquorum eo abutentium, apud plurimos suspectum reddidit. Sciat potiùs hoc orationis genus probari, non solummodò a Sancta Theresia, sed etiam ab Alberto Magno, a

(1) *De Orat. Opusc. 4, c. 6.*

Divo Thoma, a duobus Cardinalibus Bona, & Lauría, imò a cunctis Mysticarum rerum Scriptoribus, qui illud numerant inter majores, utilioresque communicationes, quibus se Deus participat Animæ, dummodò ipsa in simplici delectatione non sistens, eo ad Virtutes utatur adipiscendas. Ego igitur (juxtà mihi præfixum in his scribendis morem, non ut alios doceam, quod non intelligo, sed ut ostendam hac etiam peculiari gratiâ cumulatam esse a Deo Mariam Catharinam, & quòd ea in Dei gloriam suumque Spiritualem usa est profectum) quid sit hæc Oratio Quietis, & quos pariat effectus, ex doctiorum auctoritate venabor. Quid ergo sit Oratio Quietis, experientia clariùs docet, quàm calamus, ut umbratilem tamen de ea habeamus notitiam, hauriendam reor ex scriptis Sanctæ Theresiæ, quæ de ea, quo par erat illuminatæ suæ mentis stylo, ipsam sæpiùs describit — *A Recollectione interiori*, dicit ipsa [1] *nascitur aliquoties in Anima pax quædam, & intima quies, cui nihil jam videtur deficere. Ponit etenim ipsam Deus juxtà se; & conjunctim cum sua præsentia dat illi quandam requiem, quasi experimentum eorum, quibus lætificat illos, quos ad suum ducit Regnum.* Similibus eamdem lineamentis Sanctus Bonaventura depingit (2): *Quies est totius Animæ mira quædam & suavis tranquillitas per infusam nobis ex frequentia orationis dulcedinem concreta.* Percipitur in omnibus potentiis hæc Quies; in Intellectu primùm, quia a Meditatione rerum Divinarum, qui suus est motus, perveniens ad veritatem Divinæ præsentiæ, & in ea Divinæ amabilitatis, in illo verò jam cognito, qui semper est suæ operationis terminus, immoratur, & quiescit; undè pulchre dixit Sancta Theresia: [3] *Hìc Anima modò ab ordinaria sua agendi forma multùm differenti, cognoscit quòd Deo est proxima, & parum deficit quin pertingat ad se in Deum transformandam Amoris Unione.* Verum tamen est, quòd in tali statu hæc Intellectûs cognitio est quædam obscura lux, in qua ipse videndo cœcutit: *Intelligit non intelligendo*, scribit (4) supracitata Spirituum Magistra; unde sequitur, quòd amittens in admiratione discursum, in quodam figatur stupore, qui est sua Quies. Sensibilior illa tamen est, quæ percipitur a Voluntate; delectatio quippe, quæ in adeptione rei desideratæ nos allicit, vera est illius quies, ut dicit Angelicus (5): *Id quod terminat motum appetitûs, ut quies in re desiderata, est delectatio.* Infundit Deus simul cum sua præsentia, illuminata Dono Sapientiæ, intimum quemdam suæ Divinæ amabilitatis saporem in Anima „ qui ejus „ interna penetrat, ipsa tamen eum non cognoscit, sed eo fruitur. Vi„ detur sibi quòd totum simul invenerit, & multoties nescit quod velit, „ aut postulet (6). Id autem accidit, quia Divina Bonitas concedit quidem contemplanti initiatam de sua præsentia delectationem, sed non infundit adhuc clarum illud lumen, quod tribuet posteà in oratione Unionis, quò profundiùs penetrabit Majestatem Summi illius Boni, quod sibi præsens degustat. Unde mirum non est, quòd Voluntas tali delectatione absorta, discursum sistat Intellectûs; & quando profundior est quies,

(1) *In Itin. ad Perfect. c.* 31. (2) *De* 7 *Grad. Contemplat. in fine.*
(3) *Loco supracit.* (4) *In Castr. Inter. Mans.* 4, *c.* 3. (5) 1, *q.* 5, *a.* 6.
(6) *In sua Vita*, *c.* 14.

quies, quasi ebriæ inferiores potentiæ sileant, mystico sopitæ somno; qui consistit in eo, quòd non moveantur imaginativa, appetitiva, cæteræque minus nobiles animæ vires; ac per consequens fruatur Spiritus mirâ, & non expertis incognitâ pace; itaut [prosequar cum Sancta Theresia [1]: *Eo tempore, quo talis perseverat gratia, taliter absorta remaneat Voluntas, ut aliud nesciat, quod desideret, diceretque libenter cum Apostolorum Principe: Bonum est nos hîc esse*. Non suspicetur hîc tamen qui legit, otiosam esse huiusmodi suavitatem; actuosissima siquidem est, & operatur in quiete. Cujus rei ratio est, ut sæpiùs citata, sæpiùs citanda scribit Sancta Theresia [2]: *Quiescunt Potentiæ, sed non deperduntur; possunt enim, & debent recogitare ante quem immorentur; & quamvis Anima a ratiocinando tunc cesset, se nihilominùs exercet in adorando, gratias agendo, postulando, gaudendo de Divina gloria, & similibus*. Cui consonat Cardin. Lauria (3): *Licèt absit ratiocinatio, petitio tamen adest, in eaque, quam Deus Animæ impertitur, quiete, virtutum plena excogitatio est*. Imò ausim dicere esse quietem modò nobis non intelligibili, inquietam; & meæ cogitationi assentiretur Angelicus, qui veram non admittit quietem, quamdiù habet Anima aliud, ad quod aspiret. Hic ergo Intellectus quasi caligat excessu luminis, quo perfunditur; sed non amittit penitus naturalem propensionem investigandi aliquid de eo, de quo stupet. Voluntas verò in ipsa delectatione, quam experitur, anhelat ad fruendum perfectiùs eo infinito Bono, quod degustat. Hac de causâ Animas, quæ a Deo istâ singulari gratiâ donatæ sunt, videmus anhelantes, sanctèque impatientes perveniendi ad intimiorem gustatæ jam Bonitatis Unionem; ipsa siquidem experientia desiderium stimulat; &, ut alibi diximus, satietas sitibundas reddit. Hæc in Maria Catharina observarunt, ac referunt, plurimi; præsentia nempè, qua fruebatur, Dei, movebat in ipsa quosdam impetus fruendi, quo fruebatur; cùm proprium sit hujus orationis gaudere, sed non quiescere; impossibilis enim est Voluntatis vera quies, donec verè, & plenè gaudeat eo, quod gustatum desiderat; nec potest quiescere in mediis, dum anhelat ad finem; concludam cum Divo Thoma [4]: *Non autem quiescit simpliciter, quia quamdiù aliquid expectatur, motus Voluntatis remanet in suspenso*.

§. IV. Quod autem Maria Catharina descriptam receperit a Deo communicationem duobus annis postquam se alterius Directioni, ut semper concupierat, subjecit, idest decimo octavo suæ ætatis anno usque ad vigesimum, in quo ad superiorem gradum eam elevare dignatus est Deus, testantur effectus, quos operari debet in Anima, si verè est a Deo, hæc quietis oratio; & in ipsa adimpletos multorum testantur relationes. Et quòd ita sit, notandum quòd quies jam descripta, ut tetigimus, & docet Angelicus, in intellectu consistit, & voluntate (5): *Sicut Deus, prima veritas, est objectum intellectûs, & quies ejus, sic, ut summum bonum, est objectum voluntatis, & quies ejus*. In his ergo duabus potentiis perpendendi sunt, quos perficere debet, & perfecit in hac Virgine, gradus orationis, de quo hîc agimus. Et in ejus rei veritatem

[1] *In Itin. ad Perfect. c. 31.* [2] *Loco supracit. & in Castro Inter. Mans. 4.*
[3] *De Orat. Opusc. 4, c. 15.* (4) *1, 2, q. 11, a. 6.* [5] *Opusc. 61, c. 26.*

tem protestor, quòd non transcribam hic nisi relationes, quas ipsa suis Directoribus circa supradictam ætatem transmisit. Et ut loquamur primo loco de effectibus, quos hæc oratio in intellectu parit, censet Sancta Theresia primum esse lumen, quo suas clarè videat miserias, suumque *nihil*, unde profundior resultat humilitas, quàm nostro labore possimus acquirere (1): *Nostræ meditationes nihil sunt in comparatione veræ humilitatis, quam nos docet Deus, adeout in Anima quasi illam opprimentem confusionem pariat*. An autem hanc intimam sui ipsius cognitionem a jam descripta Gratia hauserit hæc Virgo, dicant illa internæ humilitatis, atque externæ, quæ in lib. 1, c. 10 jam retulimus, argumenta. Secundus allatæ orationis effectus, quatenus ad intellectum pertinet, est quædam lux, qua Anima, quamvis rudis, & ignorans, aliqua cognoscit, ad quæ naturali lumine non posset pertingere, asserente Sancta Theresia (2): *Claritatem infundit, qua percipiantur ea, quæ prius cognosci non poterant*. Et quod hujusmodi effectum talis pepererit Oratio in hac Anima, fatetur suis Patribus spiritualibus ipsa, sic scribens: *Cœpit Deus frequentes mihi communicare illustrationes, claraque lumina, quæ me ardenti inflammabant fervore, & hoc maximè in oratione, & Communione*. Et alibi: *cœpi extra me rapi quadam divini amoris insaniâ* (tali nomine ex humilitate nobiles suos charitatis impetus, de quibus jam dictum est, ipsa dehonestat) *& quando in insania illa extra me rapiebar, quædam loquebar sublimia, quæ ex me ipsa nescissem loqui*. Ex quo liceat eruere, quòd usque ab adolescentia cœpit Deus in ipsam infundere radios quosdam scientiæ illius infusæ, qua ipsam majori abundantiâ donavit adultam, ut ex lib. 2, c. 7, §. 2 jam constat. Evidentiores tamen effectus hujus orationis *Quietis* in voluntate resplendent; & hi sunt, scribit Sancta Theresia, ex amore suavitas, & propensio ad ea omnia peragenda, quæ ad Divinum pertinent cultum; in quibus experitur Anima facilitatem illam, quam ei infundit incomprehensibilis boni gustata præsentia. Solitudinis insuper desiderium; absorta nempe anima in sancta illa delectatione, qua fruitur aliquando agens cum Deo, omne id, quod ipsam ab amato distrahere potest, abhorret. Ardens votum in oratione proficiendi, optat enim voluntas intimiùs eo frui, quod taliter experitur amabile. Patiendi non solùm alacris promptitudo, sed etiam, obediens tamen, anxietas; & super omnia Dei, proximorumque dilectio. Hos autem effectus in Maria Catharina demirati sunt multi; nec opus est, ut in iis enarrandis hìc otiosè immorer: undique etenim primi tres libri sunt illis referti, & aliquæ describuntur postea Animadversiones; ubi si quis accuratè eas legerit, notabit, ut spero, aliorum testimonia, illis, quæ ipsa ex obedientia de se refert, perfectâ respondere consonantiâ. Unde si ista probabilia sunt, probabile etiam erit Deum usque ab adolescentia sublimem hujus orationis gradum huic Virgini indulsisse. Alius est veræ quietis effectus, Sancta addit Theresia (3) quem non possum negligere; quòd nempè anima liquefacta ex sibi infusa Divinæ Præsentiæ suavitate, se totam in amati laudes

(1) *In sua Vita, cap. 15.* (2) *In Castro Inter. Mans. 4.*
(3) *In Castr. Inter. Mans. 5.*

des dissolvit, de ipso semper optat loqui, nec saturatur fame publicandi ejusdem amabilitatem, & gloriam. De quo divinarum laudum exercitio, & ardore, quem in Maria Catharina omnes, qui cum ea loquuti sunt, apertè testantur, in præcedenti Animadversione, & alibi pluries satis diximus. Facilis delectabilisque effectus est iste, quem in omnibus, qui eum aliquâ adorant charitate, excitat Dei præsentia, nec ego hic me cohibere possum, quin animabus suadeam, quibus hanc Deus suavem indulget communicationem, quòd post sufficientem apprehensæ veritatis meditationem, virtutumque desiderium, & propositum, tandem in Dei laudes se resolvant; & in hoc sit propriæ quietis labor. Perpendit Richardus a Sancto Victore, dici in Apocalypsi de Seraphin (1): *Requiem non habebant die ac nocte*. Et hæsitans quomodo in Cœlo, a quo, cùm regnum sit Quietis, exulat labor, verificatur, quòd *requiem non habebant;* concludit, quòd se ipsos indefessè exercere in Dei laudibus est vera Beatorum Spirituum requies. Suavis certè, & activa quies est ista, qua frui, & maximè quando ad eam nos vocat infusa devotio, possumus quidem, si volumus. Audiamus de hoc magni illius Theologi documentum (2): *Quod dicitur non habebant requiem, minimè designat laborem. Hoc est enim summè, ac perfectè quiescere, a Creatoris pia laude numquam cessare.*

§. V. Ostendimus, ut reor, satis prudenti illâ, quæ fide humana nititur, probabilitate, & quæ de rebus internis, solis Directoribus, qui eas audiunt, & animabus, quæ eas experiuntur, cognitis, haberi potest relatione, obtinuisse Mariam Catharinam a Deo usque ab adolescentia Orationis Quietis nobile donum; progrediendum modò esset ad tertium, & super omnes elevatum, paucisque concessum gradum, qui est Oratio Unionis. Parcat mihi tamen qui legit, si nimis in digressionibus immoror, quæ videbuntur forsitan Historiæ cursui importunæ, sed meo opportunæ sunt consilio, quia ordinatæ ad suadendum circa res mirabiles, quas referre cogor, legentium assensum. Video siquidem eas ita esse extraordinarias, ut suspicarentur apprehensiones, exagerationes, aut fictiones, nisi credendi tolleretur difficultas animadversionibus illis, quæ apud pietatem colentes, aliquam possunt mereri fidem. Ad quod peragendum, antequam ad Mysticam progrediar unionem, quæ ut plurimum principium, & fundamentum est Raptuum, Intelligentiarum, aliarumque Divinarum Communicationum, quas hîc referre cogor, de alia faciliori, sed fortè magis utili, loquar Unione, quæ ab omnibus, Divinâ auxiliante gratiâ, haberi potest, & quam Sancta Theresia (3) suis ardenter suadebat Monialibus, & sibi ipsi vehementer optabat. Et est cum Divina voluntate perfecta nostræ voluntatis unio, qua Anima incomprehensibilibus Dei judiciis se Divini beneplaciti amore subjiciens, idem vult, quod vult Deus; in omnibus seu prosperis, seu adversis, cum eadem indifferentia Dei voluntatem respicit, & quòd in se adimpleatur cum gratiarum actione spiritu impensè gaudet. In hac compendiose nostra latet perfectio, & ad Mysticam unionem, si Deus eam indulgere velit, immediata est dispositio. Neces-

(1) *Apoc.* 1. (2) *In Apoc. Ibi.* (3) *In Castr. Inter. Mans.* 1, c. 3.

Necesse est enim, ut si istam concupiscimus, illa praecedat. Vera devotio, docet Angelicus, non in sensibilibus consistit cordis affectibus, nec in elevatis intellectûs illustrationibus, sed in promptitudine voluntatis, in omnibus dispositae ad obediendum Deo, sine qua caeterae parvi momenti, imo magni forent periculi (1): *Devotio nihil aliud esse videtur, quàm voluntas quaedam promptè tradendi se ad ea, quae pertinent ad Dei famulatum*; & haec Divinae voluntati subjectio praecipua est Animarum perfectio, (Sanctus Doctor subdit) (2): *In hoc principaliter consistit virtus, & rectitudo voluntatis humanae, quòd Dei voluntati conformetur, & ejus sequatur imperium*. Jure igitur Beatus Joannes a Cruce (3), Unionem, quae ab omnibus optari potest, & proprio labore, Deo auxiliante, acquiri, in totali ponit resignatione nostrae voluntatis, quae in Dei manibus, & beneplacito, omni suae renuntiet proprietati; atque moriens quodammodò proprio suae ipsius amori, novâ quasi vitâ solo vivat Deo; & hanc paucis perfectè describit Sanctus Franciscus Salesius (4) dicens: *Voluntas sibi mortua est, ut in Dei voluntate vivat; & sine aliquo peculiari affectu remanet, non solùm conformata, & subjecta, sed prorsus annihilata in se ipsa, atque in Dei voluntate transformata*. Haec quidem perfecta est unio, atque ab omnibus exoptanda, de qua tamen non multa loquar, nonnulla etenim in praecedenti Animadversione jam diximus, agentes de resignatione, quae cum ista coincidit. Iis, quae de hac re in his retulimus Commentariis, addam solummodò (in argumentum quòd talem unionem adepta erat labore, suique assiduâ mortificatione haec Virgo) visionem quamdam imaginariam, ut mihi videtur, notabilibus refertam mysteriis, quam ipsa more suo ex obedientia de se refert. Meditabatur ipsa pro puncto, sibi a Directore proposito, hanc propriae voluntatis resignationem, ejusque vehementi tacta desiderio, sic ait: *Excessivo amore, anxiaque cupiditate me totam Deo resignandi, a sensibus alienata fui; in qua suspensione videbatur mihi esse in specu quodam, in quo cernebam Puerum Jesum, ut erat recenter natus, oculos, & manus ad Caelum elevare, in actu se totum resignandi voluntati Aeterni Patris; quod internè videns percipiebam tali mihi imponi exemplo, ut eum imitarer. Hac igitur edocta visione coepi amarâ poenitentiâ duci, quòd non prius totam me Divinae devovissem voluntati: verùm a Deo confortata, sic Jesum audivi mihi interiùs alloquentem: Alias tu mihi tuam voto dedicasti virginitatem, sed non penitus tuam consecrasti voluntatem; nunc debes holocaustum complendo, te totam mihi offerre, te ipsam meae deferere voluntati; atque ita mea eris, & non tua. Quod cum fecissem, totam me ipsi subdens, tunc me suam declaravit Sponsam; & quasi vento quodam a me meam auferens voluntatem, quam turpem cernebam, & defectibus plenam, duobus igneis radiis suâ me adimplevit voluntate, quam intuebar pulcherrimam. Vidi in Cruce Jesum, qui me in suum introduxit latus; & tandem ad sensus rediens, me experta sum Dei beneplacito in quacumque re penitus conformatam, nec videbatur mihi propriam amplius habere voluntatem, sed voluntate Dei plenam esse*. Meretur, ut reor, haec Mysteriosa visio, quam

(1) 2, 2, q. 82 a. 1. (2) 2, 2, q. 10. a. 4, ad 2. (3) *In Ascensu ad M. Carm. lib. 2, c. 5.* (4) *Tract. de Div. Am. p. 2, lib. 9, c. 13.*

quam habuit circa vigesimum sextum ætatis suæ annum, idest antequam ad mysticam a Deo elevaretur unionem; meretur, inquam, ut eam attentius interpretemur. Primo igitur loco, Pueri Jesu, se Patris beneplacito offerentis, visio nos docet hanc voluntatis unionem nisi ex Christi meditatione, & exemplo haberi non posse. Secundo, de ostensa, quam describit, voluntatis mutatione in Sancta Catharina Senensi simile quid legimus, cui dixit Christus (1): *Ecce meam tibi dono voluntatem, a qua ita mihi conformaberis, ut in quacumque re, quocumque modo tibi accident, nihil prorsus muteris.* Nec repugnat Divi Thomæ doctrinæ, asserentis quòd Deus nostræ voluntati intimè præsens, absque eò quòd nostram violet libertatem, eamdem ad id quod efficaciter vult, suaviter flectit. Tertio, quòd post firmiter propositam voluntatis propriæ resignationem donetur nomine Sponsæ, mirum non est, innuit hoc siquidem spiritualis Matrimonii unionem, quæ hanc resignationem regulariter sequitur; in quo adimpletur spiritualiter quod in sensibilibus Deus ordinavit connubiis: *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* Quarto tandem, imaginaria admissio in latus Christi, ut ibi in conformitate confirmaretur voluntatis, significat hanc difficilem unionem voluntatis humanæ cum Divina, ex vi perfici amoris; cùm introductio ad intima cordis Jesu, nihil aliud innuat, quàm præcipuæ infusionem charitatis, cujus cor Jesu fornax est, & vivum incendium. Mysteriosa igitur negari non potest hæc Visio; cui tamen minimè fiderem, nisi mirabilis ejusdem Virginis in Divina voluntate resignationis, & conformitatis plura haberem testimonia, quæ, quia alibi fusiùs retuli, hìc referre otiosum esset. Hoc unum addam, quòd videlicet ex heroica hujus Virginis resignatione prodiere magna ex parte mira, quæ diximus, & sunt dicenda; ad quod opinandum me movet Sanctæ Gertrudis exemplum, quæ stupens de familiaritate, qua secum colloquebatur Jesus, audivit ab ipso hoc adscribi cuidam, quasi congruentiæ, unioni voluntatis, qua ipsa nesciebat velle, nisi quod Cœlestis suus sponsus volebat (2): *Quoniam per Gratiam meam, tua voluntas adeò mecum unita est, ut aliud atque ego nequeas velle.*

§. VI. Oblata sincerè Deo, & aliquandiù exercita hac Voluntatis Unione, aperit ut plurimùm Divina Bonitas viam, in sui servitute, & amore constanter perseverantibus, ad ultimum in hac vita donum, quod est Unio Mystica. Hæc autem quid sit, dicere non ausim; cùm enim Mystica sit, quod idem est ac *Secreta*, nimis meæ cognitionis tenuitatem transcendit. Hoc unum liceat edissere, quòd nempè hæc Unio Moralis est, non Physica (3); & quòd fundatur ex parte Dei in quadam attrahente luminis, & gratiæ influentiâ, ex parte nostra in conatu Animæ, quæ præventa, & elevata a Paracliti Donis, vocationi, quantùm potest, cognitione, & Amore respondet. A prima, idest ab attractibus vocantis bonitatis, remanet absorta in quadam Unitate, quæ substantialiter est Gratiæ Unio, dicente Gilberto Abbate [4]. *Assumitur, & absorbetur in quamdam Gratiæ Unitatem.* In secunda cooperatur Anima, supposità

I

(1) *In ejus Vita, P. 2, c. 6.* (2) *Apud Lansperg. in ejusdem Vita, lib. 1, c. 14.* (3) *Card. Lauria, de Orat. Op. 8. c. 15.* [4] *Ser. 2, in Cant.*

positâ semper charitate, quæ est habitus, a quo perficiuntur, & ipsa, & ejus potentiæ, participatione ineffabili Divinæ Naturæ [*Divinæ consortes Naturæ*]. Cooperatur, inquam, uniens se Deo, cognoscendo, & amando; sic enim cooperationem nostram in Unione requirit Angelicus: [1] *Unio Naturæ cum Deo est per operationem, in quantùm scilicet cognoscimus, & amamus; & ideò talis Unio est per gratiam habitualem in quantùm operatio perfecta procedit ab habitu*. Prima igitur, & fundamentalis Unio est gratia sanctificans, sed quia hæc, juxtà Divum Thomam, recipitur in essentia Animæ, addit Divina pietas aliam Unionem, qua, mediante incognito quodam influxu, qui est actualis, & fortis Donorum Intellectûs, & Sapientiæ effectus, elevatæ duæ superiores potentiæ Intellectus, & Voluntas, Deo cognitione, & charitate se uniunt; & sic remanet [dicit Sancta Theresia] Spiritus noster factus unum cum Deo; quod idem clariùs scribit Apostolus, docens, quòd Deo approximari, (quod Intellectûs, & Voluntatis gressu fit) est evadere cum eo Spiritus unus: (2) *Qui adhæret Domino unus Spiritus fit cum eo*. Quomodo autem hoc accidat, dictu difficillimum est; mihi tamen arridet quædam captu facilior Angelici doctrina. Intercedit (docet ille) inter similia quædam Moralis Unio, quæ in quantùm ad formam, aut qualitatem, in qua assimilantur, eadem reddit unita. Sic in primitiva Ecclesia, quia fideles omnes similes erant in ardenti fide, & mutua charitate, talis Virtute similitudinis erat eorum *Cor unum, & Anima una*; ex quo concludit citatus Doctor: [3] *Ex hoc, quòd aliqui duo sunt similes, quasi habentes unam formam, sunt quodammodò unum in forma illa*. In hac ergo similitudine (quam perficiens imaginem nobis sui ipsius donatam a Deo, ipse in Animam imprimit) puto, quòd Mystica, de qua loquimur, Unio aliquatenus possit dignosci; atque ita liceat mihi ratiocinari. Si ante faciem Solis ponatur aliquod ex limpido chrystallo speculum, videmus quòd Sol suam ei communicat imaginem, sibique quodammodò similem reddit: ita a pari præsens Deus Animabus illis, quæ perseveranti, de qua diximus, purgatione, factæ sunt pura Divinitatis specula, in ipsis seipsum imprimit, gratiæ, donorumque pennicillo renovans, quam dedit, sui imaginem & similitudinem; quæ consistit in facultate Deum cognoscendi, & amandi; qua facultate lumine superiori auctâ, Intellectus percipiens Divina per species intelligibiles infusas, absque imperfectione discursus imitatur, quantùm fas est, Deum, in quo cognoscere est purus Actus. Voluntas verò, Deum amando Amore amicitiæ, absque eò quòd pro tunc ad aliud reflectat, quàm ad Amati gloriam, uniformatur, quantùm nostra patitur tenuitas, incomprehensibili amandi modo, quò Deus amat in eo, quod amat, suam gloriam, & seipsum; undè in his duobus Potentiis imprimitur operationum Dei quædam similitudo, quæ est Moralis Unio, vel saltem ad ipsam viam sternit. Videbitur fortasse nonnullis quòd audacter loquar; sed idem scribunt & Sancta Theresia in suis Mansionibus, & Sanctus Franciscus Salesius in suo Divini Amoris Tractatu, & majori emphasi Divus Thomas: (1): *Ho-*

(1) 3, *q*. 6, *a* 6, *ad* 1. [2] 1 *Cor*. 6, 17. [3] 1, 2, *q*. 27. *a*. 3.

(1): *Homines in quantùm per Charitatem Deiformes efficiuntur, sic sunt supra homines, & eorum conversatio in Cœlis est; & sic cum Deo, & Angelis eius conveniunt, in quantùm ad similia se extendunt, secundùm quod Dominus docet: Estote perfecti, sicut & Pater vester Cœlestis perfectus est.* Hæc igitur similitudo, quam de se duabus Potentiis imprimit Deus, fundamentum quoddam est Moralis, & Mysticæ Unionis; quòd probat de ea scribens Cardinalis Lauría [2]; & ab hoc priusquàm transeam ad appropriationem eorum, propter quæ ista scribo, vellem quod tria colligeremus utilia, ut opinor, documenta. Primùm, quòd quamvis optabilis sit Unio cum Deo, nostra quippe perfectio in hoc consistit, ut dicit Angelicus (3): *Ultima perfectio ad quam res potest pervenire, est quòd uniatur suo principio;* & insuper hanc desideravit Redemptor noster, orans ad Patrem: (4) *Sicut tu Pater in me, & ego in te, & ipsi in nobis unum sint.* Primâ nihilominùs Voluntatis Unione contenti, ad hanc Mysticam non superbè aspiremus; majorem siquidem hæc requirit perfectionem, nec aliquis sufficit, etsi heroicus, Virtutis actus; multis opus est, ut perfectæ Virtutis formetur habitus, in quo vera perficitur similitudo, qua, mediante Deo, Spiritus noster unitur, quod cavet Angelicus (5): *Non potest esse similitudo Actus Voluntatis ad Spiritum Sanctum, nisi sit similitudo Spiritus Sancti in Anima per aliquam formam, quæ est principium, quo Spiritui Sancto conformatur; & hæc est habitus, quia Actus ad hoc non sufficit.* Secundùm, quòd hæc Unio, quamvis respectu ad discursum, & evagationes, potentias suspendat, non tamen est otium, neque somnus; Anima etenim in ipsa, ut dicit Sancta Theresia (6), remanet verè in ordine ad terrenarum rerum curam sopita, & quasi dormiens; vigilat tamen in ordine ad Divina, & jam vidimus ipsam in Unione contemplando, & amando, operari vehementiùs, sed in amando præcipuè. Cùm etenim Amor sit *Vis quædam unitiva*, ut scribit Dionysius, majori impetu impellit Animam ad se Deo uniendam; & e contra, Divinam attractu Charitatis movet bonitatem, ut Animæ se uniat, in eaque inhabitet, sic docente Mellifluo [7]: *Quis est qui perfectè cohæret Deo? Nisi qui in Deo manet, quasi dilectus a Deo, & nihilominùs Deum in se traxit diligendo.* Tertium; caveat qui jam incæpit gustare has Mysticas Unionis delitias, ne in eis otiosa immoretur delectatione, sed iis satagat uti ad progrediendum, in Virtutibus præcipuè, & posteà in Contemplatione, & Amore; habet enim hæc Unio plures gradus, per quos Anima, si proficisci ex corde exoptat, intimiùs semper penetrari potest a Deo, & profundiùs ipsimet uniri; & sic eveniet illi, quod docet Divus Thomas, Charitatem crescere per majorem radicationem in Anima. Quantò siquidem interiùs per Virtutum, & Amoris exercitium in Spiritu radicatur Charitas, tantò Unio fortior & strictior evadit: *Quò major est*, asserit D. Thomas [8] *in aliquo Charitas actualis, & habitualis, eò major est in eo gradus Unionis cum Deo.*

[1] *In 3 Sentent. dist.* 27, *q.* 2, *a.* 1, *ad* 9. [2] *De Orat. Opusc.* 8, *c.* 5.
(3) *In 2 Sentent. dist.* 18, *q.* 2, *a.* 2. [4] *Jo.* 17, 21.
[5] *In 1 Sentent. dist.* 1, *q.* 1, *a.* 1. (6) *In Castro Inter. Mans.* 7.
(7) *Serm.* 71, *in Cant.* [8] *Opusc.* 8, *c.* 2.

§. VII. Ut evidentiùs appareat Mariam Catharinam hac Mysticæ Unionis gratiâ, Deo dante, potitam esse, ultra ea, quæ jam dicta sunt, juvabit dictos Unionis recensere effectus, cùm ex his præcipuè omnium Divinarum communicationum veritas discernatur. Hujus igitur sublimis orationis effectus sunt præcipuè, quas alibi descripsimus, Virtutes, excepto, quòd ad hanc requiruntur in gradu tantò magis heroico, quantò magis intimior, & profundior fit Unio. Virtutes igitur istæ quomodo in hac Virgine augerentur, crescente ejus ætate, fierentque secum adultæ, patet ex iis, quæ per totum in tribus prioribus lib. & in lib. 4, Animadvers. 1, §. II, prolixiùs retulimus; & hoc ad arguendum veram profundamque ei dedisse Deum sui ipsius Unionem satis superque sufficeret, cùm Virtutum progressus existimetur a Cardinali Lauria [1] certum Unionis indicium. Verùm ut hoc evidenter elucescat (quod præcipuum est meum consilium) & simul pateat, quando hæc Mystica Unio admitti possit in Anima, quod Directoribus non ingratum reor, liceat mihi ad examen revocare tres singulares effectus, quos gradus iste Orationis, quando maximè frequenter a Deo conceditur, operari consuevit, & sunt: Ardentior semper Dei, & proximorum Amor: Pax interna, qua inter ipsas exteriores, interioresque tribulationes fruitur Spiritus: Et tandem peculiaris adsistentia, qua Deus Animæ Potentias gubernat, & ad suæ Voluntatis normam interiùs dirigit. Quoad primum igitur; hunc Dei proximorumque Amorem vehementiùs effulxisse in hac Virgine, probant satis quæ in primo libro retulimus, de ejusdem ardenti Charitate, & de ecstaticis ejus quasi furoribus, quibus impellebatur, ni eam frænasset Obedientia, ad quærendas Animas, quæ Deum diligerent. Initium sumpserunt impetus isti circa decimumnonum suæ ætatis Annum; & progressi sunt crescente ætate ad amaras cordis palpitationes, mortaliaque paroxismata, quibus violentia Charitatis infusæ, ex redundantia a Potentiis superioribus ad inferiores, Spiritus ipsos opprimebat vitales. Secundum signum est, ut diximus, occulta quædam pax, quæ inter corporis, animique angustias, licèt eis pro humanitate nostra turbetur cor, Spiritus tamen in amati sui Voluntate quiescit. Dicit Apostolus, Divinum Verbum acutum esse gladium, [2] *Qui pertingit usque ad divisionem Animæ, & Spiritûs*. Sunt equidem, ut alibi diximus, Anima & Spiritus realiter idem, & tamen inter eos subtilis quædam apparet divisio, ut notavit Sancta Theresia [3]: *Quamvis Anima una sit, cognoscitur tamen inter Animam, & Spiritum delicata quædam divisio, ut videatur, quòd una diversimodè operetur, ac alter*. Id provenit, quia Unio, etsi brevis sit in actu, nec possit Anima actualiter semper Deo frui, relinquit tamen quosdam habituales effectus (ut suo loco ex mente Divi Thomæ [4], & Cardinalis Lauriæ [5] dicemus), qui ita Intellectum, & Voluntatem in cognoscenda, & adoranda Divina Voluntate figunt, ut exteriores tribulationes, dolores, infirmitates obstrepant fortè exteriùs in sensibus, sed non pertingant ad Animæ centrum; sicuti, ut ait San-

[1] *De Orat. Opusc.* 8, *c.* 8. [2] *Heb.* 4, 12. [3] *In Castr. Inter. Mans.* 7, *c.* 1. (4) 2, 2, *q.* 172, *a.* 2. (5) *De Orat. Op.* 8, *c.* 8.

Sancta Theresia [1]: *Bellorum strepitus turbant quidem Regnum, sed ad cubiculum Regis, ubi reverentia pacem conservat, non perveniunt*. Unde videtur, quòd Anima queri possit de Spiritu, quòd in angustiis ipse pace suâ fruens, solam relinquat, ut lepidè scripsit jam citata Carmeli Magistra [2]: *In doloribus, & tribulationibus non movetur Spiritus a suo centro, nec pacem amittit; quia ille, qui eam dedit Apostolis, ipsi etiam dare potest*. Hac igitur pace fruebatur Maria Catharina in suis infirmitatibus, variisque contrariis, quæ ipsi contigêre, accidentibus, ut plures testantur, qui in multis adversis eamdem in ipsa, constantemque vultûs mirabantur hilaritatem. Argumentum non tenue hoc erat duarum, de quibus diximus, Unionum; Voluntatis nempè, quæ id volens, quod Deus volebat, sensibus etiam invitis de sui Amati beneplacito gaudebat; & Mysticæ, quæ in habitu, saltèm in Anima impressa ipsam in Deo, intentione ad minus venerato semper, & amato, pacificam conservabat & tranquillam. Transeamus ad tertium effectum, quem esse diximus peculiarem assistentiam, qua Deus tales Animas secum unitas ad ea, ad quæ illas destinavit, interiori impulsu, & illustratione dirigit, & inspirat. Ut hoc profundiùs percipiamus notandum est cum Divo Thoma, quòd Charitas, quando ardens est, suavi illa vi, qua Amor supra omnes dominatur nostri cordis passiones, Voluntatem ad Divinum inclinans beneplacitum, efficit, ut Anima in Deo operetur, in Deo vivat, & quasi non in se ipsa [3]: *Amor Divinus facit hominem secundùm quod possibile est, non sua vita, sed Dei vivere*. Notetur ulteriùs, quòd, sicuti ab essentia Animæ omnes Potentiæ principium habent operandi, ita a Gratia, quæ in eadem, ut vidimus, infunditur essentia, communicatur Potentiis Virtus illa, qua inclinantur ad bonum; sic docet Angelicus, concludens [4]: *Secundùm hoc gratia comparatur ad Voluntatem, ut movens ad motum, quæ comparatio est sessoris ad equum*. Quibus visis sic arguamus: Si Amor, qui est Unionis vinculum, imprimit in Anima novum quemdam vivendi modum, itaut veri amatores dicere possint cum Apostolo: *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus*. Si gratia, in cujus augmento Unio consistit, subdit sibi animi Potentias, quæ obstinatè non resistunt, & eas ad virtuosè agendum libero, sed efficaci, movet impulsu; mirum non erit, quòd de hac misericordi assistentia, qua in tali statu se costituere Animæ Magistrum non dedignatur Deus, apertè Sancta refert Theresia [5]: *Existimo ego, quòd Anima, quando ad talem pervenit statum, jam non ipsa sit quæ loquatur, nec aliquid ex se agat, sed de omni eo, quod operari debet, supremus iste Rex curam habeat*. Et alibi agens de effectibus jam dictæ Unionis, addit (6): *Deus est Animæ Anima, & ipse de ea curam gerit, & videtur, quòd præcipuâ suâ assistentiâ ipsam semper custodiat, ad hoc ut eum non offendat, & sibi in omnibus inserviat*. Modus verò, quo Deus Animam ducit, consistit in secretis quibusdam inspirationibus, intimisque efficacissimis impulsibus, quos Spiritus experitur in seipso; nec potest non obedire, nisi esse velit obstinatè rebellis. Sic Sancta prosequitur: *Quòd Anima unita*

[1] *Loco cit. c.* 2. (2) *Loco supracit.* [3] *In* 3 *Sent. Distin.* 29.
[4] 1, 2, *q.* 110, *a.* 4, *ad* 1. [5] *In ejus Vita, c.* 20 [6] *In ejus Vita, c.* 21.

unita sit Deo clarè cernitur, quia ex occultis aliquibus inspirationibus patet, quòd Deus ipse vitam illius dirigit, & istæ inspirationes sæpiùs sic vivæ sunt, & efficaces, ut de illis Anima hæsitare non possit. Ab his igitur internis motibus, quos de Divina Voluntate percipit Spiritus, derivant postea quædam insolitæ Actiones, quas, qui eas non cognoscit, aut non credit, videns, propter angustas humanæ prudentiæ metas, facilè deridet ut ineptias, & de iis trahit non ædificationem, sed scandalum. Addit Theresia (1): *Non est qui hoc credat; nec possunt aliqui sibi persuadere, quòd talis Anima ad grandia, & nova non aspiret; unde cogitant omnia tentationes esse, & dementias; si autem intelligerent, quòd illa non ex ipsa nascuntur, sed a Deo, cui ipsa suæ Voluntatis claves donavit, de istis non mirarentur*. In omni eo, quod hîc retuli, elucet, ni fallor, evidens exemplum eorum, quæ in hac Virgine operata est Mystica Unio. Inspiciamus in secundo & tertio harum Memoriarum Historicarum Libro ejusdem Zelum, quo pro salute Animarum toties exposuit & labores, & vitam. Perpendamus constantiam, in eo ad quod se interiùs sentiebat a Deo impelli, difficultatibus, quæ per plures Annos se opposuere, superiorem. Observemus prudentiam, qua in tot correptionibus, quæ plurimis fecit peccatoribus, etiam Nobilibus, plures emendavit, neminem læsit; imò tantò plus sibi conciliabat Amoris, quantò plus adhibebat libertatis. Quæ omnia satis ostendunt Divinam hujus Virginis Spiritum duxisse peculiarem assistentiam; nec talis vitæ tenor judicari probabiliter potest, nisi interior Omnipotentiæ motus, quæ si nos illi tota resignatione subjicimus, in nobis operatur quod vult, & ejus operationes metiendæ sunt ab ejus beneplacito, non a Mundi judicio. Nos interim huic Paragrapho finem imponamus, utili quadam Animadversione; necessarium videlicet esse, ut Unioni huic Mysticæ super allatam unio Voluntatis præcedat. Cùm etenim, ut pluries scribit Sancta Theresia, in illa exerceat Deus absolutum quoddam dominium; hoc sine nostri liberi arbitrii læsione fieri non posset, absque eò quòd Voluntas vi Amoris Deo viveret liberè, & voluntariè subjecta; cujus veritatis perspicuum lumen habet hæc Virgo, dum in mentis abstractione sic Deo legimus allocutam: O *lux inexhausta æterni gaudii, & quomodo agis in Anima mea has operationes Amoris?* Cui respondit Deus: *Ego in te operor* (2), *quia cùm tu perpetuum de tua Voluntate mihi holocaustum obtuleris, illa semper est in Actu ad meas æternas ordinationes disposita, sicut ferrum ignitum fabri dispositum est Voluntati*. In hac notetur similitudine, quòd sicuti ferri durities fabri artificio non obedit, nisi prius emolliatur ab igne, sic Voluntas hac specialissima motione non movetur a Deo, nisi quando Divino Motori mobilem facit, & conservat Charitas.

ANI-

[1] *In ejus Vita*, c. 20. (2) *Vide Lib. 6, Animadvers. 9* §. 2.

ANIMADVERSIO VI.

De Visionibus Imaginariis, quibus Deus paulatim ad majorem perfectionem elevavit hanc Virginem.

§. I. VEniam a legentibus spero, si agens de Oratione Unionis, ad quam Divina charitas elevavit hanc Virginem, nimis forsitan immoratus sum, & ultra metam, quam historiæ series imponeret. Hoc siquidem ad ostendendum, fidem non excedentia illa, quæ mira referre debeo, visum est mihi non solùm utile, sed necessarium; ab hac enim unione, ut testatur Sancta Theresia, prodeunt Visiones, Intelligentiæ, Raptus, & gratiæ omnes, quas Animabus Divina impertitur misericordia, itaut pauci sint illi, qui post unionem ad altiores, si perseverant, elevati non sint Communicationes; nullos tamen legi, qui ad istas sine illa præcedente pervenerint. Opportunum erat igitur, ut tale stabiliretur principium, a quo consequenter altiora, de quibus loqui cogor, aliquid auctoritatis, ex fide tamen semper, acquirant, humana. Brevius ergo sequar in posterum historiæ texturam, & juxtà annorum seriem, quoad ex relationibus variis eruere potero, crescente de gradu in gradum intimiori unione, Visiones, Loquutiones, Intelligentias, & tandem exteriores Apparitiones, quibus a Deo donatam hanc Virginem sui referunt Directores, lectorum prudentiæ exponam, & pietati. Ut ergo de Visionibus imaginariis primo loquamur loco; istæ, ut ait Sancta Theresia, primæ sunt regulariter, quæ mysticæ succedant unioni; imo, ut scribit Richardus a Sancto Victore, prima hæc est via, qua elevare consuescat Deus Animas ad altiora progressuras (1): *Hanc esse primam viam ingrediendi ad invisibilium contemplationem, nemo ignorat*. Cujus rei patens est ratio. Deus etenim, qui aliquando patrare vult mirabilia quædam, non servato naturæ ordine, ut in Apostolo fecit, ad suam ostendendam Omnipotentiam; ut plurimum tamen mediorum seriem summâ servat sapientiâ; sicuti ergo intellectus noster in cognoscendo a phantasmatibus dependet, & sensibus; sic regulariter a sensibilibus incipit, ut ordinate ad spiritualia elevet. Atque ob id interius imprimit aliquando in phantasia nonnullas imagines, ex quibus Divino auxiliante lumine, ascendat Anima a visibili ad invisibile, a phantastico ad intellectuale; quod notavit, commentans Areopagitæ dicta, Divus Thomas (2): *Ex istis signis extendimur ad simplicem, & unitam veritatem intelligibilium, & mirabilium Contemplationum quas de rebus Divinis per hujusmodi signa accepimus*. Ex hoc eruitur visiones imaginarias concedi non adhuc perfectis,

(1) *De Præpar. ad Contempl. c. 14.* (2) *In Dionys. de Div. nom. c. 1, lect. 2.*

fectis, iis autem qui in spiritu profecére Intelligentias reservari. Hunc autem agendi modum in ductu hujus Animæ custodivit Deus. Ab anno etenim circiter decimo octavo ejus vitæ, cœpit internis imaginariis Visionibus illam præparare ad Mysticas intelligentias, quas illi in provectiori ætate donavit. *Incœpit Deus* (scribit in una ex suis relationibus de se ipsa) *mihi donare frequentes illustrationes multùm claras, & magna lumina, quæ me accendebant, fervoremque in me gignebant, & maxime in oratione, & communione; sicuti etiam crevit in me peccatorum meorum dolor. Postmodum me elevavit ad majora lumina, fervorem, & impetus amoris erga Deum; Illustrationes tandem progressæ sunt ad Visiones, quibus videbatur mihi res habere ante me, sicut aliquid oculis cernitur*. In quibus dictis mos Dei cognoscitur allicientis non adhuc perfectos, qualis tunc illa erat, sensibilibus cognitionibus; ut ab istis, si bene eis utatur, Anima enutrita majori perfectione, elevetur tandem ad intellectuales illustrationes, ut benè notavit Richardus a Sancto Victore (1): *Ut imperfectiores quidem imperfectiori, & inferiori genere Visionum cœlestium veritatem perciperent; excelsiores autem perfectiori modo secreta cœlestia cognoscerent*. Quòd si de hoc distinctiorem habere cupimus cognitionem, notetur quòd, quamvis in ariditate, ubi inferiores potentiæ spiritui sensibili se opponunt repugnantiâ, Oratio propter laborem in illis edomandis magni sit meriti; ubi nihilominus cor sensibilibus affectibus in Dei cultum conspirat, oratio, ut ait Divus Thomas, est perfectior. Quando ergo vult Deus attrahere animam ad intimiorem unionem, omnes ejus potentias etiam inferiores in suo amore allicit, & unit; id autem quomodo fiat, licèt multi sint modi, unum opportunè ad rem nostram, quomodo mea concipit mens, aperiam. In interno Animæ eosdem habemus, phantasiâ, seu sensu communi subministrante, licèt minus materiales, veluti sensus, quibus externè fruimur; quod clarè patet in somniis, in quibus æstimamus aliquid videre, aut audire, sicut in vigilia experimur. Animadvertamus insuper quòd ex his sensibus duo veluti minus materiales præcipuè, ut ait Divus Thomas, intellectui inserviunt, & sunt Visus, & Auditus. His ergo utitur Deus quando apprehensionibus Phantasiæ Animam ad nobiliores intellectûs operationes vult disponere. Jubet enim Angelis, (ut docet Divus Thomas) (2), quòd interiori Visu, & auditu, quos possidet imaginativa, aliquas imprimant spirituales voces, & apparitiones, quas visiones, & loquutiones imaginarias Mystici vocant; quæ veluti a Deo impressæ Divinas veritates fortius, & clariùs exprimunt, quàm illæ, quas a sensibus externis accipimus, quod notat Angelicus (3): *Interdum etiam Phantasmata in imaginatione hominis formantur divinitus, magis exprimentia res Divinas, quàm ea quæ naturaliter sensibus accipiuntur*. Ac per consequens ab ipsis, mediante quodam spirituali sapore, quæ in iisdem gustat Anima, veluti absortæ remanent inferiores potentiæ; ac ob id ad obediendum rationi magis dispositæ. Quod si verum est, inficiari non possumus istas esse Animabus adeò

(1) *In Dionys. de Cœl. Hier. c. 1, §. Si autem.* (2) 2, 2, q. 172, a. 2, ad 3.
(3) 1, q. 12, a. 13, ad 2.

adeò utiles, ut scribat Sancta Theresia (1): *Juvant ad humiliandam, & fortificandam animam, ut res vitæ hujus parum æstimet*; & alibi (2) *& si minoris sunt ordinis, & periculosæ magis, quando tamen verè sunt a Deo, magis sunt proficuæ, quia magis naturæ nostræ conformes*. Non igitur, ut quidam opinantur, penitus condemnandæ. Caveat tamen qui legit, quòd, quamvis utiles sint Visiones imaginariæ, quando oriuntur a Deo, quòd ex effectibus, de quibus infra, discernitur, desiderari tamen non debent; tum quia humilitas ad hæc insolita aspirare propriis vetat conscientiæ demeritis, tum quia pluribus subjectæ sunt deceptionibus; possunt enim provenire a cerebri debilitate, qua ut verum apprehendamus, quod somniat phantasia, vel etiam a Dœmonis astutia, qui (ut docet Angelicus) in imaginativa, utpotè quæ potentia materialis est, imprimere potest phantasticas apprehensiones, ut nos decipiat (3): *Potest operari ad hoc quòd imaginationi aliquæ formæ imaginariæ repræsententur*. Unde suadet Beatus Joannes a Cruce, ut in his Anima non immoretur, sed si illas vitare non potest, eo modo iisdem utatur quo imaginibus uti debemus externis, a quibus nempè se elevare debet ad imaginatum, idest ad Deum; ita ab his internis citò transeat Anima ad veritates fidei, ad quas hujusmodi Visiones, si falsæ non sunt, infallibiliter ducunt. Et hoc est inter alia, quæ postea recensebimus, peculiare signum, quo veræ a falsis discernuntur; non enim dat Deus phantasiæ imaginarias visiones, quin simul in intellectu sui ipsius in iisdem repræsentati cognitionem non imprimat, ac per consequens, quando Anima ab iisdem non experitur se impelli ad majorem Dei timorem, & amorem, argumentum evidens est non fuisse Visiones, sed somnia. Certissimum siquidem est veras Visiones illuminare intellectum ad aliquam Animæ proficuam veritatem. Ita docent Divus Augustinus, (4) D. Thomas (5), & Auctor libri de Spiritu, & Anima: *Bonum Spiritum adjumentem Spiritum hominis ad has videndas imagines, nisi aliquid significent, non puto*; & Divus Bonaventura concludit [6] *In visione imaginaria non latent, quæ in illa significantur*. Talis adamussim erant generis visiones illæ, quas patiebatur hæc Virgo; ex imaginaria etenim, quam sæpius experta est, Pueri Jesu apparitione, sentiebat rapi cor suum ad ecstaticos actus adorationis, & amoris, sed de hoc postea; prò nunc concludamus evidens fuisse argumentum, quòd in repræsentatione intus visæ Divini Pueruli pulchritudinis, intellectualiter ejus cernebat amabilitatem, & majestatem; undè verum erat in ea, quod in veræ visionis indicium Sancta notat Theresia (7): *Veniunt semper hæ Visiones imaginariæ intellectuali unitæ, quia oculis Animæ species, & pulchritudo, & gloria cernitur Sanctissimæ humanitatis; intuitu autem intellectus percipitur, quòd Deus est omnipotens, qui omnia potest, & suo amore omnia replet*.

§. II. Vidimus quid sit imaginaria Visio, & fortè nunc demonstrandum esset quoties his internis illustrationibus ipsas inferiores potentias

(1) *In ejus Vita, c. 3.* (2) *In Castr. Inter. Mans. 6, c. 9.* (3) *2, 2, q. 80, a. 1.* (4) *De Gen. ad lib. lib. 12, c. 32.* (5) *2, 2, q. 17, a. 2, & alibi.* (6) *De prof. Relig. c. 18.* (7) *In ejus Vita, c. 28.*

tentias Mariæ Catharinæ ad se attraxerit Deus: sed quia de istis in præcedentibus libris abundè actum est, ad jam dicta lectoris pietatem remittens, peculiares effectus, quos in ipsa tales fecere Visiones, & ex quibus eorum probatur veritas, paulò fusiùs describam. Primus eorum effectus est ardentis impetuosique amoris augmentum. Hoc ipsa experiebatur semper in Pueri Jesu visione, ita exardescens, ut ex redundantia charitatis, plura pateretur Synthomata, ipsius ex obedientia de hoc relationes sint testes. *Vidi* (ipsa scribit) *dum assisterem Missæ, Puerum Jesum, qui mihi suum benigno intuitu testabatur amorem, unde ingenti repleta sum gaudio, & erga ipsum amore, itaut præ jubilo palpitaret cor meum.* (Alibi) *In his Visionibus me cohibere non possum, quin exclamem: Amor Amor, cum totius corporis tremore, in quo pariter ac in anima, accendor ut fornax.* In altera relatione de his loquens visionibus sic Directori testatur: *Ego Maria Catharina ex obedientia meo Directori dico, quòd ita in me crevere erga Deum affectiones, & impetus, ut per vias, & plateas pergerem omnibus clamando, ut Deum ament; & sæpè amarè, & incessanter lugeo, quia video, quòd illum non amo; non possum nisi de eo cogitare, & optarem pati semper pro sui amore, me totam in ejus consumere cultu & beneplacito.* Prosequitur insuper: *Visiones istæ tantum in me relinquebant Divini amoris, ut præ nimia, quam patiebar, flamma, amorisque liquefactione, in lecto decumbere coacta fui. Ex medicorum consilio manus, & pedes in aqua tenebam immersos, ipsaque ex participato corporis ardore calefiebat. Hic ardor sensibus quidem vehementem ingerebat dolorem, spiritui verò consolationem, & lætitiam. Palpitabat interim tantâ vehementiâ cor meum, ut tres mulieres mihi affines manibus, vi qua poterant ad ipsum admotis, ejusdem motum sistere non valerent.* Concludit tamen ipsa de his Visionibus. *Visiones istæ me relinquunt lassam, viribusque destitutam, quando maximè, ut sæpius accidit, sunt frequentes. In lassitudine tamen corporis, adeò crescit Spiritus vigor, ut tota sanctis replear affectibus, & magna pro Deo patrare desiderarem. Fervorem concipio, & talem a terrenis omnibus alienationem, ut ea nequeam videre, ipsorumque vel loqui, aut loquentes audire, sit mihi tædium. Solitudinem quæro, & solam esse semper exopto. Pauperibus omnia quæ habeo, etiam vestes libenter impertirer; & similia desideria talem inferunt voluntatis firmitatem, ut ea, quoad possibile mihi est, adimplere cogar.* Si hos effectus cum illis conferamus, quos de Animabus a Deo dilectis referunt historiæ, absque dubio reperiemus consimiles; unde ex effectuum similitudine erui poterit causarum veritas.

§. III. Placet quidem Deo sensibilis, & tener amor, quo sibi unitum cor nostrum ipsum sincera adorat dilectione; sed ei magis placet robusta, & activa charitas, qua Anima ad patiendum, & operandum pro ejus gloria promptè se exponit; & quia his repugnat naturalis nostri cordis infirmitas, eam roborat utiliter Deus, suæ passionis exemplo; quod symbolicè innuit aquarum in Mara amaritudo immisso ligno, Dominicæ Crucis typo, in dulcedinem conversa. Omne enim, quod patimur, amabile fit, & dulce Spiritui, quando in Christi passione mens seriò se figit. Hinc est, quòd Deus, cùm elegisset hanc Virginem ad se associandam cum ponderosa infirmitatum, laborum, & austerioris

vitæ

vitæ Cruce, postquam imaginaria suæ Infantiæ Visione amorem accenderat, aliis quamplurimis suorum dolorum internis repræsentationibus eidem ad patiendum fortitudinem auxit; undè frequenter in meditatione, aut Sacra Communione eum internè videbat vel flagellatum, vel crucifixum, vel agonizantem, & aliquando in sinu Virginis Matris jam mortuum. De his omnibus alibi mentionem jam fecimus; sed hìc secundùm morem, quem mihi constitui, ex relationibus, quas suis Patribus spiritualibus internum propriæ Animæ statum, ut debebat, aperiens, ipsa transmisit, nonnulla majori claritate describam. In quodam suo vehementi contritionis actu, sicuti in lib. 1, c. 5 jam retulimus, amarè suas culpas deflens, quamvis veniales, & levissimas fuisse illius omnes referant Confessarii, ex imagine Crucifixi, quam gestabat in manu, imaginariè vidit copiosum effundi sanguinem, & ab illo certior facta est propria abluta fuisse peccata; legamus quod ipsa de hac Visione, ejusque effectibus retulit: *Hac visione desiderium crevit ejus unionis, & simul pro ejus amore patiendi; itaut pro eo me ipsam lacerare, vitamque profundere, si illi placuisset, optarem*. Auxit postea Deus, & maximè circa decimum nonum ætatis Annum, interiores suorum dolorum intuitus, ut ex istis eorumque exemplo majora tolerandi robur accresceret. Videbat siquidem interius varias sibi repræsentari Christi Passionum imagines. *Magna claritate* (sic illa refert) *ipsum videbam nunc flagellatum, nunc coronatum Spinis, nunc sub variis ejusdem dolorum mysteriis, & talem in me imprimebat compassionem, ut præ illa quasi agonizare videbar; & hoc frequenter accidit*. Cernebat ipsum aliquoties in Cruce spirantem, de quo intuitu ipsa sic fatur: *Remansit in me ardens magna pro suo amore tolerandi desiderium, itaut ad propriam regressa domum, sumpto aquæ calice, cinerem immiscuerim, atque ita biberim & amariora atque magis nauseantia bibissem præ nimia patiendi anxietate; unde quærebam sputa, quæ lamberem; & grandiora fecissem, nisi me relicta ex impetu talis visionis prohibuisset corporis lassitudo*. Vidit etiam aliquoties interiùs Jesum jam de Cruce depositum, jacentemque in sinu matris, mihi represéntabatur (sic ipsa scribit) *Christus de Cruce depositus, totusque sanguine conspersus in sinu Matris; Virgo afflictissima apparebat, & me per intervalla intuebatur; & ego ex nimio concepto dolore sæpiùs in terram decidi, sensibus deficiebam pluries, mortali vulnerata spiritûs angustiâ*. Ex his visionibus quanta exardesceret patiendi anxietate audiamus ipsam: *Orans, Dominum vidi Crucem ferentem, ceciderunt ab ejus capite spinis coronato tres sanguinis guttæ, quas, sic ab ipso invitata, lambere ausa sum; statimque me acriter flagellavi, sed dolorem non sentiebam, ejusdem prævalente compassione*. Alibi de similibus divinæ Passionis Visionibus sic loquitur: *Auctum est in me pro Dei amore patiendi desiderium; unde ipsum precabar, ut me dignam faceret suorum dolorum imitatione. Exaudivit me, concedens, ut totam ejus experirer Passionem. In expressivis hisce doloribus magnam sentiebat anima suavitatem, quamvis corpus ex eorum magnitudine remaneret oppressum; excitabant tamen in spiritu ardentiorem patiendi sitim, & totam me pro Domini impendendi gloria. Gratiam etiam accepi experiendi Beatissimæ Virginis tormenta* (id accidit circa vigesimum primum suæ ætatis annum, & de hoc egimus in lib. 2, c. 4.) *quæ magna*

gna nimis erant. In hac Passionis experientia quotidiè mutabatur mysterium, doloresque multis perseveraverunt diebus. Hæc igitur semper majora patiendi sitis (de qua in lib. 1, c. 8, & c. 12, longius loquuti sumus) si sancta non mentitur Theresia, legitimum est de veris, & a Deo communicatis Visionibus, argumentum; nec inficiari possumus visæ interius Christi passionis effectum. Hoc in supracitato duodecimo capite satis probatum est, ut opinor; afferamus tamen hic pro hujus Paragraphi termino misteriosam aliam de hac re visionem, quam hæc Virgo sic refert: *Hodie in exercitio Orationis matutinæ esse optabam supra Calvariæ montem, & ibi sanguinem lambere, quem de Cruce Redemptor effudit; & statim ibi videbar mihi esse, videbamque Jesum ibi appropinquare Crucem suis humeris ferentem, qui mihi dixit: Aude Filia, aude generosa pati. Vidi post hæc lucem quamdam, quæ ex Jesu relucebat vultu, & ipsum in ejusdem montis summitate, ita mecum audivi colloquentem: Exoptasti ardenter, o Dilecta mea, meum sanguinem? en ipsum tibi concedo. Apparuerunt tunc mihi tres Cruces, quarum media divino rubebat sanguine, quem ausa sum lambere; sed multò majorem ad pedes cernebam Crucis, qui subitò versus est in lucis radios, & intra me venit. Dixit tunc mihi Dominus: Illum offer hodie in Sacrificium Æterno Patri, eidemque uniens te ipsam, tuasque actiones, fac de omnibus Patri meo Victimam.* (Addidit post hæc) *Vide in quod mea Crux, quæ mihi dolorosa fuit, pro te transformatur; statimque apparuit mihi Crux veluti Sol tantâ illustrata luce, ut per totum montem radios diffunderet; dicebatque mihi Jesus, o pulchrum pati, o felix pati, aude pati, quia etsi nunc pati dolorosum est, convertetur in delectationem postea.* In hac visione multum certè consideratione dignum, nihil video censuræ obnoxium; concludo tamen, quòd non miror, si ab his internis apparitionibus (quarum, si a Deo sunt, numquam Anima, teste Sancta Theresia, obliviscitur) disposita ad tolerandum hujus Virginis innata cordis infirmitate, tanto ipsa exardesceret Crucis amore, ut eam quasi blandiendo, teneris sæpius salutet nominibus, quæ in citato c. 12 §. 4. non sine ædificatione legi possunt.

§. IV. Habet, fateor, suam difficultatem pœnitentia; sed majorem fortè repugnantiam cæteræ sortiuntur Virtutes; siquidem illa cum solo corporis dolore pugnat, istæ e contra multas edomare debent nostri cordis passiones. Hinc fit quòd, ut notare possunt Animarum Directores, aliquæ, & non raró reperiantur Animæ, quæ magnis proprio libitu se exerceant austeritatibus, paucæ tamen, quæ propriæ abnegationis, patientiæ, humilitatis, cæterarumque Virtutum jugum ferre non renuant; pœnitentiæ sunt avidæ, obedientiæ rebelles. Ut igitur Deus ad heroicas Virtutes, ad quas eam vocabat, hanc disponeret Virginem, imaginarias plures addidit Visiones, quæ illam ad Virtutes allicerent pariter, & erudirent; & de istis, quæ multæ fuerunt, aliquas hic eligam, quæ mihi visæ sunt utiliores. Detestamur omnes importunas in oratione evagationes, quæ ut plurimùm ex affectibus oriuntur cordis, & contra istas opposuit Deus in quadam ecstasi, hoc, quod ipsa describit, nobile documentum: *Dum Divinam meditarer Passionem, videbar mihi esse in Horto cum Christo, & eum aspiciebam veluti extrà se raptum, & ad Patrem mente conversum. Dixique illi: Chare mi Amor, mihi non loqueris,*

ris, nec aliquid dicis? Ille autem me respiciens: Disce, ait, orare, videns quomodo ego oro, prostratus ad terram, oculisque ad meum Patrem intentis, internè orans, & corpore. Observa: Vidi statim exire ab ejus capite tres radios, idest, a Memoria, Intellectu, & Voluntate, qui radii elevabantur ad Patrem, apparentem mihi instar lucis magnæ vastitatis: quos tres radios videbam sub specie candoris, qui innuebant puritatem ejusdem cogitationum a quacumque terrena cupiditate alienarum, quæ solummodò Patris gloriam respiciebant, nostramque salutem. Vidi tunc ejus cor, quod veluti flamma sursùm tendebat ad Patrem; quibus visis, mihi ipse dixit: Quod vidisti imitare tu, quando oras. His visis, jussit me secum orare, & cùm me ad orandum applicarem, nihil ampliùs vidi (notetur ex hoc, quòd Visiones imaginariæ, percepto quod demonstrant, deperduntur ab Anima, ne illis applicet, sed doctrinæ quam includunt). *Reddita ad sensus me vidi in eodem loco, in quo ad orandum me posueram; sed tota consolatione plena, & anxietate patiendi.* Si hæc Visio attentè perpendatur, quod lectorum pietati brevitatis gratia relinquo, in ea perfectæ orationis legem plenè descriptam mirabimur, & utinam disceremus orando imitari Christum in Horto Patrem orantem; essent enim preces nostræ & magis humiles, & magis attentæ. Utilis fuit igitur huic Virgini hæc Visio, qua didicit sic orare, ut ejus ardentes demonstrarunt preces; sed non minùs proficua alia fuit Visio, qua edocta est ad Divinas inspirationes sequendas, contemptâ penitùs sensuum repugnantiâ: *Meditabar* (ipsa dicit) *quantùm Deus erga omnes Charitate sit plenus; & vidi quasi lucis globum, qui omnibus radios vibrabat. Habebam tunc sub oculis mentis Mundum totum, & cernebam, quòd alii in illis ingrediebantur radiis, alii ab illis fugiebant, quorum corda erant quasi lapidea. Videbam plures diversimodè peccantes, quia a se repellebant radios; qui radii inspirationes erant, quas ipsis dirigebat Deus. Videbam insuper, quòd aliqui a peccatis cessabant in illa ingredientes lumina, idest, Divinis consentiebant inspirationibus. Dixit autem tunc Deus cordi meo: Intellige, quòd mihi adscribi non potest hominum perditio; omnibus enim mearum inspirationum radios communico.* Aliquando, ut eam figeret in contemptu vanitatum, quas nimis mulieres amant, hanc Deus addidit imaginariam Visionem. Donaverat Beatissima Virgo ipsam in argumentum Amoris roseâ quadam Coronâ; sed Angelus, qui ipsam ei detulerat, super caput ejus, quasi recusans ipsam ei donare, tenebat altè suspensam; de quo ipsa stupens audivit internè sibi dici a Beatissima Virgine, hoc contingere, quia in necessaria capillorum textura inadvertenter amentum posuerat purpurei coloris; quò protinus ab ipsa sublato, ut conjiceret vanitatum, quæ munera cœlestia impediunt, diligentiorem aversionem, eam Angelus mysteriosa redimivit Corona. Mortificabat ipsa, ut jam vidimus, Virgineo oculos rigore, experiebatur tamen in hoc primis suæ adolescentiæ Annis quamdam sensuum repugnantiam, quam hac imaginaria Visione sustulit Deus. *Sensi* [ipsa refert] *in me desiderium ingens oculos meos mortificandi, ad exemplar Spiritualium mearum Sororum, quæ in hoc mortificationis genere excellunt. Tunc vidi exire a Spiritu Sancto, quem intellectualiter intuebar, duos radios, qui ad meos oculos pervenerunt, & statim intellexi in iisdem gratiam, quam mihi largiebatur Deus, oculos mortificandi, & in posterum*

in

in hoc magnam experta sum facilitatem. Ad hoc ut faciliùs vincamus repugnantiam, qua nostrum cor perfectioni naturaliter opponitur, plurimùm juvat aliquam in phantasia elucere præmii, ad quod aspiramus, umbram; hac etiam Misericordiâ voluit Deus cor hujus Virginis ad tribulationes, quas passura erat, disponere, donans ei in Spiritu imaginarium quoddam æternæ Patriæ experimentum, quod ipsa sic describit: *Orans in Festivitate Omnium Sanctorum, optabam videre quomodo Beati in Cœlo Deum amant. Beatissima Virgo mihi innuit, ut sursum aspicerem; statimque oculos elevans Animæ meæ vidi in Paradiso stantem, ut mihi videbatur, in medio Beatorum, qui omnes fixi morabantur in Deo, Amoris igniti flammis, vidi Jesum, qui totus plenus erat Amore, lætitia, & amabilitate, gaudebatque Amore, & honore, quo eum adorabant Cœlestes Spiritus*. Quos autem effectus in eo operata sit hæc Visio, argui potest ex heroicis Virtutibus, & Actionibus, quas postea (erat enim tunc in Anno circiter suæ ætatis vigesimo) de ea nos scripsimus, & multi referunt. Una ex artibus, quæ contra tribulationes cor firmant, est earumdem præscientia, quia, ut dicit Gregorius: *Minus jacula feriunt, quæ prævidentur*. Hanc etiam ad roborandam hanc Virginem contra multa, quæ pati debebat, adhibuit Deus, imaginariè illi repræsentans multa, quæ verè toleravit, sub specie cujusdam viæ spinis refertæ; quam Visionem hîc libenter transcribo, quia nescio quid habet Prophetici Spiritûs, sed etiam, & præcipuè quia in ea docemur non inconsultò imaginariis fidere Visionibus, quas maligni Spiritus sæpiùs mentiri consuevere, sed eas tum fide, tum Directorum approbatione discernere; undè quamvis prolixiorem, permittatur mihi, sicut eam ipsa retulit, (quod accidit in Anno suo vigesimo) hic distinctè transcribere: *Ad Vesperam incipiens deambulando consuetam Orationem, vocem audivi mihi interius dicentem: Genua flecte; hoc feci, & statim exiens extra sensus me vidi in campo quodam spinis referto, post quem alium intuita sum densioribus occupatum sentibus, & tandem spinosum insuper horridumque aliud nemus, in cujus fine stabat Jesus veluti duodennis, qui mihi dixit: Vide quàm longè adhuc sis a me, & quæ pati debes priusquam pervenias ad meæ gloriæ fruitionem, quam mihi demonstrabat digito versus Cœlum erecto. Campus ille Spinarum primæ sunt afflictiones, quas in præsenti pateris;* (notetur, quòd tolerabat tunc dolorosas cordis palpitationes, molestasque infirmitates) *Campus alter huic succedens significat dolores, quos postea tolerabis majores* (& veræ fuerunt tentationes, ariditates, Directorum quas substinuit contrarietates, & Divinæ Passionis, quam experta est participatio) *nemus tandem, tentationes horribiles prædicit, quas in extremo passura es, itaut a Dæmonibus flagelleris, omnia propter meam tolerans gloriam* [hoc comprobavit exitus; in ultimis enim quinque suæ vitæ Annis jam alibi retulimus, quas vexationes pertulit a malignis Spiritibus, quæ perseveraverunt usque dum Pisas se contulit, ubi occubuit]. *Animum igitur & confidentiam resume; vides enim quàm longum tibi iter ad agendum, & patiendum remaneat. Exierunt tunc a latere Christi radii quidam lucis, qui scalam effinxere usque ad cœlum; in qua primi gradus lucidi erant, sed lucidiores gradatim sequentes. Me vidi ad Scalæ pedes, alios in summitate cernebam Scalæ; totumque absque alia consideratione uno cernebam intuitu. In fine Scalæ*

stabat

ſtabat Jeſus cui obſervabam Amore uniri Animas, quæ ad faſtigium pertingebant Scalæ. Dixit autem mihi internè Deus: Vide, Filia, quid dicis? Tu velles mecum uniri; ſed quàm longum iter oportet ut primùm percurras. Ne timeas tamen; meo utique auxilio, quò cæteri pervenere, tu etiam aſcendes. Uſque huc nihil de tali Viſione hæſitandum cenſeo; at illam Satan in Animæ ſtuduit detorquere ruinam, ſequenti ſatagens, ſi poſſet, hanc Virginem fallere aſtutiâ: *Rediens ad me ipſam* (ipſa ſubdit), *dum deambulans apud me recogitabam quod videram, & ob id imperfectâ quadam ſuſpensâ abſtractione, vidi ad latus meum Agnum candidum, ſpecioſumque, qui mecum deambulans, ſic loqui cœpit: Filia, immaculatus ego ſum Agnus, qui te vehementer amo, & ob id volo tibi detegere inſidias, quas tibi Dæmon ſub ſpecie tetendit boni. Spinas, quas vidiſti, tribulationes ſunt ſemper majores, quas tibi parat Diabolus, ut iis tolerandis impar, pro tua fragilitate deſperata, perdas te ipſam. Vide quantùm ſis debilis, qui nec primas, quas pateris, tolerare potes. Repræſentabat interim meæ imaginativæ me totam impatientiâ, & defectibus plenam; unde ſubjunxit: Ego ſum Deus, qui tecum loquor, nec falli potes ſi dictis meis obtemperes. Vice tot tribulationum, quæ ſucceſſivè tibi minari audiſti, totas ſimul uno ictu mihi ſacrifica, occîdens te; & ſic citiùs ad meam, quæ tibi oſtenſa fuit, pervenies gloriam. Dum ſic loquebatur fictus Agnus, plures apparuere mihi Dæmones, Angelorum facie perſonati, qui Coronas offerentes, & palmas, mihi ſuadebant ut Agno parerem. Non cedebat his omnibus Animæ pars ſuperior, ſolicitabatur tamen ad aſſenſum inferior, tot apparitionibus illecta; ſed adfuit verus Dei Angelus, me monens ſubtilem hanc eſſe tentationem, a cujus aſpectu fugerunt rabie acti Dæmones. Fateor, quòd in Viſionis initio de tot Spinis timore perculſum horrebat cor meum; ſed Deus, ne timeas, mihi dixit, Filia, ſola non eris, auxiliabitur enim tibi Omnipotentia mea; & ſtatim ex fulgida nube, quam percipiebam Spiritum Sanctum repræſentare, deſcenderunt ſuper me plures radii, quorum ope exarſit in me talis patiendi ardor, ut tribulationes anxiè expectarem, quas præmonſtratæ innuebant Spinæ.*

§. V. In hac Viſione notare licet talibus, niſi Fide duce, Directorumque habita approbatione, fidendum non eſſe; poſſunt ſiquidem a malignis Spiritibus in imaginativa, ut nos decipiant, faciliter imprimi, quod huic Virgini talia non adhuc expertæ, contigiſſet forſitan, niſi ſuccurriſſet Deus, qui in ſe confidentes, & puro corde ſibi addictos, non deſerit; & hæc eſt ſecunda Animadverſio, quam ex tranſcripta hac imaginaria viſione juvat eruere. In cæteris autem, quas ſupra retulimus, deceptionis, aut ſuſpicionis veſtigia non reperio; imo quaſdam demiror in eorum relatione inſitas ſententias, quas commentari liberet, ni me terreret prolixitas. Quia tamen ſuſpectæ ſunt, & jure apud multos iſtæ viſiones, ut prudens iis quas retuli, præparetur aſſenſus, liceat effectus, a quibus hæ ritè diſcernuntur, & obſervati ſunt in hac Virgine, curſim ad examen revocare. Multa ſunt non improbandæ viſionis ſigna, quæ lector apud Sanctam Thereſiam, alioſque Myſticos auctores videre poteſt; & cum virtutibus, quas in Maria Catharina referunt multi, ſi libet, conferre; ego aliquos, ut mihi videtur, evidentiores, hic breviter perpendam, & ſunt. Primo loco, quædam Ani-

Animæ quasi renovatio, qua semper ad virtutes majori fervore progreditur; scribit enim Mysticorum magistra (1). *Sufficit una ex his gratiis, ut totam immutet animam, itaut nihil amet nisi eum, qui ipsam horum capacem reddit: & cum ea tantâ agit familiaritate*. Talis ergo ex his Visionibus immutatio observari potest in hac Virgine, si ex ordine chronologico, quem texuimus in lib. 1, Animadvers. 2, progressus inspiciantur, quibus ab anno decimonono, in quo ista experiri cœpit ad majorem semper, austeritate, solitudine, erga Deum & proximos amore, cucurrit perfectionem. Secundo loco, signum est veræ Visionis certitudo quædam, quæ a Deo impressa diu perseverat in anima, quamvis in principio nonnihil sentiat hæsitationis, & timoris. De hac securitate loquitur Maria Catharina scribens: *Visiones istæ imaginariæ sunt, sed adeò claræ, & certæ, ut ab ocularibus non distinguantur; sed de hoc alibi agendum erit*; (Vide lib. 6, Animadvers. 2, §. 4.) nunc sufficiat Sanctæ Theresiæ assertio, & Angelici doctrina, qui hanc approbant, ut videbimus, certitudinem; imò ut Visionis a Deo datæ argumentum adducunt. Tertio loco ponitur internus quidam sapor, quem in ipsis experiendis gustat Anima, & etiam dum eorum reminiscitur, qui sapor apud Sanctam Theresiam, Gersonem, & Divum Gregorium, maximè quando spiritualis est, veras a falsis discernit Visionibus, quod suo loco examinandum erit: Vide lib. 6. Animadvers. 2. §. 1. In testimonium quod hunc traxerit ex imaginariis suis Visionibus Maria Catharina, hic sequentia transcribamus ejus verba: *Visiones istæ tanto cor meum implebant jubilo, ut explicare non valeam; lassitudinem tamen ex vi delectationis internæ relinquebant in corpore: gaudebat quidem spiritus, sed mori timebant sensus*. Quarto numeratur loco prompta sinceritas eas Directoribus aperiendi, conjuncta cautelæ, qua omnibus aliis profundò taceantur silentio. De hoc a Deo documentum, simul & reprehensionem habuit hæc Virgo, dum enim de iis anxia timeret, hæc refert: *Dixit mihi Deus: Tu numquam in me de te ipsa confidis; & adjecit, quòd omnia Directori communicarem; hæc enim via est a deceptionibus tuta; & quia aliqua Directori aperire renueram, subjunxit: Cave ne aliquid ei sileas, quia in hoc stat deceptoris fallacia, atque ob id remanerem illusa*. Quo monitu in posterum erudita, plura obediens scripsit ad hunc solummodo finem, ne silentii reputaretur rea. Multos alios harum Visionum, in argumentum quòd a Deo provenerint, numerare possem effectus; sed quia de eis supra satis dixi, vel ab his Commentariis facilè erui possunt, brevitati consulens, ea prætereo. Unum solummodo addam, quem omnibus aliis æquivalere censeo, & consistit in heroicis virtutibus, quas Visiones istæ mirabiliter promovent, de quo sic ipsa loquitur: *Quando revelatio vera est, magnam mihi relinquit humilitatem, qua me his indignam existimo; in ea sensibilem experior confusionem, nec possum fletum cohibere, quia cum æquali Dei gloria has peculiares nollem gratias. Percipio etiam fervidum pro Dei amore multa patiendi desiderium; & in his Directori aperiendis nullam sentio vanitatem, ac si de aliis illa narrarem; quando mihi interius dicta verificantur, & mihi hoc innotescit, nulla penitus*

(1) *In ejus Vita c. 27.*

penitus me tangit vanagloria ; nec recogito an aliis hoc innotescat . Contraho ex his ardentem Dei amorem , cogitans illius bonitatem , qua mecum , quæ miserabilis sum , taliter agere non dedignatur . Ex jam dictis liceat mihi concludere , quòd concurrentibus veræ, atque a Deo donatæ Visionis tot signis , illas suspicari læsæ phantasiæ apprehensiones , & quod pejus esset , ut Hypocrisis artificia , proscribere , sinistrum potius esset , ut mihi videtur , judicium , fixaque præventæ mentis obstinatio , quàm rationabilis zelus , prudensque cautela . In hisce siquidem, neque effectibus credere , esset leges omnes animarum directioni injunctas infringere . Hæsitare quidem in Directoribus prudentia , sed nimium , obstinatèque suspicari est discretioni animarum opposita nimis , & noxia immobilitas . De hac dolet sæpius Sancta Theresia , concludens (1) : *De hoc magnam habeo experientiam ; sicuti habeo de quibusdam sciolis , pavidis nimium , umbrasque timentibus , qui mihi charo constiterunt pretio .*

ANIMADVERSIO VII.

De Imaginariis Loquutionibus , quibus Deus hanc Virginem internè sæpiùs ad perfectionem erudire dignatus est .

§. I. ULtrà imaginativam (a qua repræsentantur interiùs imagines quædam eorum , quæ vidimus , aut audivimus , vel ipsa species , veluti in quodam thesauro conservatas , componendo , & dividendo , effingit) aliam habemus interiorem potentiam , ad quam spectat judicare an nobis conveniant , aut disconveniant Objecta , quæ imaginativa intuetur . Hæc utique materialis est ; rationi tamen proxima , de qua , ut ait Divus Thomas , multùm participat ; imperfecto siquidem discursu cogitat , arguit , deducens a ratione humana tamen , & inferiori , consequentias accommodatas ad amplexandum , vel rejiciendum particulare bonum , aut malum , quod secundùm innatam sensualitatem judicat , & apprehendit ; atque ob id dicitur *Cogitativa* , aut *Æstimativa* . Magnam igitur in nobis vim habet hæc potentia ; ab ejus enim judicio irascibilis , & concupiscibilis motus dependet , atque ob id ab ejus dispositione non parum in acquirendo perfectionem promptitudo , aut repugnantia derivatur . Et hæc dispositio (quamvis ab Intellectu per principia universalia & fidei , cogitativa nata sit dirigi) variatur nihilominùs magna ex parte ex varietate documentorum , aut eorum , quæ vel exteriùs audiuntur , aut illorum quæ suggeruntur interiùs ; omnia enim hæc *Cogitativam* ad multa provocant cogitanda . Totum quod hîc scripsi , ab Angelico in Secunda Parte ejus Summæ collegi ; atque hîc referre placuit , ut indè eruamus Deum ,

L sicut

(1) *In Castro Inter. Mans. 5 , c. 1.*

ficut eos, quos elegit ad heroicam perfectionem imaginariis Visionibus in Imaginativa præparat, fic internis aliquibus fermonibus, Myfteriofisque documentis, in *Cogitativa* difponit, quæ *Loquutiones Imaginariæ* dicuntur. Sunt iftæ, quando a Deo proveniunt, intimæ quædam dulcesque fufurrationes, quibus Sapientia, mediante Angelorum minifterio, cordi loquitur, eique fuam Voluntatem manifeftat, & ad obediendum fuaviter, fed efficaciter fuadet, & movet; ita eas defcribit Mellifluus (1): *Vox blanda, & leniter infinuans Divinam Voluntatem, quæ non aliud eft quàm Amor ipfe, qui otiofus effe non poteft, de his, quæ Dei funt, follicitans, & fuadens.* Gratia hæc eft certè peculiaris, non tamen incredibilis, fi confideremus Deum in Sacris Literis eam fæpiùs fpopondiffe [2]: *Cum fimplicibus Sermocinatio mea*; & alibi: *Ducam eam in folitudinem, & ibi loquar ad cor ejus*; & in Sacris Canticis hæc Divina Charitatis cum Anima colloquenti blandimenta legimus. Undè Divus dixit Bernardus (3): *Spiritus eft Verbum, Spiritus eft Anima, & habent linguas fuas, quibus invicem loquuntur.* Caveat tamen qui legit, quòd hæ interiores collocutiones, ficuti quando eas Deus non præfumentibus fua pietate concedit, valdè funt utiles; fic audacter optantibus non minùs effent periculofæ; tum quia, ut vidimus, in Phantafia, in qua hæc imprimuntur, vim habet Dæmon; tum quia vanitas, & fenfibilis delectationis gula eft, expectare, quòd cordi loquatur Deus, qui omnia in Scripturis Sacris femel eft locutus; & utinam ejus verba impleremus, quæ clarè fcimus; ex quo patet eos, qui talia defiderant, a Spiritu mendacii fæpiùs deceptos effe, ut experientia docet. Claudantur ergo his potiùs, fi poffibile eft, internæ Animæ aures, & aperiantur veritatibus Fidei. Dixi *fi poffibile eft*; quando etenim Deus verè eft qui loquitur cordi, velle furdefcere tunc non juvat (ficut enim fcribit (4) Sancta Therefia): *In hac locutione, qua Deus loqui vult Animæ, eum non audire eft impoffibile; quia nobis etiam invitis facit, ut audiamus; & ut illis quæ dicit, applicet Intellectus; nec fufficit noftrum velle, vel nolle.* Et alibi [5] addit: *Has loquutiones impoffibile eft non audire, quia Deus omnes fufpendit Potentias, & ut Dominus vult ut audiant.* Quibus adamuffim concordat & Suarez, fcribens (6): *Quòd Anima non poteft etiam fi velit avertere Intellectum a confideratione, & quafi auditione Divinorum*; et Divus Bonaventura (7): *Cùm verbum hujusmodi linguam movet, volens ad Animam loqui, non poteft Anima non fcire, vel fentire ejus fermonem.* Si tamen non poffumus has interiores loquutiones evitare, poffumus tamen, imò debemus, iis bene uti; & modus a Beato Joanne a Cruce præfcribitur, monente, quòd videlicet, fi illæ funt de iis, quæ ad Fidem, Spem, & Charitatem fpectant, in delectatione cum illis fæpè conjuncta non immoretur Spiritus, nec iisdem innixus actus eliciat internos, fed ad veritates in auditis verbis latentes fe attollat. Si verò agenda prænuntient, inconfultis fuis Directoribus nihil agat, femper etenim ad Fidei veritates mentis Deo placebit elevatio, & multò magis Patribus Spi-

(1) *Ser. 45, in Cant.* (2) *Os. 2, 14.* (3) *Ser. 45, in Cant.*
(4) *In ejus Vita, c. 24.* (5) *In Caftr. Inter. Manf. 6, c. 3.*
(6) *De Fide, Disp. 8, Sect. 5, num. 4.* (7) *De 7 Itin. Itin. 2, dift. 4.*

Spiritualibus Obedientiâ; a qua nulla dispensat quantumvis sublimis Dei communicatio. Patuit hoc in Apostolo, cui licèt ad tertium elevato Cœlum, non tamen suæ cognitioni, sed alterius dictis, parere imperatum fuit (1): *Dicetur tibi, quid te oporteat facere.*

§. II. In iis, quæ de hujusmodi internis loquutionibus, vel simplices sint, vel intelligentiis permistæ (cùm etenim sæpè uniantur, in eis distinguendis laborare nolo, eas siquidem discrevi in quantùm plùs minusve in ipsis phantasia se immiscet) eorumque bono usu notavi, consilium meum fuit ad illas non penitus improbandas, & in hac Virgine, ut artificia, vel somnia, uti solet, non condemnandas, viam sternere; nunc autem quales, & quantæ fuerint historico scribam contextu. Initium sumpserunt istæ a decimoctavo ætatis suæ Anno, in quo Deus, postquàm sui Amoris in ejus corde flammas accendit, ut illas suæ Charitatis, & dignationis, quasi flabello magis, ac magis excitaret, multas menti ejus, licèt non quæsitas, infundit futurorum prædictiones, in Oratione ejus precibus, ipsâ etiam invitâ, benignè respondens. Cùm enim ex Directorum jussu, vel rerum exitus, vel infirmitates Deo commendaret, audiebat, quamvis nolens, quid de illis eventurum esset, & verè posteà eveniebat, sibi interiùs revelari; de quibus in Libro II, Cap. III, satis loquuti sumus; sicuti etiam in Lib. IV, Animadvers. VII, §. I, probabilitatem, & humanam fidem non excedere ratione, & exemplis probavimus. Suppeditavit posteà Divina Bonitas circa finem ejusdem Anni interna collocutione eidem peculiares heroicæ perfectionis leges, quas in Lib. III, Cap. II transcripsimus, & in quibus animadverti potest ad quem gradum austerioris vitæ illam destinavit Dominus, & quomodo ipsa tam altæ cooperata sit vocationi. Quod si alicui difficile videretur eam locutionem, qualis est prædicta lex memoriæ retinere potuisse, ut eam suis referret Directoribus, meminerit quòd, ut alibi dicemus, quando Deus cordi loquitur, ita fortiter sua verba imprimit in Anima, ut illorum oblivisci non possit, ut Sancta testatur Theresia (2); imò ex hoc magna ex parte Divinæ discernuntur loquutiones. Mirabiles insuper, uti claræ, & multoties repetitæ, fuerunt locutiones, quibus eidem intimavit Deus suæ Voluntatis esse, ut diutiùs sine aliquo cibo viveret, solo nutrita Angelico Pane; de hoc singulari dono, quod aliquibus admirationem, multis scandalum dedit, satis disseruimus in Lib. II, Cap. III; & in Lib. I, Animadvers. V, §. III. Spero tamen lectori non ingratum Divinas de hoc secum interiùs colloquente Deo, Visiones, per extensum ponere, ut clariùs hujus Privilegii veritas elucescat. Dedit illi Deus in Anni sui decimioctavi initio obscurum suæ ordinationis argumentum; & fuit quòd post eidem communicatos, ut supra vidimus, suæ Divinæ Passionis dolores, eidem indidit tantam ciborum omnium nauseam, qualem ipsa describit, dicens: *Non potui amplius per quatuordecim dies cibum aliquem sumere, stomacho, si sumpsissem, cum impetu, & dolore omnia evomente. Percipiebam, quòd hoc opus esset Dei, quia magnam experiebar animi quietem, firmam pro Dei Amore resignationem, & patientiam.* Post hoc antecedens Divinæ præordinationis signum,

(1) *Act. 9, 4.* (2) *In Castr. Inter. Mans. 6.*

ſignum, incepere clariores Dei Voluntatis manifeſtationes, colloquente ſecum interiùs Deo; ſed inceperunt pariter ejus Directoris contra hanc inediam repugnantiæ, timentis, & prudenter quidem, in re tam inſolita aliquam abſcondi Dæmonis inſidiam; itaut quaſi per Annum perſeveraverit inter Deum, inediam interiori loquutione jubentem, & Confeſſarium ipſam cautæ prohibentem, myſterioſa quædam, ut ita dicam, concertatio.

§. III. Prima fuit Divinæ voluntatis declaratio his clarè verbis ipſi internè manifeſtata: *Volo, ut ex Confeſſarii licentia multis diebus jejunes, & id in Animarum purgantium ſuffragium, peccantiumque converſionem.* Renovavit poſtea, & multoties hanc juſſionem Deus, indicens huic Virgini in Raptibus ſe velle ut totalem ſubſtineret inediam per dies, per integras quadrageſimas, per menſes, & tandem, ſed rarò per annos. Unam ex his internis loquutionibus, ut clariorem, multiſque refertam documentis (quia omnes referre nimis prolixum eſſet) hìc libet transcribere. *Dixi tibi, quòd voluntas mea erat, ut per novem menſes ab omni abſtineres terreno cibo, vivens de ſola Sacramenti virtute; tu verò mandata mea transgreſſa es, comedens aliquoties, quando id tibi prohibueram propter occultos fines, quos ſupra te habeo, propter quos etiam volo, ut Cruces multas internas, & externas ſubſtineas, & ad hoc, ut ex his ſpinis roſas colligas æternitatis; quantò enim meritis ditior eris, tantò magis me in æterna beatitudine cognoſces, majoribusque a me privilegiis decoraberis. Ex amore, quo te proſequor, hæc tibi confero dona, quæ tot aliis meis ſervis te melioribus non dedi; & hoc ut mea dignoſcatur infinita bonitas, operans hæc in creatura virtutum paupere, quando gratiis iſtis majora debebant præceſſiſſe merita, quæ tu non habes. Tibi impero, ut per ſeptem menſes cibum aliquem non ſumas, nec per triginta & tres dies vinum, vel aquam bibas; poſt quos parum aquæ bibes, uſque ad quadrageſimam, in qua omninò nihil. De hac abſtinentia, quod de mea ſit voluntate certitudinem a me recipies, itaut hæſitare non poſſis; & hoc erit tibi ſignum; ſenſibiles tolerabis cordis dolores, aliasque infirmitates, uſque ad Quadrageſimam; ſed his non obſtantibus, quotidie ad Eccleſiam Sacræ Communionis ergo ire poteris; regreſſæ tamen in lectum neceſſe tibi erit decumbere. Dæmon tibi imaginariè varios repræſentabit cibos, ut impoſitum prævarices jejunium; mea gratia humiliter reſiſte, in hoc enim conſiſtit meritum: Videbis opportuno tempore, quid de te facturus ſim, ſi juſſa adimpleveris: non ſumes cibum aliquem; concedo tamen, quòd Director tuus de his experientiam faciat. Toto hoc tempore abſtineas a culinæ ingreſſu, ne jejunium frangendi tentationi te exponas.* Renovavit poſtea Deus, & pluries, hoc inediæ præceptum, & addidit Illuſtrationes de hujus ſuæ voluntatis fine, qui erat illam, ſicut variis afflictionibus, ſic etiam famis, & ſitis tolerantia ad ea, quæ deſtinabat, diſponere. Documenta dedit ad evitandam in tam inſigni privilegio vanagloriam, docens (ut ipſa refert) *Quòd ſuæ bonitati aſcriberem omnia, quæ operatur in me; quòd ſi tentationes me aggredientur ſuperbiæ, ſuggerente Dæmone hanc notabilem eſſe, & ſingularem inediæ gratiam, reſpondeam, quòd propter peccata mea, & ingratitudines, cibo non mereor frui, quo cæteri utuntur; & Deus, qui meam neceſſitatem videt, hac me proſequitur miſericordiâ.* Docuit pariter obe-

obedientiam, auferens a corde ejus ſpiritualem illam tenacitatem, quæ in ipſis ſpiritualibus exercitiis obſtinatè ſæpiùs ſe figunt Animæ, illi jubens, ut ipſa refert: *Quòd iſtis jejuniis cor non apponam, ſed prompta ſim ad ea frangenda, quoties Directori placuerit; & quòd ex Dei gratiis humilitatem hauriam, & confuſionem*. Alibi etiam laudat, quòd internæ ſuæ voci imperium antepoſuerit Directoris, qui jejunia frangere eidem juſſerat, dicens: *Mea erat voluntas, ut in hac Quadrageſima ab omni cibo, & potu abſtineres; tu non paruiſti, quia per tres dies comediſti, ex Confeſſarii obedientia; bene tamen egiſti miniſtri mei parens voluntati*. Hæ internæ Dei loquutiones tantò magis apparent tutæ, quantò plus Patrum Spiritualium dignoſcuntur ſubjectæ judicio, juxtà mentem Divæ Thereſiæ, aliorumque Myſticorum, qui omnes has ex unione obedientiæ, Directoribus præſtitæ, metiuntur. Suſpicari inſuper non poſſumus has interiores voces fictiones fuiſſe imaginativæ a vanagloria, aut deſiderio motæ; ſenſibilem enim contra hanc inediam Maria Catharina experiebatur in ſe repugnantiam; itaut illi humiliter ſe auderet opponere, Deum ſæpius precans, ut ſaltem fructus aliquos, quorum tenebatur deſiderio, eidem comedere non negaret; quod tamen non impetravit, reſpondente ſibi Domino, alios illi in Patria, & meliores, conſervare fructus. Orabat inſuper Divinam miſericordiam, ne tam notabili eam donaret privilegio, timens ſuperbiæ, ex propria fragilitate periculum, videnſque proprium demeritum; ſed tale accepit reſponſum: *Ego Apoſtolos elegi ad mundi converſionem, quamvis ineruditi, ut vulgaris eſſent notæ; ita & te utì volo, ut magis pateat hæc meæ eſſe prorſus omnipotentiæ*. Neceſſariæ tandem fuerunt minæ, ut ipſa rationabilem de hac inedia vinceret averſionem, ut ſupra vidimus; unde ipſa timore compulſa tandem ceſſit. Non ceſſit tamen ejus Director, qui ut Dæmonis inſidias, experientiâ callens, atque ob id magis cautus, hiſce de inedia, utpote de periculoſa novitate loquutionibus longius repugnavit; unde varia, & myſterioſa evenerunt accidentia, ut tandem ſe ad obſequendum cognitæ prudenter Divinæ voluntati diſponeret. Fixus igitur longius perſtitit in non præbendo fidem iis, quæ ipſa eidem interiùs audita manifeſtabat; audiens tandem in omnibus ſpiritualibus collationibus eadem ſibi conſtanter affirmari, ut experientiam de his faceret per paucos dies poſtulata permittebat jejunia; ſed ſtatim, vel compaſſione, vel timore, licentiam revocabat. Non diſplicuit Deo hæc Directoris cautela, ſed eumdem de ſua illuminas voluntate. *Dic* (interius ita loquutus eſt huic Virgini) *Dic tuo Confeſſario, quòd mihi ſacrificet ſatisfactionem, quam ex compaſſione habet, dum tibi hæc jubet frangere jejunia; & quòd non hæſitet, videbit enim hæc omnia in bonum cedere. Non nego tamen, quòd novas adhibeat experientias, ſed tandem meæ cedat voluntati*. (Alias ſic eidem imperavit). *Dic tuo Directori quòd mihi valde placebit, ſi tibi in his perferendis jejuniis auxilio erit; ad tuum ſiquidem in perfectione progreſſum illum elegi, ac proindè hujus abſtinentiæ meritum tuum erit, & ſuum, patientiâ in te adjuvando cooperante*. Multoties ipſa Directori internas, quas de inedia audiebat, ſincere aperiebat voces; at ille, ſi quando aſſentiebatur, videns in ea corporis debilitatem, quæ ex internis, atque a Deo permiſſis proveniebat ſpiritûs afflictionibus,

bus, eamque judicans ex jejuniis derivare, concessam rursus hæsitans revocabat permissionem; quam æquivocationem ita sustulit ipsi, loquens Deus interne: *Nescit fortè tuus Confessarius, quòd si isti virium defectus ab inedia procederent, crescerent utique ea prosequente, & tandem moreris? Nonne videt e contra, quòd absque eo quòd cibum sumas, quando mihi placet, resumis vires, & rursus easdem amittis? non sunt ergo isti inediæ effectus, sed vehementium tentationum, quas pateris, & quarum aversione, & amore perculsa deficis; effectus sunt etiam infirmitatum, & dolorum, quos tibi permitto, ut mihi tolerantiâ assimileris. Nescit quòd tibi hæc omnia eventura ante prædixi? Dic ergo ei, quòd tentationes meo nomine inhibeat, quas ego ad ejus nutum cohibebo; & statim experietur te inediam prosequentem melius habere, tuasque naturales resumere vires; ex quo illi constabit hæc jejunia a mea voluntate procedere, ut sæpius videre potuit & experiri*. Fecit Director de his experimentum, & omnia evenere sicut ille prædixerat. Ipso autem adhuc scrupulosius hæsitante, clariora addidit Deus argumenta; cùm enim cibum sumendo eidem pareret, quamvis vomitus etiam sanguinis in obediendo pateretur, *statim* (sic ipsa refert) *internas atque externas experiebar spiritûs, & corporis infirmitates, de quibus jejunia resumens, statim convalescebam, acquirens denuò animæ lætitiam, sensuumque vires; ubi e contra comedens vix me ipsam præ lassitudine poteram sustinere*. Eò tandem res perducta est, ut ex obedientia manducans, ita intumuerit, ut Hydropica judicaretur a Medicis; resumptâ tamen inediâ, statim tumor evanuit. Excedens, ut reor, fuit in hoc Directoris post tot evidentia signa timor, & cautela; huic tamen tamquam condonabile tanta rei novitate humanæ prudentiæ errori parcens Deus, Directorem illuminavit prodigiosis prorsus modis, de quibus in lib. 2, loco jam citato actum est, e quibus convicti tandem & Directores, & tunc temporis Sarzanensis Episcopus, Divinæ cessere satis cognitæ voluntati; unde ipsa potuit de eorum permissione pro iis temporibus, quæ innuebat Deus, sine ullo cibo, vel potu vivere. Hic fortè hæsitabit quispiam, cur huic Virgini potius quàm ejus Directoribus indiceret Deus statutæ voluntatem inediæ. Videtur enim, quòd ipsis immediatè manifestata majoris fuisset auctoritatis inspiratio. Verùm si historiæ Servorum Dei attentè legantur, & peculiariter Sanctæ Theresiæ, & Sanctæ Catharinæ Senensis, observabimus ut plurimum Providentiæ hunc morem sæpiùs esse, ut pœnitentibus suam voluntatem interius inspiret, Confessariis autem inspirationis probandæ auctoritatem linquat; quod ob id evenire crediderim, ut Directores non sibi, sed inferioribus lumen dari videntes, humilientur. Directæ verò illorum judicio sua scita subdentes, meritum obedientiæ adipiscantur.

§. IV. Multæ fuerunt internæ loquutiones, quibus Divina Misericordia gerens se in hac Virgine erudienda, quod dixit in Evangelio, ut unicum, & verum Magistrum, eam interiùs illuminavit, & docuit; sed quia iis, qui tres priores harum Memoriarum Historicarum Libros legerunt, a doctrinis, quas ipsa effudit, & ab Actionum prudentia, qua egit, hæc clarè patere possunt, ea hìc consultò relinquo, properans ad demonstrandos effectus, ex quibus hæc Divinarum colloquutio-

num

num veritas solet discerni. Plures a Sancta Theresia & longiùs enumerati sunt; at ego, & quia breviati consulo, & quia de eorum plurimis jam dixi in præcedenti Animadversione, loquens de Visionibus imaginariis, cum quibus loquutiones magna ex parte concurrunt, Duos solummodò hîc referam, & sunt: Unus, cautela, qua Verba interiùs audita, priusquam assentiatur plenè Anima, Directorum subjiciat judicio, probans ea, quæ ipsi probaverint, rejiciens quæ rejecerint. Alter: Attenta observatio an res internâ loquutione jussæ, vel revelatæ, verum sortiantur effectum; ut enim notat Sancta Theresia (1) evidentiùs horum argumentum est dominium, & potentia, quam secum ferunt Dei verba, quod dicit, simul operantis; dat enim vim exercendi quod jubet, disponitque suâ sapientiâ causas inferiores, ut eveniat semper, quod dixit. His igitur duobus argumentis libet mihi confirmare veras fuisse, & a Deo emanatas loquutiones, quas hîc attuli, & in sequentibus afferam Animadversionibus. Et quoad primum; licèt de ejus suis Directoribus obedientiâ plura dixerimus, Lib. I, Cap. XI, §. III, permittatur mihi aliqua hîc addere testimonia. Nihil hæc Virgo sentiebat interiùs, quod suis sincerè Magistris Spiritualibus non aperiret; unde prodiere Scripta, quæ de ejusdem habemus charactere. Ab interno quamvis sollicitata impulsu magnas subeundi austeritates, interiori non obediebat motui, nisi obtentâ prius a suis Directoribus permissione, sicut novus in Notis sua manu conscriptis testatur Sarzanensis Episcopus. Et tandem Deus ipse nihil interna jussit loquutione, quod illam non doceret suis subdere Confessariis, magis illis obedire jubens, quàm, ut ita dicam, sibi ipsi; de quo ut de certo verarum loquutionum argumento, aliqua hîc referam testimonia. In injunctæ inediæ initio jussit illi Deus, ut a suo Directore licentiam peteret, addens: *Si noluerit, libenter volo, ut obedias, quærens Spiritualem in parendo delectationem, sicut ego delectabar in obediendo Æterno Patri; & licèt naturæ aspera essent, quæ Pater meus volebat, in illis tamen ipsa me solabatur Obedientia, meique Patris beneplacitum.* Alibi prædicens ipsi internas, quas pro ejus Amore passura erat, angustias, subjunxit: : *Dic tamen omnia tuo Patri Spirituali, & fac quod ille voluerit.* Insuper alias sic ipsam monuit: *Antequam quidquam decernas, tuum consule Directorem, & suo te subde judicio.* Insuper indicens illi plura, quæ pro Animarum Conversione pati debebat, omnium attamen permissionem a Confessario præmisit, ut ipsa refert: *Hoc mane audivi mihi interiùs dici, quòd multa pro peccatoribus tolerabo, atque ob id a Directore licentiam peterem.* In vivendi regula, quam summæ austeritatis, ut vidimus, ipsi dedit, cavet tamen, quod eandem non experiretur absque prævio Directoris consensu. Semper tandem quando interna loquutione aliqua ei dabat præcepta, commendabat ipsi suis Directoribus ea revelare, illisque promptè obedire; argumentum efficax ad interiores justificandas communicationes, asserente Cardinali Bona (2), quòd credi istæ possunt sine errore, quando Patribus Spiritualibus humili aperiuntur sinceritate, illorumque arbitrio cœcâ Animæ se subdunt Obedientiâ. Ad secundum verò accedentes signum, quod consistit in hoc, quòd

(1) *In Castr. Inter. Mans. 6, c. 3.* (2) *De Discret. Spir. loco sæpiùs cit.*

quòd Deus, cujus verba opera sunt, infundit robur ad perficiendum ea; quæ internè aliquando præcipit; & insuper aliorum Voluntatem, atque secundas causas dispenit, itaut eveniant quæ revelavit; multa hîc essent animadvertenda, quæ, ut alibi satis exarata, hîc compendiosa ad lectorum memoriam brevitate reducam. Reflectamus ergo ad supradictam vivendi regulam, quam illi, quò rigorosiorem dedit Deus, eò magis ipsa scrupulosiori custodivit observantiâ; & cognoscemus, quòd ejus pondus substinere non potuisset, nisi ipse pro præceptis adimplendis, quæ humanam videntur excedere fragilitatem, æquale robur infudisset in ejus corde, comprobans quod eidem promisit his verbis: *Ne timeas, Filia, ego ero tecum, & tibi meo succurram auxilio*. Notemus ultra hoc formas interiores loquutionis, exprimentes sæpesæpiùs internas, externasque Cruces, de quibus ipsa sic refert: *Dixit mihi Dominus se velle, ut eadem procedam Calvarii viâ, qua ipse cucurrit, patiendo semper a ventre matris usque ad mortem, cùm semper ante oculos ferret mentis hominum peccata, Æternique Patris offensas, ex quibus inexplicabilem hauriebat dolorem; absque eò quòd in trigintatribus suæ vitæ Annis vel momentum habuerit quietis & refrigerii. Me etiam illuminavit ad cognoscendum suæ esse Voluntatis, quòd ego illum imitando, modò in una, modò in altera re semper patiar*; & addidit, *quòd ad sui exemplum libenter Cruces amplexabor, si in illo mentem fixero*. His igitur prædictionibus quomodo perculsa non remansisset imbellis Virguncula; imò majores semper avida optasset tribulationes, fateor, quòd vix credere possem, nisi eadem, quæ illi loquebatur, immensa bonitas animum addidisset, & robur, ad assentiendum generosè iis, quæ prædicebat. Quoad postea veritatem eorum, quæ ipsi interiùs revelavit Deus, ipsique significabat, ad quod eam Divina destinaverat Providentia, jam in Lib. III, Cap. I, §. I tetigimus. Quoties eidem manifestavit ipsam Deus ad Animarum profectum elegisse, & conversionem; quod quo exitu evenerit in Lib. III jam demonstratum est. Significavit eidem interiùs destinationem, qua eamdem ad Xenodochia Januæ, & Pisis ad serviendum Infirmorum pariter & peccatorum saluti addixerat, dum ipsa videns sibi ereptam spem inter Capuccinas Deo serviendi, ac proinde sentiens in se desiderium saltem infirmarum se mancipare servitio, hoc a Deo habuit responsum: *Ne dubites, ego tuo satisfaciam desiderio te exercendi in operibus Charitatis erga Infirmas; sed modò non licet; adhuc enim nimis juvencula es, & Mundus obmurmuraret. Volo, ut nunc Animas a peccatis cures tuis tribulationibus, jejuniis, & orationibus. Quando de hoc mea erit opportuna Voluntas, hoc tibi patefaciam*. In hac prædictione, quæ accidit decem saltem Annis, antequam ad duo Xenodochia se conferret, plura mihi videntur ad internarum, de quibus agimus, collocutionum veritatem comprobandam, attentè inspicienda. Primò, quòd præmisit Providentia desiderium dicta adeundi Xenodochia, & ardentem de salute Animarum zelum, quo sensibiliter per aliquos antecedentes Annos angebatur, de quo jam loco citato disseruimus, & ad proximorum profectum electionis, certum est argumentum. Secundò, quòd Deus, etiam dum ipsa immoraretur Sarzanæ, ante suum ad Xenodochia iter, plurium ex suis admonitionibus, & laboribus, peccatorum operatus est Conversionem, ut alibi ostendimus; quasi vocatio-

nem

nem præcedentibus ostendens exemplis. Tertiò; quòd hæc ad dicta Xenodochia vocatio, internè illi significata pluribus Annis antequam sequeretur, adimpleta est, non obstantibus magnis, quæ se opposuere difficultatibus. Timebant Directores, disputabant Theologi, ut de re novâ, & ferè inauditâ, formidabant permissionem dare illi, ad quos attinebat, Superiores; & tamen victæ sunt, quas rationabilis opponebat prudentia in contrarium ambiguitates; & vocatio ipsi Virgini Deo interiùs loquente patefacta, suum sortita est effectum. Quod signum est authenticæ loquutionis; quod enim Deus verè dicit in tempore a Sapientia destinato, quin adimpleatur, nullus valet obsistere. Longum hic esset referre quot internas loquutiones huic Virgini a Deo datas exitus comprobavit. Qui tres priores Libros legit, hæc optimè noverit; undè hic esset otiosum jam dicta repetere; satis erit concludere, quòd si dicta complentur, a Deo provenisse apud Mysticos magnum sit argumentum.

ANIMADVERSIO VIII.

De Visionibus Intellectualibus, sive, ut dicuntur; Intelligentiis, quas Deus huic Virgini indulsit.

§. I. UT absque æquivocatione loquamur de Visionibus Intellectualibus, quas Beatus Joannes a Cruce majori quidem proprietate *Intelligentias* vocat, cavendum est, ne hoc fallamur Visionis nomine. Nihil enim in istis a sensibus externis, aut internis cernitur, sed cognitiones tantummodo sunt puræ, Spiritualesque intellectus; & visionis nomen ipsis adscribitur, quia sicut visus inter cæteros sensus, minus est materialis, & magis certus, ita intelligentia inter alias nostras cognitiones spiritualior est, atque tutior; sic monet Angelicus (1): *Propter dignitatem, & certitudinem hujus sensûs extensum est hoc nomen ad omnem cognitionem aliorum sensuum.* Visiones igitur istæ intellectuales, seu Intelligentiæ sublimiores sunt omnibus imaginariis, de quibus jam disseruimus; in istis enim cognoscit intellectus æternas veritates non mediis sensibilibus speciebus, sed spiritualiter in intellectualibus quibusdam imaginibus; unde ab iisdem nobilitatus, appropinquat ad modum, quo veritates cernuntur in Patria, ut docet Div. Thomas (2): *Manifestatio Divinæ veritatis, quæ fit per nudam contemplationem ipsius veritatis, potior est, quàm illa, quæ fit per similitudinem corporalium rerum, magis enim appropinquat ad Visionem patriæ, secundum quam in Essentia Dei veritas conspicitur.* Hæc ipsa tamen intelligentiarum sublimitas monet nos, ne ad ipsas, ut meritum nostrum nimis transcendentes, audacter adspiremus; & hujus rei ratio est, quia ad perficiendum nostrum intellectum sufficit meditata Fides, a qua mysteria

(1) 1, q. 67, a. 1. [2] 2, 2, q. 174, a. 2.

ria omnia ad salutem conducentia docemur; absque eò quòd elevatas quæramus intelligentias, quæ, sicut volentibus credere & vivere, ut debet qui credit, necessariæ non sunt; ita ad eas anhelare non vera esset devotio, sed superba curiositas. Insuper sicut temeritas esset velle se ipsum elevare ad ultimum, & mysticum contemplationis gradum, quem Spiritualis matrimonii nomine decorat Sancta Theresia, ita evaderet audaciæ reus, qui præsumeret intelligentias illas, quas Deus paucis concedit animabus, ad dictum Spirituale Matrimonium electis, & pro eo sunt (ut ait Divus Thomas (1)) quasi nuptialia dona; verum tamen est, quòd quamvis talia exoptare non debeamus, justum nihilominus est, ut ea æstimemus, eaque, ut dona Dei, admirantes aliis concessa, illas Deo reddamus grates, & laudes, quas infinita meretur Dei bonitas, se miserrimis suis creaturis, & aliquando idiotis, simplicibusque, communicans. Ad quod agendum non parum juvabit scire quid sint, & quomodo a Deo concedantur Intelligentiæ, de quibus hìc loquimur: si tamen Sanctorum Patrum calamo hìc describere mihi inexperto concedet Deus, aliquid eorum, quæ Divus Bernardus cum tota, qua de his fruebatur experientiâ, fassus est ineffabilia esse, dum in his experiundis attonitus exclamabat (2): *Nonnumquam Domine, quasi clausis oculis ad te inhianti immittis mihi in abscondito, quod non licet mihi scire quid sit.* Videamus hoc non obstante, quid de his intelligentiis sentiant, & quomodo eas describant probatissimi inter Mysticos auctores. *Est visio intellectualis* (scribit Cardinalis Bona) (3) *clarissima rerum Divinarum manifestatio, quæ in solo intellectu absque figuris, & imaginibus perficitur.* Addit Angelicus (4), quòd in illis cognoscens Intellectus æternas veritates, absque discursûs circuitu, aut necessitate abstrahendi a phantasmatibus species intelligibiles, sed sola divini luminis impressione (in quo concurrunt, & Cardinalis Bona (5), & Divus Bonaventura (6)) assimilatur aliquatenus modo, quo cognoscunt Angeli. Imo audet, apud Divum Thomam (7), Areopagita has operationes dicere quodammodo Divinas: *Sapiens Theologus Visionem illam dicit esse Divinam, quæ fit per similitudines rerum formâ carentium, ex reductione videntium in Divina.* Intelligemus has Sanctorum sententias, nec eas suspicabimur exaggerationes, si animadvertamus cum Divo Gregorio, quòd ubi in visionibus imaginariis concurrit quidem Deus, sed mediantibus Angelis, quibus jubet in hominum phantasia imprimere phantasmata proportionata iis, quæ vult revelare; in intellectualibus è contra per se ipsum species infundendo operari non dedignatur (8): *Duobus modis loquutio Divina distinguitur, aut per semetipsum Dominus loquitur, aut per Creaturam Angelicam ad nos verba formantur. Sed cùm per semetipsum loquitur, sola nobis vis internæ inspirationis aperitur, & sinè verbis, & syllabis cor docetur.* Et quòd sub nomine loquutionis, intelligentias describat Sanctus Pontifex, patet ex hoc, quod sequitur (9) videlicet: *Loquutio intrinsecus*

(1) *In 3 Sentent. Dist. 13, q. 1, a. 1.* (2) *De Am. Dei, c. 9.*
(3) *De Discret. Spir. c. 18, num. 1.* (4) *Sæpe in 2, 2, q. 171, 173, & 174.* (5) *Loco sup. cit.* (6) *De Prof. Religios. c. 18.*
(7) *2, 2, q. 173, a. 1.* (8) *Lib. 8, Mor. c. 2.* (9) *Ibidem.*

fecus facta, videtur potius quam audiatur. Et ecce cur Dionyfius intelligentiis divinarum nomen attribuit, non folùm quia profundiora de divinitate, nebisque minus intelligibilia, in ipfis ab infufo illuftrantur lumine, fed etiam quia in ipfis communicandis, fingulari caritate in noftro intellectu, ad quem nifi mediatè pertingere non poffunt Angeli, operatur Deus. Quomodo autem hoc fiat, docet Divus Thomas, dum mirabilem hunc Dei concurfum duobus modis, pariter divinam dignationem exprimentibus, profundè diftinguit. Ad quorum tamen intelligentiam, attentè notandum eft habere fidem veritates aliquas, quæ cum fenfibus quodammodo connexæ funt, alias a fenfibus prorfus alienas. De primis igitur intelligentia datur hoc modo, videlicet: Ponit Deus in phantafia Imagines aliquas, quæ ad elevandam Animam ad intelligibilia, magis quàm illæ quas a fenfibus haurire poffit, efficaces funt, & opportunæ; & fimul roborat lumen intellectûs agentis, ut ex illis abftrahat fpecies intelligibiles nobilioris conditionis, quibus divinas profundius veritates percipiat. In intelligentiis autem earum fidei veritatum, quæ a fenfibus prorfus remotæ funt, quia phantasmata læderent potius, quàm juvarent, infundit Deus ipfe in intellectu fublimes quasdam fpiritualesve fpecies, quas recipiendo ipfe redditur paffivè intelligens, & verè intelligendo ea, quæ fibi data funt, admiratur, & adorat; itaut in his duobus modis Vifionum intellectualium, vel mediatè, vel immediatè, auctor femper fit Deus. *Vifio intellectualis* (fcribit Angelicus) (1) *fit fecundùm aliquam fimilitudinem intelligibilem, quæ quandoque a Deo imprimitur, quandoque a formis imaginariis refultat, fecundùm adjutorium luminis*. Quantum autem utilitatis ex his duobus intelligentiarum modis hauriat anima, metiri poffumus tum ex fecuritate, quia in iftis nec fe immifcere, nec decipere poteft Dæmon, qui in intellectu nullum habet jus, aut actionem, ut notant Sancta Therefia (2), & Cardinalis Bona (3): tum quia multum, & ftatim ab impreffionibus Divini Spiritus mens eruditur, ut fcribit jam citata Myfticorum Magiftra (4): *Anima fe videt ex improvifo fapientem; adeoque Myfterium Trinitatis, aliasque altiffimas veritates edocta, ut de iisdem auderet cum quovis Theologo difputare*. Idque accidit ex eo, quòd non abftrahit intellectus a phantasmatibus fpecies, in quo decipi poffet, fed, ut fcribit Sancta eadem (5), *Ponit Deus in interiori Animæ id, quod vult ut intelligat; & ibi fine imagine, aut verborum forma, ipfi repræfentat ea, quæ cognofcenda proponit; unde remanet in Anima veritas illa cum claritate, & certitudine impreffa*. Quibus, ut clarius fe exprimit, ipfa fubdit: *Hic intelligendi modus melius percipitur ex modo intelligendi, qui habetur in Patria. Sicut enim ibi abfque eò, quòd loquantur, fe intelligunt Beati, aut Deus facit illos intelligere quod vult; ita hîc Deus, & Anima fe intelligunt, finè aliquo artificio, fed folummodo quia vult Deus ut intelligat*. Quod hactenus fcripfi eo folùm fcripfi confilio, ut oftendam credibiles, utpotè in auctoritate Doctorum fundatas, intelligentias illas, quas pluribus devotis Virginibus fupra eorum capacitatem a Deo colla-

 tas

(1) 2, 2, q. *fupra cit.* (2) *In Caftr. Inter. Manf. 6.* (3) *De Difcret. Spirit. c. 18, nu. 2.* (4) *In ejus vita, c. 25.* (5) *In ejus vita, c. 27.*

tas in Ecclesiasticis legimus historiis, in Maria Catharina numerosas, atque elevatas, in sequentibus animadversionibus ad majorem Dei gloriam libet describere. Et ut clarius describam, opportunum videtur mihi enodare hìc prius duo dubia, quæ quis posset opponere. Primum, quomodo credi possit tot ipsam habuisse, & sublimes, & ferè continuas intelligentias; secundum, quomodo si istæ non ab imaginativa, sed a solo dependent intellectu, potuerit ipsa suis Directoribus easdem referre, cùm certum sit nihil ad linguam transire, quod in phantasia non præcesserit. Graves revera sunt hæ difficultates, quibus tamen, & Divus Bonaventura, & Cardinalis Bona, respondent. Scribit siquidem primus, quòd ipsæ jam receptæ intelligentiæ sinus dilatant mentis, & intellectum aptiorem reddunt, magisque dispositum ad penetrandum ex una cognita veritate aliam sublimiorem (1): *Per intelligentiam sinus mentis extenditur, & contemplantis acies acuitur, ut capax sit ad multa comprehendenda, & subtilia penetranda.* Non igitur mirum est, quòd hæc Virgo ex una intelligentia proficuè recepta, ad alias habilis redderetur recipiendas; atque ideò numerosè, semperque nobiliores concederentur adimpleta in hoc Angelici doctrina (2): *Anima quantò plus recipit de bonitate Divina, & lumine Gratiæ ipsius, tanto capacior efficitur ad recipiendum; & ideo quantò plus recipit, tantò plus potest recipere.* Observat, quòd ad secundum attinet dubium, Cardinalis Bona, Visiones intellectuales, ut impressæ simpliciter in intellectu, atque ob id imaginativæ incognitas, vix exterius exprimi posse; quando tamen vult Deus ad aliorum, & maximè Patrum Spiritualium notitiam illas transire, format in phantasia imagines aliquas eorumdem, quæ intellectualiter communicavit, quarum ope possit Anima exteriùs exprimere ea, quæ interius vidit (3): *Ut tamen verbis possint exprimi, & aliis communicare, congruæ imagines formantur in phantasia, in quibus decidit intellectus ab intelligibili puritate:* Atque id, quia, ut idem subjungit Eminentissimus, (4) *Lumen divinitus ab intellectu susceptum vim habet splendorem suum derivare in phantasiam, ibique imagines formandi, quibus Anima possit, quæ spiritualiter intellexerit, sensibiliter percipere.*

§. II. Incredibile igitur non est, quòd hæc Virgo tot habuerit sublimes intelligentias, ipsasque potuerit tanta proprietate referre. Quo constante ego sperans easdem Animabus fore proficuas, illas non per extensum, sed per fragmenta, brevitati consulens, hic decrevi transcribere; protestans tamen, ut alibi dixi, quòd non omnibus utar, sed illis tantummodò, quas alicujus judico auctoritatis, utì proprio hujus Virginis charactere exaratas. Ut autem in hoc confusionem evitem, & ob id aliquo procedam ordine, non seriem Annorum, in quibus ipsa has cognitiones a Deo recepit (quæ initium sumpsere ab Anno circiter vigesimoquinto suæ ætatis, & perseveraverunt usque dum circa finem suæ vitæ Visiones successere exteriores), ut inquam in his aliquem ordinem servare possim, eâ utar distinctione, quam in his Visionibus Intellectualibus Richardus notat a Sancto Victore. Aliæ, scribit ipse (5) aliquam ha-

(1) *De Itiner. Ætern. Dist.* 4, *a.* 3. [2] *In* 1 *Sentent. Dist.* 17, *q.* 1, *a.* 4. (3) *De Discret. Spir. c.* 17, *num.* 3. (4) *Ibidem.* [5] *Beniam. min. c.* 18.

habent cum phantasmatibus connexionem, a quibus tamen cum Divini luminis assistentia abstrahit Intellectus puriores species, sublimioresque notitias; & hæ sunt de Virtutibus Moralibus, de peccato, præmio, pœna, & similibus, ad quæ humana ratio a fide illustrata, valet aliquatenus pervenire. Aliæ, dato quòd aliquas admittant sensibiles species, poscunt tamen, ut ab illis per remotionem, ut ait Angelicus, seipsam mens elongare conetur; & ad radium se attollens superiorem ipsas transcendat; & sunt de Animabus rationalibus, de Angelis, similibusque veritatibus, in quibus erraret Anima, sicuti plures errarunt Philosophi, si cognitionibus a sensu haustis fidere auderet. Aliæ tandem ita sublimes sunt, ut omnia excludant Phantasmata, humanumque discursum, imò se illis subdit victa, & confusa omnis nostra inferior ratio, non enim percipi possunt nisi in hac unica superiori ratione; *Vera sunt, quia Deus, ineffabilis veritas, ea revelavit*; hujusmodi sunt Incarnationis, Attributorum, Trinitatis, Divinæ Essentiæ, quas Deus aliquando Contemplantium menti imprimit intelligentiæ, & in quibus pene omnis, & imaginativæ, & ratiocinationis facultas suspensa fatiscit. Hac igitur scripturus distinctione, ut a primo incipiam genere (cùm de Virtutibus habitis ab hac Virgine possit, qui vult, eas admirari in iis, quæ in Libro Tertio, Cap. Ultimo jam satis retulimus) ponam in primo loco eam, quæ in Conversione Animæ ad Deum semper prima est, cognitionem, ea referens quæ Maria Catharina de peccati gravitate intellexit, & efficaci scripsit energiâ. Edocta igitur fuit pluries a Deo peccati læthalis horrorem mente perpendere. Meditans quadam die pulchritudinem, quam in creandis Animabus, iisdem impressit Omnipotentia: *Audivit* (notetur quod ly *audivit* sumendum non est imposterum pro sensibili loquutione, sed de Spirituali mentis auditu) *Audivit a Deo ita sibi subjungi: quando Anima Majestatem meam mortaliter offendit, tunc ego sicut Sol densâ adopertus nube, radios telluri non immittit, nec eam fœcundat, aut fovet; radios meæ bonitatis, quibus Anima floribus & fructibus fœcundatur Virtutum, retineo; undè illa, sicut terra viduata Sole, sterilis remanet, sentibusque repleta meam irritat Justitiam.* Huic similitudini, quæ dictis Sanctæ Theresiæ (1) adamussim respondet, addamus aliam obscuritatem, quam in Spiritu hæc Virgo vidit in Anima peccatis onusta, quam ipsi, ad hoc ut de ejus Conversione zelum indè sumeret, sic Deus ostendit: *Deus fecit me videre Animam carbonis ad instar nigram, & mihi dixit, quòd si illa in peccatis perseverabat, coactus erat a sua Justitia illam præcipitare in Infernum, ubi totâ arderet æternitate; sed quia ejus æternam optabat salutem, mihi jubebat, ut pro ipsa corde spei pleno ei preces ardentes offerrem, ut per viscera paternæ suæ semperque ad parcendum promptæ Misericordiæ, ei Voluntatem infunderet firmam relinquendi peccatum, quod malum est infinitum, tendit enim ad destructionem Dei, qui Bonum est infinitum; imposuit ad hunc finem satisfactoria, quæ offerre debebam; obtuli, & post quatuor dies Animam eamdem vidi nive candidiorem, in qua fruebatur Deus.* Cogitans in Spiritu damnum ingens, quod Animabus infert

(1) *In Castr. Inter. Mans.* 1, c. 2.

infert peccatum, tali modo loquuta est, & ab eodem responsum accepit: *O perfectissimum Verbum, increabile in Natura, & Substantia, inexplicabile in magnitudine tuæ Divinæ Essentiæ; mens mea concipere non potest, quomodo tot Animæ te deserentes earum principium & finem, Mundum sequantur; est ne iste te amabilior?* (Cui subdidit Verbum): *Istæ Animæ cœcæ sunt, claudentes oculos radiis meæ Divinæ lucis, quia vanis irretitæ carnis affectionibus oppressere simul & obscurarunt activitatem proprii Intellectûs; undè earum Voluntas submersa remanet in peccati lethargo, cui proprium subdunt Spiritum; & sic præpediuntur ne me cognoscant; & quod non cognoscitur, amari non potest; nec me noscent, nisi prius seipsas noscant; me non amabunt, nisi se oderint.* Usque modò damnum demonstrat, quod Animabus parit peccatum: videamus qua efficacia ejusdem describat turpitudinem, & horrorem. Comparuit huic Virgini quodam die visibiliter Dæmon, & cernens in ipso peccati deformitatem, sic scribit: *Eum videbam sub specie umbræ cujusdam tenebrosæ, & obscurissimæ, quia in se non habebat lucem Divinæ Gratiæ; & vidi in ipso infinitam peccati deformitatem* (infinitam dicit in sensu Divi Thomæ, scilicet terminativè) *adeout nisi mihi auxilio fuisset particularis Dei gratia, oportebat, ut morerer pro horrendo tantæ deformitatis intuitu. Hæc Visio indidit mihi majus peccati odium, itaut vellem potiùs esse innocens in Inferno, quàm unius rea peccati. Mi Deus, si tu prævides, quod ex mea fragilitate te offensura sim, evelle potiùs vi crudelis mortis Animam ab hoc corpore, quàm permittas te amittere, qui es vera Vita mea.* Hic horror ex intellectuali peccati Visione legitur etiam in Vita Sanctæ Catharinæ Januensis, quæ videns in Spiritu deformitatem culpæ fatetur, quòd nisi Deus illi citiùs talem substulisset intuitum, cessisset abruptum præ nimio horrore cor ejus. Exprimit tamen hæc Virgo Spiritualiùs peccati turpitudinem, dum ecstaticè ad Paradisum elevata, sic scribit: *Cognovi pœnam, quam experirentur ex peccatis, quæ committi vident, Angeli, & Beati, si pœnæ capaces essent; & hujus doloris causa esset, primum Dei offensa, deindè jactura, cui peccantes se subdunt, & supplicium, quod eligunt. Vidi, quòd si capaces essent doloris, plus dolerent illi, qui Charitate proximiores sunt Deo, quia majori pollent cognitione. Mihi insuper ostensum est, quòd si dolere possent, acerbior de peccatis esset dolor Jesu Christi, & Virginis Matris, considerato tamen Jesu quoad Humanitatem.* Hæ cognitiones quis non videt peccatoribus, ad resipiscendum quàm essent proficuæ, & maximè ultima; etsi enim Christus de peccatis realiter modò dolere non potest, quia beatus in Cœlo, doluit tamen ea prævidens, quando passibilis vivebat in terra. Fortior tamen de peccati horrore est relatio, quam Episcopo suo Directori his verbis transmisit: *Dominationi Vestræ Illustrissimæ aperio, quòd transacta die Martis, dum non sine lacrymis summam injuriam, quam peccando homines faciunt Deo, tentantes ipsi ejus Divinam usurpare substantiam, magisque eum suo inhonorantes peccato, quam totus Paradisus Amore glorificet* (1); *etsi Deus pœnæ capax esset, peccatum esset omnis ejus pœnæ pœna; est enim malum infinitum, Deoque intolerabile, quia suæ bonitati, sanctitati, & perfectioni repugnat. Dum sic meditabar, vidi Deum,*

[1] *Vide Lib. 6, Animadvers. 3, §. 2.*

Deum [1], *qui omnia intimâ Suâ Majestate*, *& gloriâ replebat*, *absque eò quòd ipse ab aliquo limitaretur*, *aut comprehenderetur*, *& mihi dixit: Scis*, *serva mea*, *quòd innumerabiles sunt Animæ*, *quæ me offendunt*. Prosequutus est hic Deus eam monere, ut pro duobus peccatoribus oraret, de quo supra aliquid tetigimus. Ego interim miseriam meam defleo, cui hæ veritates, & damni quod Animæ infert peccatum, & justissimi odii, quo illud omnes Beati Spiritus, & Deus ipse prosequitur, tam immanis monstri non valent ingerere horrorem. Ingessere tamen huic Virgini, atque ita profundum, ut quadam vice exprobrantibus mendacii astu malignis Spiritibus, se tentationibus Fidei consensum præstitisse, talem contraxit peccati suspicione mœrorem, ut ipsa sic scribat: *Hæc audiens confusa remansi*, *ac terrore percussa*. *Timebam enim amisisse Deum meum*, *omnes mei boni fontem*, *unde in hæc verba prorupi*; *mundani si magni valoris gemmam amittunt*, *impensè dolent*, *tantoque in eis augetur dolor*, *quantò clarior pretiosæ gemmæ est cognitio*; *& sic ego suspicans me Paradisi gemmam*, *meum scilicet Deum*, *perdidisse*, *intimam sentiebam pœnam*, *quæ me quasi ducebat ad mortem*, *aucta a cognitione*, *quid sit Deus*, *mediante lumine Fidei*, *& a memoria tot donorum Naturæ*, *& Gratiæ*, *quæ ejus mihi elargita est bonitas*. *Dum tam amarâ angebar afflictione*, *apparuit mihi in specie purissimi & speciosissimi Adolescentis Custos mei Angelus*, *& solatus est his verbis*: *Missus sum a Deo*, *ut solarer afflictionem tui Spiritus*, *ex sua infallibili veritate te faciens certiorem*, *quòd pretiosissimam*, *& a te unicè dilectam gemmam nequaquam amisisti*, *sed eâ frueris pacifico Amore*. Observemus hic causas a quibus torquebatur in insussistenti peccati suspicione; & nos, Deus scit, an doleamus ipsa inspecta nostrarum iniquitatum veritate. Si tamen eam ita affligebat pura peccati apprehensio in seipsa, non minori tangebatur dolore ex proximorum culpis, unde interiùs illuminata a Deo de quarumdam Animarum obstinata impietate, sic Episcopo scripsit: *Hæc legitima est causa supernaturalis*, *quam patior*, *infirmitatis*, *quæ videtur mihi crudele martyrium*; *morior enim continuè absque eò quòd verè moriar*, *agente hoc summa & inexplicabili pœna*, *quam mea experitur Anima*, *cognoscens quòd Deus per se ipsum*, *& in se ipso est infinitè amabilis*, *& tamen homines illum tantâ offendunt temeritate*; *post tot beneficia illum fugiunt*, *despiciunt*, *& exeunter e suo centro*, *quod Deus est*, *quod Creatori debetur sibi ipsis usurpant*; *furantur summa cæcitate se Deo*, *ac vitiosè in creaturis se diffundentes*, *illis donant omnes proprii cordis affectiones*, *delectationibus sensuum & carnis addicti*: *O homines stulti*, *qui ab omnipotenti Dei virtute seipsos separant*; *& eligunt esse miserrimum nihil*, *suæque mentis dignitatem despicientes*, *Dei in se fœdant imaginem*. *Ob hoc vita mihi mors est*, *optans*, *si Deus vellet*, *substinere pœnas omnes*, *quas Sancti tolerarunt Martyres*; *imò & atrocitatem pœnæ sensûs quam experiuntur damnati*, *dummodò his obtinere possem*, *quòd amplius non offenderetur Deus*. Ponderosæ hæ Animadversiones, quibus tanto peccatum abhorrebat odio; ardensque zelus, quo testatur se promptam ad moriendum, ut a proximis tollerentur culpæ, velleitates non fuere, sed agens Voluntas, ut testantur omnia ea, quæ

(1) *Vide Lib. 6*, *Animadvers.* 3, §. 3, *&* 4.

quæ ad peccantium conversionem ipsam substinuisse alibi fusiùs narravimus; & quæ inficiari non possunt, ni fallor, effectus fuisse emanatos a veris illustrationibus, quas habuit hæc Virgo; & utinam haberemus omnes de gravitate læthalis peccati.

§. III. Peccati horrori addere solet Deus, ut calcar ad pœnitentiam, timorem pœnæ, & ob id Mariæ Catharinæ, ut profundiùs in ea radicaretur peccati odium, atque accenderetur ardens Animarum zelus, post turpitudinem culpæ, ostendit intellectualiter atrocitatem pœnæ. Rapta igitur quadam die extra sensus, dum contemplaretur quanta pro Animabus operatus est Deus, & quot Animæ eum offenderent sui amoris abusu, sic quod extatica vidit, ipsa refert: *Tanta noster fecit Deus, ut nos ad se amandum provocaret, & tamen Animæ tot luminibus Gratiæ voluntariè oculos claudunt, eis ad æternam salutem uti renuentes; sed Deus contra ipsas agricolam imitabitur, qui post longam erga arborem culturam, eam videns infructuosam, & aridam, securi truncat, & ad ignem damnat. In talis considerationis instanti ab aura fulgidissima Spiritus Sancti, qui duarum Personarum amor est essentialis* (1), *ad Infernum ductam me vidi* (2), *ubi immanium pœnarum, in quibus involvuntur infelices illæ Animæ, terrore perculsa, coactam me sensi illis ad sic loquendum: In nomine Increatæ Sapientiæ vobis jubeo, ut dicatis mihi quæ sit major pœna, quam substinetis; tunc earum una, sic mihi respondit* (3): *Summo rubore tibi dico majorem nostram pœnam non esse sensûs, sed damni, quæ nobis est plus sensibilis, & nostra intolerabili confusione cogit nos in tota æternitate confiteri, & dicere: O Justissime Deus, spes nos decepit, quam distulimus, redeundi quandoque ad nos ipsas, nostrasque emendandi culpas, atque amplectendi Gratias illas, quas nobis immenso amore communicatas, ut lutum despeximus, & quibus potueramus ad salutem pervenire. A nobis processit nostræ damnationis causa, & origo, non ab Æterno Patre, qui cùm infinitè sit bonus, essentialisque ipsa bonitas, tantam nobiscum adhibuit in vita, & hìc etiam adhibet præservans nos a majori pœna, quam nostra merentur peccata; quibus tentavimus totam suam Divinam ei usurpare substantiam, sed totum malum nobis advenit æterno illo Semper, & Numquam, quod in æternum substinebimus. Tunc Anima illa rabie, & confusione furens, Deoque maledicens, qui eam talia fateri coegerat, sese in puteum igne, & sulphure repletum præcipitavit; & a meo intellectu illæ funestæ imagines disparuere.* Horribilis hic Inferni intuitus an fuerit pure imaginarius, an intellectuali permistus, hic discutere inutilis esset curiositas; quamvis crediderim in eo ambas adfuisse Visiones, imaginariam nempè, & intellectualem, juxtà placitum Sanctæ Theresiæ, asserentis, quòd ambæ ferè semper uniuntur. De hoc igitur aliis judicium relinquens, addam aliam non minus utilem visionem, qua Deus huic Virgini, sicut ad terrendos ostinatos obstendit Infernum, sic, ut pœnitentibus suaderet aliquam offensæ Justitiæ offerre satisfactionem, purgatorium repræsentavit, seu potius experiri voluit. Mirabile fuit accidens, nec ego illud auderem describere, ni credibile hoc mihi suaderet simile quid a Surio in

(1) *Vide Lib. 6, Animadvers. 7, §. 4.* [2] *Vide Lib. 6, Animadv. 3, §. 3.*
(3) *Vide supracit. Lib. 6, Animadvers. 3, §. 3.*

in vita Sanctæ Christinæ enarratum, in quo multum qui legerit, inveniet his non absimile; & discet forsitan cur Maria Catharina in Animarum purgantium suffragium incredibiles, & apparenter immoderatas adhiberet, quas alibi retulimus, austeritates. Augebat siquidem compassionem, & zelum ipsa, quam gustaverat tormentorum experientia. Liceat igitur mihi rem, prout ipsa suis Directoribus refert, longius, & de verbo ad verbum, describere; in hac enim descriptione quosdam notare poterimus loquendi modos, qui intellectualem lucem in imaginaria ipsa visione latentem innuunt.

§. IV. In festivitate omnium Sanctorum Datorem vitæ sic oravi. *O dulcis, mansuetus, pacificus, innocens, & immaculatus Agnus, nostra Victima, ad tuos Sanctissimos, & adorabilissimos pedes humiliter prostrata, toto mei pauperis Spiritus, & intimo cordis obsequio te incessanter precor, ut in virtute pretiosissimi, generosi, & vitalis tui sanguinis, digneris mihi concedere, ut majora semper patiar; hoc enim meorum desideriorum centrum est; sicut ardenter desidero, ut animas in flammis Purgatorii a te destinatas patiendo adjuvare valeam. Exaudivit vota mea indulgentissimus Deus tantâ abundantiâ, ut suâ peculiari egerem gratiâ, ne me opprimerent, quæ successere tormenta. Apparuit siquidem mihi lucida nubes, quæ summa violentia, meoque magno stupore, me ipsam sibi intraxit; & Angelus mei Custos, cum mea ineffabili delectatione me certiorem reddidit, quòd volebat Deus Votis meis satisfacere, ut a sua exortis gratiâ. Tunc ipsa nubes suavi quodam zephiro agitata, me collocavit in Purgatorio, ibique me reliquit. Remansit tamen mecum Custos Angelus, luce, pulchritudine, & majestate refulgens, ipsusque ostendens Dei magnificentias, in tam nobilis excellentisque naturæ creatione. Ipse Angelus locum habet, sed non eum occupat, nec ab aliquo occupari potest: lux est subtilissima, penetrans, spiritualis, & intellectualis, inexplicabilis intelligentiæ; & stabat in dulcissima, suavissima, & ardentissima Ecstasi absortus, & in Deo transformatus in formali amoris actu* (notetur quæso hæc Angeli descriptio, quæ certè Virgunculæ intellectum longè superans Divini luminis infusionem accusat). *Stetit* (ipsa prosequitur) *stetit mecum Angelus in Purgatorio, quòd de caliginosa nocte ex ejus luce ita clarus evasit dies, ut videre potuerim puteos fætidæ aquæ, vermibusque refertos, lacus glacie horridos, fornaces reali ardentes igne, qui tantæ est subtilitatis, & activitatis, ut Animas illas summi Boni amicas, & amantes, cœlestisque regni cohæredes, ut lupus vorax intimè devoret, sed non consumat; vasa liquata pice, & sulphure plena, acutos ponderososque lapides, profundissimas obscurasque specus, tetrum condensatum, tormentosumque fumum, qui intuitus excæcat oculorum, adeò ut videre non possint jucundissimum illum beatæ æternitatis diem, qui admirabili præditus claritate, & splendore, caliginem non timet, & quem Animæ illæ omnibus suis votis efficacissimè suspirant.* (Qui revelationes legit Sanctæ Birgittæ, & notavit qualibus sensibilibus formis Purgatorii tormenta describat, non mirabitur, quòd hæc Virgo jam dictis phantasticis similitudinibus intellectualem involvat Visionem, quam tamen ad spiritualem transfert sensum, sic prosequuta) *Certitudo, quam illæ habent Animæ, quòd ibunt tandem ad Deo fruendum, est illis continua, & dolorosa amoris violentia, ex qua ipsis momenta videntur horæ, horæ anni, anni sæcula, seu potius,*

quædam pœnarum quasi æternitas. O quale Speculum est Purgatorium, in quo cernitur quàm rigorosa, sed recta, in peccatoribus puniendis sit Dei Justitia. Audiebam ploratus, & lamenta, quibus illæ dolebant se non amasse Deum ea charitate, quam poscebat ab ipsis infinita Creatoris, Redemptoris, & glorificatoris Bonitas. Jam dictum Purgatorium locus est materialis super abyssos; pavimentum ipsius est duræ, saxosæ infertilisque terræ, omnis culturæ incapacis. Appellant Animæ consanguineos, & amicos, ut eorum precibus ipsis impetrent a talibus tormentis liberationem, sed frustra, surdis enim loquuntur, qui aures non habent, ut eas audiant, nec cor, quo illis compatiantur. Diversæ sunt in Purgatorio pœnæ, quas Deus ad suæ satisfaciendum Justitiæ, cuique applicat animæ, secundùm species, materiam, & malitiam peccatorum, quæ commisit. Una earum sic mihi dixit (parcatur mihi, si hunc colloquutionem, quæ fortè ad rem non pertinere videretur, hic trascribo; nimis enim utilem, ac præcipuè Religiosis fore duxi) Maria Catharina soror, hic veni per decennium condemnata. A lumine veritatis ducta, confiteor, quòd Justus est Dominus, & recta judicia ejus; justum enim est, ut patiendo debitum mearum culparum hic exsolvam, quando in vita solvere, & cum fructu, & meritorum augmento poteram, neglexi. Meum Purgatorium consistit in cruciatu, & tormento inexplicabili, quia me immergere non possum, ut sitiens Cervus, in illo vitæ fonte, qui solus est meum summum bonum, meorum oculorum lux, mea vita, mea beatitudo; & in hac siti langueo, & sine morte morior, ex puro perfectoque amore, qui me ad hæc cogit lamenta. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, & infallibiliter credas hoc esse pœnarum omnium fastigium. Addebat insuper dolore coacta ineffabili. Heu maledicte proprie amor, qui causa es omnium malorum. Timore ego ducta patrocinium amittendi nobilium personarum & illustrium, necnon Mundi dicteria expavescens, majorem meæ vitæ partem in rebus Religiosum exemplum non decentibus expendi; nutriebam in corde meo inefficax desiderium me alienandi moderata solitudine a mundo, & suas spernendi ineptias. Vacillabam in incertitudine temporis, cujus certa non est spes. Negligebam interim alios meâ illuminare doctrinâ, pauperibus spiritu, atque humilibus opem ferre, assiduisque orationibus iis, qui jam peccaverunt, reditum impetrare ad gratiam, & sub charitatis velo omnibus necessariæ, sed religiosis præcipuè, proximorum defectus tegère. Tenebar zelantibus paternis discretisque admonitionibus opportuno tempore peccantes corripere, & tamen rigoroso silentio os clausi. Utinam tibi, o proprie amor, animo restitissem forti, & virili; sed ex meæ ignaviæ culpa permisi, quòd tu infernalis animorum magnes, mihi præ dominareris, & pretiosum Divinæ gratiæ furareris Thesaurum. Postquam taliter Deum offendi, ipse suæ pietatis, & misericordiæ radio meæ mentis oculos illuminavit, ut mea peccata cognoscerem, immenso, & fervido suæ claritatis incendio glaciem mei emollivit cordis; inimitabili me sua toleravit patientia, atque imperceptibili sua me illexit mansuetudine, præveniens me sua Omnipotentia, suaque me fortificans essentia. Post autem breve spatium vitæ ædificativæ, & devotæ, antequam pœnitentiâ mearum culparum debitum exolvissem, morte fui preventa improvisâ. Heu quàm verum est, quòd qui tempus habet, tempus non expectet; quo dicto suæ locutioni finem posuit. Pœnæ, quas supra descripsi, ideæ non sunt a mea imaginativa efficta, in

cujus

cujus rei signum ad me ipsam rediens sensi in uno pede illius ignis vestigium, quod pluribus diebus ingenti substinui dolore; gratiâ tandem ab eo liberata Omnipotentis Dei. Inundata eram torrente tam gravium, atrocium, horribiliumque pœnarum, quòd nec intellectus humanus cogitare, nec lingua explicare valet; cùm earum non sit similitudo, aut proportio. Pœnæ omnes hujus Mundi in earum comparatione deliciæ, & refrigeria sunt. Qui eas ex peculiari Dei gratia expertus est, scit quid sint, & eas, non tamen perfectè, enarrare potest. Multoties ad suffragandum purgantibus Animabus Purgatorii tormentis se obtulit hæc Virgo, limitatis tamen, ut reor, a Divina pietate intra gradum, quem tolerare potest anima adhuc corpori unita. De quo ultra alia testimonia fidem facit ex ejusdem relatione novus ejus Director Sarzanensis Episcopus. Ego autem hanc narrationem elegi suâ ipsius manu exaratam, utpote proficuam, ut mihi visa est, iis præsertim, qui ex vi suæ professionis ad zelum tenentur animarum, illumque vel humanis respectibus negligunt præpediti, vel ex pigritia omissionis reatum contrahunt, quorum omnium hic possunt imminentem legere pœnam; & insuper quia hæc relatio visa est mihi quibusdam luminibus intellectum vulgaris mulierculæ superans; quæ quidem lumina libenter commentari ausus essem, nisi ad altiora properantem me nimiæ prolixitatis deterruisset timor.

§. V. Conversio Animæ ab impietate ad innocentiam est moralis motus; atque ob id assignare est in eo terminum a quo, & terminum ad quem mens movetur; unde Animabus proponi debet simul pœna quam evitent, & præmium ad quod aspirent; hoc utique adimplevit Divina misericordia in hac Virgine, dum post ostensam sibi in Inferno, & Purgatorio punitionem, qua peccatores terreret, aliquid repræsentavit æternæ Beatitudinis, quo Pœnitentes alliceret; imo ex hoc duplici intuitu augeretur in ea peccantium compassio, qui tam acre eligunt supplicium, tam magnum amittunt præmium. Multoties habuit hæc æternæ gloriæ mysteriosas Visiones; neque hoc incredibile existimandum, cùm similia in historiis Sanctæ Theresiæ, Sanctæ Franciscæ Romanæ, aliarumque Sanctarum Virginum assiduè legamus. Istarum autem Visionum aliæ fuerunt prorsus imaginariæ, in aliis phantasticum conspiravit cum intellectuali, aliæ tandem simpliciter spirituales, soloque patentes intellectus intuitu. Et circa primas: Elevata quodam die hæc Virgo in ecstasi confidentiæ, & spei, quæ ex mente Divi Thomæ certa est, quia nititur certitudine Fidei, non quidem ex temeraria securitate, sed ex humili confidentia, ita sibi ipsi ad multa perferenda robur auxit. O *quàm amabilis, gratiosus, & pulcher est ille Deus, qui usque ab æternitate me sui regni destinavit consortem?* (sumatur id de voluntate antecedenti, qua Deus animas omnes direxit pro ultimo fine ad se ipsum) *Individuum meum in Judicio finali res urget, mediisque dotibus beatis ad Hierusalem ascendam cœlestem, ubi omnes mei sensus licitis suis fruentur actibus. Oculi pulchritudines cernent speciosissimas; gustus sapore gaudebit suavissimo; odoratus odore pretiosissimo, auditus jucundissima harmonia, participante corpore de bono illo, quod possidebit anima.* Hoc modo nutriebat ipsa, ut aspera leniret, sensibilibus speciebus spem suam. Sed in intelligentiæ modo, in quo, ut supra dixi, non

cessant prorsus phantasmata (gloria enim Animæ redundare debet in sensibus) quamvis sensibilia non deferat, Beatitudinem quadam describens imitatione eorum, quæ in Apocalypsi legimus; se tamen clariùs ad intellectualia erigit, ita ecstaticam, quam de Paradiso habuit, referens Visionem. *Ad Dei gloriam, & mei confusionem, scribo quod mihi, in qua detineor, accidit, infirmitate. Dum actu contemplabar cœlestem Hierusalem* (1), *expoliata fui meo naturali, obscuroque lumine, & lumine supernaturali, atque a Deo infuso vestita; quo Deus* (2) *ad suam me traxit nudam, & simplicissimam unitatem, & singulari gratiâ me unum secum fecit spiritum. Unde Anima mea immersa remansit in mare pacis, & liquefiebat suavitate, & amore. Sic Deo unita has Divinas comprehendi notitias. Quòd videlicet Regnum Dei æternum est, cujus centrum est* Semper, *circumferentia* Numquam; *in quo perfecta fruemur pace. Fabricatum est rutilanti auro, Topatiis, Margaritis, Smaragdis, Rubinis, purissimaque Crystallo. Abundant campi ejus liliis, rosis, aliisque beati Veris jucundissimis floribus; splendet ibi immensus, æternus, increatus, supersubstantialisque Sol, qui suâ Sapientiâ animas beatas illuminat, contemplatione manifesta omnium eorum, quæ hîc credimus, & præsenti cognitione eorum, quæ nunc obscurè cogitamus. Deus ipse suæ bonitatis calore inflammat ad amandum, quod modò amare cupimus. Exulat ab eo omnis timor propter formalem, & actualem unionem, qua Beati conjunguntur Deo. Ibi spirat placidus recreansque Auster, qui perfectissima est Spiritus Sancti Aura; & Deus, qui fons est vitæ, facit ut abundantes effluant rivi æternæ suavitatis super Animas beatas, quæ secundùm earum capacitatem plenitudine lucis, & actuali æternitatis fruuntur cognitione.* Sic intelligibilia sensibilibus in ista descriptione miscet hæc Virgo; sed in alia tertium tangens ex jam allatis modum, a phantasmatibus se magis elongat, dum in præmium pugnæ, quam ex Dæmonum insidiis, & tentationibus passa erat, ad ecstaticum Paradisi intuitum eam elevavit Deus; quod ipsa sic refert. *Subito vidi* (intelligatur ly *vidi* de Visione abstractiva, de qua alibi (3) differendum est) *Vidi Divinam Essentiam, a qua ut a splendido & immenso fonte cœlestis substantialisque thesauri, ingeniti Patris, qui sol est naturæ, scientiæ, & gratiæ, seipsum beatificantis, percepi mihi intellectualiter dici* (4): *Veni columba mea, amica mea, dilecta mea, veni ad me in Regnum cœlorum; quia laborasti, & honorasti me, & ego reficiam te. Erant mihi hæc verba veluti acutæ, & ignitæ Divini Amoris sagittæ, quæ dulciter & suaviter vulnerabant cor meum, itaut exclamare cogerer:* Non plus, *mi amabilissime Deus, quia amore langueo, & morior. Me postea vidi sine labore, & cum tranquilla requie elevatam ad Cœlum Empireum, totamque absortam, & transformatam in pelago Divinitatis* (5), *quæ se mihi repræsentabat simplicem, nudam, incorpoream, absque forma extrinseca, non habentem ab ullo principio originem. Habebat illa in se splendores æterni candoris pulchriores, quàm Ver amœnum & deliciosum, delectabili quadam, & infinitè gratissima fragrantia, quæ omnium florum odorem transcendit; & ad instar serenæ auræ cœle-stis,*

(1) *Vide lib. 6, Animadvers. 10, §. 2.* (2) *Vide lib. 6, Animad. 2, §. 1.* (3) *Vide lib. 6, in Animad. 2, §. 3, &c.* (4) *Vide lib. 6, Animad. 2, §. 2.* (5) *Vide lib. 6, Animad. 2, §. 3, &c.*

stis, nectareum spargit rorem lactis, & mellis, qui suæ inaccessibilis magnitudinis sunt effectus, quibus totum beatificat Paradisum. Ipsa Fons est, ubi Beatæ lætificantur Animæ; Deliciosus thalamus, ubi dulciter, & suaviter requiescunt. Capitolium, in quo incomprehensibili magnitudine, inexcogitabili delectatione, gaudio, lætitia, pace ineffabili, jucundissimo, & beatifico fruuntur amore. In quo Animæ absortæ, & transformatæ, gratiarum actione laudant, & benedicunt indulgentissimum gloriæ, omnisque æterni boni auctorem. Notatur hìc quòd Beatitudinem tandem recognoscit a Visione Divinæ Essentiæ; veritas, quæ in Muliercula lectionis, & Scientiæ prorsus orbatâ, nisi ex superioris luminis illustratione elucescere non poterat. Clariùs tamen, & sine phantasmatum mistione Beatitudinem compendiose alibi ipsa describit, dicens: *Comprehendi, quòd Deus Sol est increatus, qui Animabus beatis jucundissimum, & æternum illuminat diem; a quo trahunt in se ipsis claritatis candorem: Est eorum intellectibus amabile obiectum, & voluntatum substantialis amor. Cujus cognitio, & intuitus ipsas reddit beatas, absque eo quòd ad alia se vertant, cùm sit ipse illarum gaudium, incessabilisque lætitia. Regnant in ipso, quasi in earum dulcissimo centro; & ipse regnat in illis, quasi in suis Vasis purissimis, & simplicissimis, gratia, & amore.* Utinam tempus mihi suppeteret, & scientia, ad commentandas profundas sententias, quas in his miror; sed quod magis vellem, placeret Deo, ut ex his retraherem ardens desiderium meum Deum cognoscendi, & amandi, dum video contemplationi, & amori, quibus studebimus in mundo, forè ut proportionaliter correspondeat mensura ecstaticæ cognitionis, ardentisque amoris, quibus eum intuebimur, & amabimus in Patria. Quod monitum Mariæ Catharinæ dedit illi apparens post mortem jam beatus in Cœlo Pater Paulus Segneri Junior, de qua apparitione pro coronide hujus Paragraphi tacere non possum relationem, quam hæc Virgo sic ex obedientia conscripsit. *Ex obedientia refero, quòd quadam nocte dum orarem, vidi Patrem Paulum Segneri, qui dulciter, suaviterque in Dei quiescebat immenso sinu; & cognovi quòd ad mensuram laborum requiem ei indulsit Deus. Labia habebat cynabri rubore veluti conspersa, ex magna cordis inflammatione, quippe qui ardebat in incendio vivi, jucundi, & beatifici amoris. Ad me conversus, mihi dixit: Maria Catharina amas ne tu Deum? cui non sine fletu respondi; quòd ipsum amabam toto meo corde; & dolebam quòd ipsum sicuti debebam non semper amassem. Addidit, ut Deum in reliquo vitæ meæ majori amarem ardore* (notetur hìc, quòd hæc visio accidit circa quatuor annos ante hujus Virginis mortem) *Quia* (subjunxit) *in beata Gloria non amplius augetur amor, cùm limitata ibi sit Dei cognitio, quam habent Comprehensores, a mensura amoris, quo Deum hìc amavimus. Ostenditque simul mihi gratitudinem, & consolationem de eo, quòd ego cum Dei gratia suasi nobilibus N.N. ut fructificarent in Vinea Domini.* Hoc intelligatur de Missionibus, quibus ipsa cooperata est, persuadendo aliquibus, quod verè evénit, ut dictum Patrem Segneri in suis laboribus sequerentur, & adjuvarent, cujus rei particulares notitias, quia illi adhuc vivunt, hìc referre modestia vetat. Animadvertamus nos interim, quòd si in Cœlo cognoscendus, & amandus est Deus proportione charitatis, qua ipsum contemplamur, & amamus in vita, quo-

quomodo possibile est, ut de eo ferè nunc immemores, & nimis in amando frigidi, invideamus nobis ipsis majus illud beatitudinis augmentum, quod ferventiori adipisci possemus amore?

§. VI. Huic argumento, quod ad Jesum ardentius amandum nos excitare deberet ejusdem sperata clarior Visio, addamus ejus amabilitatem, ad quam contemplandam juvabunt, ut spero, intelligentiæ, quas de ipsa habuit hæc Virgo. Ubi memoriâ recolendum est quòd ex mente Divi Augustini, sivè alteriùs in libro, de Spiritu, & Anima auctoris, alibi diximus. Assumpsisse scilicet Deum nostram humanitatem inter alios fines, ut ad sui amorem cor pariter & Spiritum alliceret; hunc sua superexcellenti Divinitate, illud sua amabilissima humanitate; atque ob id ambæ erunt acuta ad amandum calcaria, si illum contemplabimur amabilem, quia in sinu Virginis Sancti Spiritus est opus utî homo; magis amabilem si Patri consubstantialem, utî Deum. In primo modo suum invenit cibum imaginativa perfecta a fide, quæ in humanitate Divinitatem nobis insinuat; in secundo pascua reperiet intellectus, qui ad Divinitatem ex humanitate elevatur; non enim fas est in Christo sensibile ab intellectuali dividere; quia verus, & fervens amor oriri debet ex unita consideratione Dei, & hominis; unum quippe sine alio vel parum pareret confidentiæ, vel nimium periculi, de quo tamen alibi disseruimus. Utrumque modum cum Maria Catharina adhibuit Deus, nunc ipsam elevando ad Ecstaticas suæ humanitatis intelligentias, nunc intellectum ejus altiùs trahendo ad Mysticum Divinitatis intuitum, semper tamen phantasticum intellectuali permiscens; ita ut in sensibili humanitatis pulchritudine, in intellectualem Divinitatis majestatem, contemplaretur, & adoraret. Nos igitur, ut ex ejus proficiamus intelligentiis, primum inspiciamus modum, qui cor nostrum ad Jesu amorem, vel ipsa sensibili allicere potest amabilitate. In quodam suo raptu imaginariè videns sub specie Infantis Christum in hostia consecrata, sic scribit: *Quadam die, dum Missæ interessem, vidi intra Custodiam, & Pixidem, quæ mihi apparebant patentes, dulcem, suavem puerum Jesum, animarum justificatorem, & glorificatorem, gloriosum, transparentem, splendidumque; & simul illum intellectualiter vidi Patri, & Spiritui Sancto unitum* (notetur hic quod in Divino Sacramento per concomitantiam, & peculiari modo sunt aliæ duæ Divinæ Personæ, quæ nunquam separari possunt a Verbo; quæ Veritas ab idiotis creditur, sed sine Divino lumine contemplari non potest) *Cum amore, desiderio, & fame, exclamavi: O incomprehensibilis amor, unice, dilecte mei cordis. O felix hora tuæ divinæ præsentiæ. Veni ad intima cordis mei, & ne differas. Veni cito pulcherrima lux, Divinissimum Verbum, speciosissima sapientia, quia omnia nihil mihi sunt, te excepto, qui vita es Animæ meæ, & cordis mei. Finito Missæ Sacrificio ipsum de manu celebrantis in intimis, secretisque penetralibus mei cordis suscepi, tantâ Spiritus unione, ut videretur mihi, quòd nec mors, nec vita me potuissent ab eo separare, illum adorabam ut meum dilectum Dominum, & intuebar ut unicum mei amoris objectum. Vidi quòd liliis, & rosis similis erat ejus vultus; Oculi quibusvis pretiosis gemmis nitidiores. O delicatissimum, suavissimumque flatum, qui veluti spirabat nectar. Genæ ejus candidæ, & rubicundæ, pura ejus pulchritudo tantæ majestatis,*

tantæ-

tantaque venustatis, ut in immensum vinceret quidquid pulchrum, & amabile mundus continet. Indutus erat lanâ nive candidiore, corpusque ejus gloriosius, & pulchrius amœno quolibet Vere. Hucusque ipsa phantasmatibus utitur; & qui descriptionem hanc suggillare vellet, ut materialem nimis, opus esset, ut condemnaret simul quod de sensibili Christi pulchritudine dicunt Sanctæ Theresia, Gertrudes, & aliæ; imò quod de amabilitate sui dilecti loquitur in Canticis Cœlestis Sponsa. Imposterum verò ad spirituale in Visione describenda se elevat, sic addens: *Sua Divinitas ditior est luminibus, & radiis, quàm plures Soles, in qua ita gaudebat lætus, ut Angeli supremi Spiritus, purissimaque Paradisi substantiæ, pre redundantia ejus gaudii, in ipso læti vivant, & felicissimi; eundemque summa admiratione intueantur, contemplentur, atque in eo dulciter, suaviterque quiescant, ut in suorum affectuum centro; ipsiusque majestatem purissimis, ardentissimisque concelebrent laudibus. Intuebar eumdem amabilem absque defectu, delectabilem absque æqualitate, incomprehensibilem in sapientia, immensurabilem in bonitate, in potentia sine termino, in essentia immensum, in magnitudine infinitum in majestate mansuetissimum, affabilem, inaccessibilem, illimitatum in omnibus, quas in se continet perfectionibus, inexcrutabilem in suis judiciis, terribilem in suis consiliis, in justitia rectissimum, in suis cogitationibus secretissimum, in suis verbis veridicum, in operibus sanctum, in misericordia divitem. Nec ampliatur spatio, nec limitatur angustiâ. Rex est qui sua fortitudine super universum regnat mundum. Tristitia eum non conturbat, nec vitiat lætitia, nec decipit sapientia. In abundantia non se extollit, nec necessitate deficit; memoria nihil ei addit, nihil tollit oblivio. Quod fuit ipsi non est præteritum, nec futurum succedens; omnia enim in sua æternitate habet præsentia. Tempus principium non dedit admirabili suæ Essentiæ, nec dabit finem, ipse siquidem, ut omnium causa, omnibus principium dedit, non quòd illis egeret, cùm omnia ipso egeant. Claudit tandem in se omnes felicitates, & perfectiones, quæ quodvis superant desiderium. Quantò magis hæc comprehendebam, eò majora supererant comprehendenda, soloque suo Divino intellectui comprehensibilia.* Parcatur, obsecro, & huic Virgini, & mihi, in tam longa relationis prolixitate; quia in amati laude, non lassatur qui amat. *De dilecto numquam satis.* Nos interim ex his eruamus quomodo in Visione pueri Jesu a sensibili ascendit ad intellectuale, ab humanitate ad Divinitatem, ejus propria sunt quæ describit, probè intelligens, quòd Christo etiam ut homini per communicationem idiomatum illa conveniunt. Observemus insuper, quòd si Hierotheus ob laudes quas Jesu ascribebat, ut Deo, dictus fuit ab Areopagita, (1) *Divina patiens*; sic nos a pari ex prærogativis, quas Christo adscribit hæc Virgo eruere possumus dictata hæc a superiori illa intelligentia, quam in hac ecstasi suus ab infusa luce receperat Spiritus. Ego, prout mea discernere potest tenuitas, fateor quòd non legi de Christo succosa magis, & in compendio nobiliora Encomia, & tamen ipsa de Sanctissima humanitate altius alibi sic loquitur: *Vidi* (sumatur hoc semper abstractive) *Trinitatem Personarum, in quibus una sola splendet natura,*

quæ

(1) *De Div. Nom.*

quæ naturæ nostræ humanæ unita est per incarnationem Verbi; & hæc gloriosa humanitas quiescit in immenso, excelsoque sinu Patris (1) *fruens jucunditate suæ indulgentissimæ gloriæ, magnitudine suæ substantiæ, & imperio suæ potestatis, cùm sit Thesauraria omnis beatificationis, & glorificationis; & est natura, & gloria splendidior Sole quando in sua lucet altitudine: Ipsa gemma est pretiosissima Æterni Patris, eius lux, & splendor, atque hortus deliciarum amœnissimus. Hoc excellentissimum Spiritus Sancti opus ab omni cœlesti Curia adoratur, & glorificatur ardentissimo, & intimo amore, incessantibusque laudum canticis, quibus clamant continuè: Quoniam tu solus Sanctus, tu solus Dominus, tu solus Altissimus Jesu Christe, cum Sancto Spiritu in gloria Dei Patris.* Plenior tamen altioribus intelligentiis est alloquutio, quam cum ipsa habere dignatus est Jesus, ei apparens in specie adolescentis, dum ad concupitum, ut alibi vidimus, properaret martyrium, quam eadem sic refert: *Dicebat mihi voce exteriori, quòd Deus erat, & homo; & quòd sua humanitas substentabatur a persona Verbi, propter naturæ Divinæ unionem cum sua humanitate. Quòd unicus erat inseparabiliter cum sua Divinitate, & ab ipsa abyssum participabat deliciarum, gaudii, & jucundissimæ sui ipsius beatitudinis. Quòd sua perfectissima Humanitas Divinitate plena est, & quiescit in sinu immensæ suæ magnitudinis. Quòd sua Divinitas fons est inexaustus omnis boni; & per suorum meritorum canalem spargit super animas nostras abundantes gratiarum rivos, ut eum omnis boni cognoscamus auctorem. Quòd fruitur gloria omnium Beatorum Spirituum, qui ipsi inserviunt, eumque perfectè atque humiliter amant, ejus glorificantes magnitudinem, dum eum venerantur ut ipsorum Regem, & universi Dominum; & simul contemplantur ejusdem jucundissimum, & refulgentissimum Vultum, mediantibus speciebus in mentibus ipsorum infusis*: (Perpendantur quæso hæc ultima verba; non enim credibile est, quòd Virguncula naturaliter, & suo proprio intellectu, absque infuso superiori lumine cognovisset, quòd Angeli vultum Jesu per species acquisitas videre non poterant). *Et quod id, quo fruebatur, suis meruerat perfectissimis, excellentissimisque operibus*. Hoc ultimum dictum sumi debet de accidentali beatitudine, de supradicta nempe potestate, alijsque ad Beatitudinem accidentalem pertinentibus. Essentialis enim Beatitudo in Christo sub merito cadere non poterat, & in tali sensu sumunt Interpretes dictum Apostoli: (2) *Propter quod & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen.*

ANI-

(1) *Vide lib. 6, Animadvers. 3, §. 7, & 8.* (2) *Philip. 2, 9.*

ANIMADVERSIO IX.

De secundo Intelligentiarum genere, quo a Deo illustrata legitur hac Virgo.

§. I. Fides, ut alibi demonstratum est, quamvis præcipuè Deum respiciat, tamquam suum principale Objectum, considerat nihilominùs res etiam sensibiles, in quantum ad Deum ducunt, & in ipsis potest Anima, ut in speculis, Divinam gloriam intueri, & adorare omnipotentiam, sapientiam, & bonitatem, quæ in creaturis elucent. Non ergo perfectè consequeretur finem, ad quem præcipuè ordinata est Fides, qui in Objectis mentem figens sensibilibus, non se attolleret ex ipsis ad contemplandum illum, qui eorum est principium & finis; undè docet Angelicus talia Objecta Fidem non intueri, nisi in quantùm ordinem dicunt ad Deum (1): *Quæ tamen sub assensu Fidei non cadunt, nisi secundùm quod habent aliquem ordinem ad Deum.* Simili igitur modo Contemplatio, quæ, ut vidimus, fundamento nititur fidei, figitur præcipuè in Deo, non abhorret tamen phantasmata illa, quæ ad majorem Dei cognitionem ducunt: *Contemplativa Vita* (scribit Divus Thomas (2) *ad solum videndum Deum anhelat; nihilominùs contemplativus considerat alia, in quantùm ad Dei Contemplationem ordinantur, sicut ad finem.* Ex quo sequitur omnia Objecta aliquo modo ad Deum ducentia Contemplanti materiam subministrare posse, ut de mente Cardinalis Lauriæ jam diximus; cum hac tamen cautela, ut satagat mens se elevare a sensibilibus ad Spiritualia. Phantasiâ licèt uti, sed non frui; undè subdit Angelicus (3) creaturas contemplari posse, sed ut Divina in ipsis miremur Attributa. Concludendum igitur quòd, sicut intelligentiæ Dona, quæ a Deo in Contemplatione conceduntur, Fidei nituntur fundamento, sic naturam ejus sequi debent; idest, non repugnat, quòd aliquando phantasmatibus paulisper immisceantur, licèt per se simplices sint, aut saltem ab illis per remotionem divisæ; utroque enim modo Anima a Dono Sapientiæ illuminari potest; sic docent Suarez (4), Divus Bonaventura (5), & Angelicus [6]. Quocumque modo accidant, duo semper video necessaria, unum ex parte Animæ, abstractio scilicet quædam, qua in sensibili non nimis immorans, satagat in ipso intueri æternam, quæ in ea clauditur, veritatem. Alterum, ex parte Dei, Lux videlicet infusa, qua Intellectus, vel ab imaginariis Spiritualia abstrahat, vel in speciebus sibi a Deo communicatis Amoris figatur intuitu. Nascitur a duobus principiis hæc necessitas: Primò, quia intelligentia potest quidem res corporeas respicere, cum abstractione tamen a sensibus, ut ait Cardinalis Bona (7), cùm sit illustratio quædam

O

(1) 2, 2, q. 1, a. 1. [2] *In 2 Sentent. Dist.* 35, q. 1, a. 2. [3] *Loco supracit.* (4) *De Fide, Disp.* 8, *Sect.* 6, n. 2. (5) *De Myst. Theol. P.* 1, c. 2. (6) *De Verit.* q. 13, a. 2, ad 9. (7) *De Discr. Spir.* c. 18, num. 5.

dam, quæ solas Divinas incorporeasque aperit veritates, ut scribit Auctor Libri de Spiritu & Anima: *Intelligentia est de Deo, & incorporeis substantiis, pura & certa cognitio*. Secundò, quia in intelligentiis, quæ a Deo recipiuntur, ad veritates communicatas non solummodò sensus, sed nec ipsa humana ratio, nisi a superiori radio illustrata, non pertingunt, addit supra nominatus Auctor: *Ad cælestia arcana penetranda ratio per se non sufficit, nisi a Deo adjuta fuerit*. Super hæc acuta pariter, & utilis est Animadversio Richardi a Sancto Victore. Notans enim quòd in Nativitate Beniamin mortua est Rachel ejus mater, & mysticè considerans in illo innui Contemplationem, in qua quia simplex est intuitus, minùs ratiocinatio valet; in hac meditationem, in qua Intellectus discursu unum infert ab alio, concludit mortem Rachelis in Beniamin Nativitate significare, quòd, quando ad intelligentiam Divinarum Veritatum ab infusa luce mens elevatur, moritur quodam modo humana ratio, & a superiori lumine quasi allucinata cœcutit (1): *Ad illud enim quod mens supra se elevata in Divino lumine agnoscit, omnis humana ratio succumbit*. Has utique Animam elevandi formas in Mariæ Catharinæ Visionibus observare libet: quantùm enim ad primam, abstrahit ipsa a phantasmatibus, quibus utitur; dum, si attentè perpendimus intelligentias, de quibus diximus, & dicturi sumus, videmus inter sensibilia, quæ adhibet immisceri sententias quasdam, seu, ut ita dicam, lumina, quibus ex improviso ad intelligibile assurgit. Quantùm verò ad secundam in omnibus suis Intellectualibus Visionibus contenta simplici relatione eorum, quæ Spiritu vidit, multa dicit, nihil probat, quasi memor quòd superfluum esset rationibus ingeniosè comprobare illas a Deo sibi communicatas veritates, in quibus *Omnis humana ratio succumbit*. His prælibatis, remanet ut ad majorem conscribendorum claritatem, ordinis, quam in his intelligentiis referendis mihi constitui, rationem reddam. Expendatur igitur valdè difficile esse Animæ se elongare ab usu nobis naturali, intelligendi dependenter a phantasmatibus, & discursu, cùm requiratur ad hoc non solùm præcipuum Dei lumen, sed etiam ex parte Animæ dispositio quædam, qua Spiritus consuetudine se elevandi super Phantasmata ad hanc Divinæ lucis se rapientis præparetur dignationem. Ob quod Deus in conservando naturalem ordinem, quo a facilioribus ad magis ardua regulariter fit transitus, suam ostendens sapientiam, regulariter elevans gradatim ad se Animas a veritatibus, quæ sensibilibus proximiores sunt, facilèque ab Intellectu percipi possunt, mediocriter illuminato, consuevit transire ad intelligentias magis Spirituales, quæ mentes a Deo clariori luce postulant illustratas. Hoc dixit Sanctæ Gertrudi Deus, dum humili postulationi, qua ipsa quæsivit a Deo cur revelationes sibi communicatæ aliquid singulare haberent super eas, quas cæteris suis Conreligiosis participare dignabatur, respondit: Gloriam esse suæ Sapientiæ accommodare se in intelligentiis, quas donat, varietati luminis, quod ipse infundit; ac propthereà quantò magis lux data crescit, tantò sublimiores concedit Visiones, ideit minus dependentes a sensibus, & magis accommodatas Spiritui (2): *Simplicioris*-

[1] *Beniamin Min. c. 13.* (2) *Apud Lansperg. in Vita S. Gertrud. lib. 3, c. 49.*

cioribus per magis corporeas similitudines quæque demonstrando, capacioribus verò Intellectus occultiores, & obscuriores adumbrationes proponendo. Hic modus est, quem circa intelligentias plus minusve sublimes proponunt & Cardinalis Lauria (1), & Divus Bonaventura (2), præscribentes contemplativis, ut in elevando mentem ad Spirituales veritates, paulatim, & ordine transeant ab inferioribus, & a sensibus minus remotis ad superiora, & proximiora Spiritui; & hunc ordinem servavit Deus in cognitionibus, quas communicavit huic Virgini. Plures præmisit, quæ sensibilibus connexæ erant, sed elevavit posteà ad notitias a phantasmatibus magis alienas, divinoque lumini affines. Hæc igitur methodus est, quam in iis conscribendis mihi præfixi: retuli in antecedentibus Animadversionibus intelligentias, vel mediante imaginativa ab hac Virgine perceptas, vel in quibus multùm imaginarii commiscebatur; transcribam in posterum eas, quas ipsa in ætate magis adulta, majorique acquisita perfectione, Spiritualiores experta est, ut sunt Animarum, Angelorum, & similium, reservans tandem in ultimo loco illas, quas Annis, & virtute perfectior, jam morti proxima per species infusas, atque ob id a phantasmatibus prorsus alienas, a Divina suscepit bonitate; quæ fuere de Divinis Attributis, de Trinitate, & Divina Essentia.

§. II. Principium circularis motûs (tali enim nomine exprimit Areopagita Mysticam Theologiam, seu, ut clariùs dicamus, Contemplationem perfectam) est quòd Anima, a superiori tamen luce promota, [quod semper in his quæ dicam est intelligendum] se convertat ad Entia Spiritualia, quæ primo loco sunt Animæ rationales, & Angeli. In his siquidem Objectis reperiens mens nostra aliquid simile, sed multa dissimilia his, quæ sensibiliter cognoscit, paulatim discit se alienare a propriis Phantasmatibus, & ab ipsis se removens ab eo, quod videt, arguere quod non videt; imò fide duce a vili, quod in terrenis experitur rebus, assurgit ad nobile, quod in Spiritualibus veneratur, & credit. Nolo hîc longiùs exempla ferre, quæ clarificare possent, quæ scribo; scribo enim intelligentibus, & eo solùm consilio, ut ostendam præcedentibus elevatiores fuisse in Maria Catharina, quæ sequuntur, intelligentiæ. Ut dolet Sancta Theresia (3), magna est multorum cæcitas, qui dignitatem Animæ propriæ contemplari negligunt; unde ipsam facilè sibi occisaciunt; ac proinde magnifecit Sancta Visionem illam, quam sibi patefecit Deus Animæ in gratia positæ pretiositatem, & pulchritudinem; cognitio quidem utilis valde, & proficua, quam dedit Deus Sanctæ Birgittæ, Franciscæ Romanæ, & Catharinæ Januensi, ut in earum legi potest historiis. Similem Visionem participavit Deus huic Virgini, & permisit, quòd suis Directoribus ab eadem de hoc transmissa, ad nostrum, ut spero, profectum transiret relatio, ut nempe discamus majori custodire diligentiâ ingentem Thesaurum, quem in corpore, ut in Vase possidemus fictili, scilicet Animam propriam. In quadam igitur Ecstasi intellectualiter ipsi ostendit Animarum creationem simul, & dignitatem, & illa quod vidit, ita refert: *Comprehendi quòd Deus usque a sua*

[1] *De Orat. Opusc.* 2, *c.* 14. (2) *In Itin. Mentis ad Deum*, *c.* 1.
(3) *In Castr. Inter. Mans.* 1; *& in Addiction. ad ejus Vitam*.

sua Æternitate, quæ vincit omne tempus, in mente habuit Animas nostras creare, & finem ad quem eas creavit. Ipse, qui est prima Causa efficiens omnium creaturarum, se assimilavit Pictori, qui delineare cupiens aliquam pulchram effigiem, Originale respicit, nobilius cui consimile perficiat Opus. Sic Deus oculo purissimo, simplicissimo, & fecundissimo sui Intellectûs seipsum respexit, & ad sui ipsius imaginem, & similitudinem Animas creat, in momento, quo jam organizatum est corpus; & creat actu simplicissimo, & potentissimo suæ activæ Voluntatis, quæ in operando efficax est; sine causa antecedenti, sed solummodò sua infinita, & supersubstantiali bonitate ipsas creavit, absque principio rei alicujus creatæ, cùm derivent immediatè ab ipso, qui æternus est, immensus, & ineffabilis, etiamsi crearet, & rursùs crearet quidquid vult. Ipse est Vita vitalis cujuscumque Creaturæ rationalis. Creavit eas sine forma extrinseca in se ipsis Spiritus purissimos, & vitalissimos, & sunt radii suæ Divinitatis, immortales, æternæ, & mente rationali præditæ, cum generositate intelligentiæ, qua redire possint ad suam Originem. Sunt ita excellentes naturâ, & capacitate Gratiæ, ut esse possint tot Deæ (1) per participationem. Sua Regali præsentia ipsas conservat, &, mediante sua Divina Gratia, regnare possunt super omnes creaturas sublimiores (2) non habentes aliam subjectionem nisi Dei Voluntati, quæ est ut ejus obediant præceptis; & hoc ob nobilem finem, qui est ut, mediante ipsorum observantia, fruantur tandem in Dte, qui æternus erit, ipsâ Divinitate, quæ influet in eis radios jucundissimæ gloriæ, ut participent tranquilla requie indissolubiles effectus, quos Divina continent Attributa. Haurire licèt ex his, quam mirabilis sit Animarum dignitas, propter quam Divinus Amor, qui, ut notat Divus Augustinus, impetuosus est, sed sapiens, liberè, sed sapienter eas æstimat, & amat; & qua charitate eas amet in quodam Raptu demonstravit Deus huic Virgini, ei commendans duas peccatrices Animas, ut iis ardentibus orationibus, flagellis, aliisque austeritatibus, gratiam impetraret emendationis, & veniæ, sic eam alloquutus: *Scias, Serva mea, quòd innumerabiles sunt Animæ, quæ me offendunt, sed specialiter duæ, quæ me amare fingunt, & interim me graviter offendunt; & sicuti ex mea inclinatione amicus sum Animarum, quas ab æterno effictas in mea habebam mente, & in tempore creavi ex substantia ipsis data præclaras, & pulchras, utì Divinitatis meæ specula, Sacrosanctæ, & Beatissimæ Trinitatis perfectissimas imagines (3); ut earum natura, quia a me producta, feliciter in meo perfectissimo Esse conservaretur, ut effectus in sua causa, mediantibus earum bonis operibus. Sunt enim meæ filiæ creatæ sine aliquo medio ex propria virtute meæ indivisibilis, mecumque identificatæ omnipotentiæ, sapientiæ, & bonitatis, quorum Attributorum mirabiles sunt effectus. Sic ardenter desidero quòd iterum meam consequantur gratiam, naturam, operationes, & felicitatem, quæ omnia amisere, ut perveniant suo tempore ad mea fruendum Beatifica Visione, & gloria.* Observavit ipsa in hac Visione excessus Divinæ Charitatis, insatiabilis ferè in salutis Animarum desiderio, ob quod, uti Sacri notant Interpretes, dolorosa magis quàm Crux fuit ejusdem in Cruce sitis; unde in hanc notabilem exclamationem

[1] *Vide de Animabus, lib. 6, Animadvers. 4, §. 1, &c.* (2) *Vide lib. 6, loco hic citato.* (3) *Vide lib. 6, Animadvers. 5, §. 1.*

exclamationem prorupit: O *Bonum incomprehensibile, o unica mei cordis delectatio, verè ex hoc, quod mihi dixisti, cognosco quòd Abyssus impenetrabilis tuæ Charitatis te facit quasi impatientem maioris Animarum societatis, dum ad te cupis attrahere etiam corda glacialia, a tuo Amore aliena, tibique contraria. Verè tua Charitas multitudine non coarctatur amantium, sed communicat se, & diffundit ad omnes Animas, quia est in se perfectissima.* Hæc verò Animarum pulchritudo, & Charitas, qua ipsas Deus amat, ex earum sola non provenit natura, sed principaliter ex Divina Gratia, quæ Deo ipsas reddit amabiles; undè hæc Virgo in ecstatica quadam Divinæ Omnipotentiæ, & Bonitatis cognitione, sic scribit: *Est Deus Fons inexhaustus, qui continet in se plenitudinem gratiarum, quæ ex solâ suâ Voluntate fluunt a Divina Mente, & originem trahunt a Divina Omnipotentia. Et est hoc potens brachium ita indulgentissimum, & clementissimum, ut excitatum ab immensa energia suæ infinitæ Misericordiæ, ipsam opportuno tempore ex infusione cœlesti Animabus communicet. Quæ Animæ ab eadem redduntur fœcundæ & fertiles, utì terra a Solis radiis; atque istæ gratiæ indissolubilibus Amoris vinculis cum Voluntate Dei, Voluntatem devinxerunt Apostoli.* Sic docet Fides, quòd nempè ex Divinâ Gratiâ omnis provenit Animarum pulchritudo, sine qua per seipsas, utì maculis peccati Originalis, & Actualium contaminatæ deformes essent; utì e contra ex ipsa ita eveniunt decoræ, ut dignæ sint Divino Amore, & intuitu. Quam veritatem a Deo didicit hæc Virgo, dum ad hoc ut totum adscriberet Deo, in ecstatico quodam Dialogismo, quem cum Æterno Patre habuit, humiliatâ ex suorum defectuum cognitione, atque ob id, de tot gratiis, quas recipiebat, attonitâ, sic exclamavit: *Et quomodo tu regnas in Anima mea, quæ taliter a suis peccatis contaminata est, & deformis?* Sed audivit sibi responderi interiùs [1]: *Anima tua, mediante habituali Gratia, a qua excitaris ad amandum Amore effectivo me tuum Creatorem, & Benefactorem tuum, Sole splendidior est, niveque candidior.*

§. III. Immorarer libentissimè in meditanda hac Animæ pulchritudine, & immensa charitate, qua ipsam Deus per se creavit, redemit, dirigit, amat; quæ certè utilia essent fructuosæ Meditationis Objecta: sed quia decrevi historiæ seriem absque digressionibus prosequi, transeamus ad intelligentias, quas habuit Maria Catharina de Objectis Animabus proximioribus, nempe, de Angelis. Duplici modo Animabus, peculiariter Deo devotis, cognoscibiles, quantùm Viatorum patitur status, se reddunt Angeli; Visione Intellectuali, quod sæpiùs accidit, & apparitione exteriori, atque visibili, quod rariùs contigit. Talis enim erga nos est eorum Amor, imò tam ardens Divina charitas, a qua moventur, ut quasi non contenti eò quòd spiritualiter se repræsentant Animæ, non dedignentur etiam per assumptas imagines eis apparere visibiles, sub illis speciebus, quæ aptæ sunt ad cognitionem eorum, quæ Deus vult revelare; ut observat Cardinalis Bona [2]: *Ut non solùm Intellectum illuminent Intellectuali Visione, sed etiam per sensibiles formas, quæ sunt quædam imagines Divinorum.* De primo modo clarè loquitur San-

(1) *Vide Lib. 6, Animadvers. 2, §. 2.* (2) *De Discr. Spir. c. 9, num. 6.*

Sancta Theresia [1], testans, quòd conspectui Animæ aliquando in raptibus multitudo se offert Angelorum, & idem approbat Divus Gregorius [2]: *Nonnunquam per Angelos humanis cordibus loquitur, ut ipse quoque Angelus mentis obtutibus repræsentetur.* De secundo modo, de apparitione scilicet exteriori, certa habemus testimonia, quæ Fides ipsa proponit, apparuisse videlicet exteriùs variis figuris Angelos Abrahæ, Sampsonis Matri, Tobiæ, multisque aliis. In utroque ex his modis habuit hæc Virgo satis claras Visiones. Vidit enim sæpiùs externa apparitione plures Angelos, eveniente ipsi pluribus vicibus, quòd de suo Confessario fassa est Sancta Francisca Romana, quòd videlicet cernebat apud se suum Angelum Custodem, cujus Spiritualem, sed visibilem pulchritudinem ita describit (3): *Eum video in similitudinem adolescentis, sed pulchri, venusti, lucidissimi, clarissimis circumdatum radiis, capillos habentem coloris aurei super humeros sparsos.* Huic descriptioni correspondet id, quod de specie Angeli sibi apparentis scribit hæc Virgo: *Mihi apparuit mei Custos Angelus, meus Dux, meæque Animæ præsidium, in forma purissimi Adolescentis, qui donis ornatus erat Naturæ & Gratiæ. Idea erat pulchritudinis, coronatus splendidissima gloria, emicabat omni ex parte radiis candidæ lucis, sedebat ad meam dexteram manum cum magna majestate, in splendidarum nubium globo, & erat totus transformatus in Deum Unione purissimi Amoris* (Alibi ita loquitur): *Vidi e Cœlo effulgere veluti clarissimam Auroram Incarnatum Verbum, associatum simul, & adoratum a primis Cœli Seraphim, quos videbam in humana specie cum magna pulchritudine & splendore. Erant Deo uniti perfecta Amoris Unione, & canebant Divinæ Majestati purissimas altissimasque laudes.* Efficaciores tamen sunt Intelligentiæ, quas refert Angelos Intellectuali intuens Visione, dum alienata a sensibus Divina contemplans Attributa, ad Angelos iisdem fruentes transit his verbis: *Angeli Spiritus Immortales horum gaudent effectibus, cùm omnia possibilia sunt Omnipotentiæ Dei, quæ eos creavit, & Sapientiæ, quæ omnia penetrat. Hæc illuminavit eorum naturalem capacitatem, illos speciebus replevit intelligibilibus, & sua bonitate eos præservavit a culpa, communicans illis gratiam glorificantem, quæ statim eos effecit Beatos. Est Deus vastissimum Oceanum Divini, ardentisque Amoris, quod fundum, nec littus habet, in quo Angeli Entia creata, & incorporea, prorsùs absorti sunt, & transformati, veluti lux cum Sole; & adoperti sunt ejus amabilibus undis, ex quibus effluunt in Animabus veluti inflammata tela, unde moriuntur veteri homini, novoque resurgunt.* In hac ultima periodo notemus quantùm Animabus prosint Angeli, Divina qua ipsi ardent Charitate; addamus nos interim aliam, & fortè profundiorem intelligentiam, qua ipsa stupens de intellectualiter cognitis ardore, & scientia, quibus Spirituales illæ substantiæ Deum adorant, & amant, sic fatur: *Angeli, Entia Spiritualia, invisibilia, circumscripta, limitata, sed æterna a parte post, Deificati sunt per Unionem extrinsecam Amoris cum Deo, sicuti ferrum in igne positum, quod quasi plus ab ipso non contradistinguitur igne. Non tamen comprehendere possunt profunditatem & vastitatem termino, fineque carren-*

(1) *In Castr. Inter. Mans. 6, c. 5.* [2] *Lib. 28 Mor. c. 5.*
(3) *In ejus Vita, Lib. 1, c. 14.*

rentem inexplicabilis, & incomprehensibilis amplitudinis intrinsecæ Essentiæ, & Naturæ Divinæ. Si possent, vellent, quando meriti capaces erant, egisse majori perfectiorique Voluntate & intentione, ut plus comprehenderent eorum, quæ comprehendunt. Habent enim inextinguibile gloriæ lumen limitatum, & hoc vellent, ut Deum magis amarent. Remanent tamen in Divina Voluntate quieti pleneque, & contenti, cùm sit Voluntas Dei illorum veluti beatificatio. Demonstrat tandem æstimationem, quam de Angelis ex his conceperat Visionibus, hæc in Spiritualibus suis necessitatibus eorum invocatione: *Ad Angelos recursum feci, ipsisque dixi: Regis Regum Supremi Principes, Vos precor per vestram inamissibilem fælicitatem, qua in videndo Divinum aspectum gaudetis, & per illam dulcem suavemque requiem, qua in ipso veluti in florido requiescitis thalamo, & per fragrantissimum odorem, qui veluti nardus spirat vobis fragrantiam suavitatis, ut incessanter pro me Deo offeratis preces, ut ardentibus cordis mei satisfaciat desideriis.*

§. IV. Si Contemplantibus phantasmata aliquando succurrunt, semper tamen ab ipsis est necessaria remotio; hoc verificatur peculiariter in contemplando Incarnationis mysterio, in quo, ut uniuntur Divinitas, & humanitas, sic necesse est, quòd a sensibili ascendat Anima ad spirituale, ad invisibile se elevet ab eo, quod videt. An autem Mariæ Catharinæ concesserit Deus hanc spiritualem animæ elevationem, satis arguitur a Visionibus intellectualibus, quas habuit de hoc mysterio, de quibus, licèt aliquid dixerim in Animadversione præcedenti, hic quia magis a sensibilibus ad Divina videtur assurgere, aliqua, ut spero, non inutilia proferam fragmenta. In quadam ergo Ecstasi, cùm miserias fleret peccatorum, solatur ea Divinum Verbum, ostendens ipsi verum nostræ infelicitatis remedium, dum revocans ad ejus memoriam evangelicam similitudinem de Pastore ovem quærente, sic interius eam est alloquutum: *Ita ego zelantissimus Pastor animarum vestrarum, quæ Oves meæ sunt, Dux, & refugium, ut eas a servitute Dæmonis redimerem, quasi velox aquila, pennis charitatis volavi a sinu Patris, cum quo natura, & substantia idem sum ad figendos intuitus mei intellectus in Sole illo, quem nos tres Divinæ Personæ creavimus, & illuminavimus, Animam dico Mariæ Virginis. Pater meus illam fecit suum templum, eligens in filiam, ego ipsam volui meam jucundissimam habitationem, acceptans in matrem. Spiritus Paraclitus eam perfecit ad suum Sanctuarium muneratus ut suam dilectissimam Sponsam* (1)*: Nos tres divinæ Personæ consilium innuimus, quam ex nobis hominem fieri conveniret. Voluntas perfectissima, & fœcundissima Patris, & Spiritus Sancti, quæ voluntas una est, & eadem, ex amoris excessu fuit, quòd ego candidissimum, & purissimum Verbum, usque ab æternitate Patri consubstantiale, ab eoque genitum, cum communicatione suæ Divinitatis, tegerem sub vilissima humanitatis Veste excellentes meæ Divinitatis splendores, uniendo naturæ meæ Divinæ, & increabili, naturam humanam, gratiâ, & virtute amoris; & ob id carnem sumens ex purissimo Mariæ Utero, operatione purissima, simplicissima, perfectissima, & præclarissima Spiritus Sancti. Atque ita natus sum ego nova lux*

(1) *Vide de hoc Consilio, & Voluntate Paracliti lib. 6, Animadvers. 4, §. 4, &c.*

lux mundi a Virgine sinè corruptione candidi veli suæ immaculatæ Virginitatis. Altius tamen a sensibilibus se extollit hæc Virgo illuminata in quodam raptu ad contemplandos hujus mysterii effectus, unde sic scribit: *Comprehendi quòd divinissimus, & increatus ille Sol, postquam per sæculorum infinitatem steterat in se ipso, de se ipso fœlix, & beatus, cùm sit Ens, quod omnes in se claudit perfectiones, voluit de abyssis æternitatis tempus educere, quo se communicaret, non quidem per Essentiam, a qua dividi non potest, quia substantia est secum identificata, cùm sit actus purus, nudus, simplex, incommutabilis, qui stat semper stabilis in semetipso* (1), *ut Solis splendor, qui perseverat semper idem*. Communicaret *inquam se per partes, idest per effectus suæ magnitudinis, qui sunt Gratia sufficiens, concomitans, & subsequens, necnon gratia habitualis; ut per hæc promoveret in cordibus humanis accidentalem suam gloriam, si ipsa operibus ejus vellent sequi vestigia; & ducens humili & discreta admonitione suum gregem, animas scilicet sui fructus pretiosi, & vitalis Sanguinis, ad copiosa, & amœna suæ magnitudinis Prata, in quibus inveniuntur Pascua cuique intellectus capacitati accommodata*. Tantum ipsa intellexit, & tantum de firma veritate, qua fatemur Divinas omnes misericordias a Verbi Incarnatione, & Passione in nos derivari, edocta est ab Æterno Patre, ecstaticè sic eam interiùs alloquente: *Scias o Columba mea, speciosa mea, quòd* (2) *ut communicarem Animæ tuæ has Gratias, hominum arbitrio consignavi meam pretiosam gemmam, Filium scilicet meum, in quo mihi benè complacui. Quæ gemma conculcata fuit, & crudeliter sine compassione percussa, adeò ut quasi delicata gemma ad tales ictus lumen, & splendorem amitteret, suæ passibilis, & limitatæ pulchritudinis; voluntas tamen adamas erat fortificatus ab intrinseca unione inseparabilis Divinitatis; ardore siquidem, & vehementia communicativi amoris, substinuit invicta patientia quidquid contra illum agere hominibus placuit*.

§. V. Cùm Divinum Altaris Sacramentum dicatur a Divo Thoma extensio Incarnationis, justum est ut hæc duo conjungamus Mysteria; atque ob id Intelligentiæ, quas ipsa habuit de Sanctissima Eucharistia, ejusque effectibus, hic referantur. Cùm ergo in Raptu multa de Animarum dignitate cognovisset hæc Virgo, de ultima, quæ fuit velle humanatum Verbum fieri nostrum Cibum, sic ait: *Ad majorem Angelis dignitatem, & excellentiam* (3) *animas Deus elevavit, non naturâ, sed gratiâ; dum eas admisit ad intimam Divinæ essentiæ unionem* (4) *Eucharistico mediante Sacramento, cùm Divinitati substantialiter unita sit humanitas. Præclarissima tranquillitate, atque suavi, pacifico, & sublimi amore, ei in convivio jucundissima sua gloria frui concedit. Permanet ipse triumphans ad dexteram Patris etiam dum Animabus se donat in cibum; qui cœleste est manna, a quo Animæ justæ hauriunt substantiale compendium omnis saporis, & suavitatis, dans ipsis spiritualem vitam. Panis convertitur in comedentis alimentum, hic autem è contra Deus vi intimi amoris in se transformat se suscipientes Animas, non quidem cessans in esse per-*

(1) *De hac Solis similitudine*, *Vide lib.* 3, *Animadvers.* 5, & *alibi*.
(2) *Vide lib.* 6, *Animadvers.* 2, §. 2. (3) *Vide lib.* 6, *Animad.* 4, §. 2.
(4) *Vide loco citato*, §. 3.

personali Deus esse, sed sicuti in Incarnatione permanens Deus, factus est homo. Vestit misericorditer paupertatem, & nuditatem nostram pretiosis vestibus, quæ viva, & efficacia sunt desideria; monet enim dulce suavique violentia voluntatem ad ea amplexanda, & actualiter adimplenda vitiorum odio, virtutisque amore; adeò ut de terrenis mutemur in Cœlestes, de carne evadamus Spiritus; eradicat enim ex nostro corde spinas & venenosa herbarum germina, ad hoc ut mutemur in floridum amœnumque Viridarium, in quo ipse deliciis frui possit. Adornat tandem ipsas splendidissimis radiis perfectæ virtutis, ut divina fruantur intromissione, unione, & amoris cum ipso pacificatione, admittens animas ad suos divinos, & castos amplexus, & in fide desponsans eas sibi in sempiternum (ly in sempiternum *sumatur de intentione & voluntate Dei antecedenti*). *Hoc modo efficit ut secum beatâ gaudeant vitâ, participans illis per gratiam effectus, quos ipse habet per essentiam*. Quòd vera sint hæc, ultra fidem, Sanctorumque dicta, in iis qui congruè ad hanc accedunt Mensam, ipsa docet experientia; & utinam mea non præpediret tepiditas, & ingratitudo, quin tales experirer Misericordias.

ANIMADVERSIO X.

De intelligentiis tertii Generis, quas sublimiori lumine communicavit Deus huic Virgini.

§. I. Si ea, quæ hucusque dicta sunt, attentè perpendamus, inveniemus Divinam Providentiam cum hac Virgine sibi consuetum servasse morem, quo regulariter elevat Animas ad intellectualem puritatem, evellendo paulatim & progressu temporis a nobis insita Phantasmata, quæ in initio utilia sunt, quando nempe debemus rimari divinam magnitudinem humano modo, qui omnibus convenit, ex operibus ejus: convenientia tamen non essent, quando in contemplationis progressu, ubi Deus, ut fortiùs illum dignoscamus & amemus non ex nostro arbitrio, sed ex sua peculiari voluntate, mentem infuso quodam radio ad nudam vocat intuendam veritatem. Hoc, inquam, nobis innotescet, si reflectamus ad modum, quo Deus Mariam Catharinam duxit a supra adductis Visionibus imaginariis ad intellectuales, & in istis eam abstrahens ab imaginativa luce gradatim puriori, alienavit a sensibus. In tertio igitur Visionum genere nunc versamur, in quo rapta Anima ad intuenda Divinitatis arcana, sensus ipsa deserit, ratio verò humana excessu Divini luminis victa ipsam relinquit. In his igitur notandum, quòd hæc Virgo, phantasmata & ratiocinium fugiens, excepto tamen eo, quod ad se explicandam inevitabile erat, ad purum, & spiritualem radium, prout eam Divina lux vocabat, assurgit; unde multa dicit, nihil probat, cognoscens, quòd argumentis non indiget nuda veritas. Et revera suis discursivis potentiis uti debet Anima, quandiu ei permittit Deus, ut in naturali

suo operetur statu; & velle tunc proprio arbitrio imaginativam suspendere, & discursum, perniciosus esset error: e contra, quando Deus supra proprium nobis cognoscendi modum supernaturali elevatione eam ad se vocat, atque a Patribus spiritualibus approbato impulsu ipsam rapit, velle tunc in sensibus, & discursu obstinatè immorari, Divino influxui esset aperta ingratitudo; ut enim notat Richardus a Sancto Victore: (1) *Ibi sensus corporeus, ibi exteriorum memoria, ibi humana ratio, intercipitur, ubi mens supra se ipsam rapta ad superna elevatur*. Quòd si de hoc rationem quærimus, eam acutè adducit Angelicus. Duobus modis, docet ipse, cognosci possunt a Viatoribus res divinæ; per abstractionem nempè, & tunc fit, cùm intellectus abstrahit a phantasmatibus species intelligibiles, quibus aliquid de Divinitate, quasi per enigma cognoscit; & hoc in praxi evenit, quando meditatione ex operibus ejus Dei magnitudinem mens indagat. Per participationem verò, cùm Intellectus, ut Divinas penetret veritates, non abstrahit a Phantasmatibus, sed species intelligibiles a Deo, mediante peculiari lumine, recipit, eisque passivè informatus, ea quæ Divina Bonitas vult ut cognoscat, modò nobis non naturali intuetur. Hic autem posterior modus est, quo in Mystica Theologia Divina Attributa, Trinitatem, Divinamque Essentiam, quantùm Viatoribus fas est, Divinusque elevat radius, contemplamur: *Divinorum cognitio* (scribit Divus Thomas (2) *dicitur fieri non per abstractionem, sed per participationem, secundùm quòd Divina in ipso Intellectu participantur*. Hic ultimus est intelligentiarum gradus, qui paucis conceditur Animabus, sed in quo quantò magis tacet, & quasi deperditur naturalis cognoscendi usus, tantò amplius in Deo ectaticè absortus gaudet, & tripudiat Spiritus, ut scribit a me pluries citatus Richardus a Sancto Victore (3): *Tunc Anima veraciter exultat, atque tripudiat, quando illa ex Divini luminis irradiatione cognoscit, quibus omnis humana ratio succumbit*. Veniam mereor, si in hac digressione historiæ cursui forsitan incongruâ, longiùs immoror; hoc enim necessarium mihi visum est, ut intelligentiis, quas referre debeo, ipsa praxis probabilitatem adaugeat. Atque ad id peragendum, quæ dixi non sufficiunt, nisi lectoris patientiam exerceam, demonstrando quo sensu hujus Virginis dicta sumi debeant, & maximè ubi scribit se Trinitatem, Divinam Essentiam, & similia vidisse. Est ergo ut alibi tetigimus, Theologis omnibus nota distinctio Visionis, in Intuitivam, & Abstractivam. Prima propria solummodò est Comprehensorum, qua Deus videtur sine ulla imagine, aut specie. Deus etenim se immediatum repræsentat Objectum Intellectui, qui propterea confortatus a lumine gloriæ, eum in seipso, & per seipsum videt; & de hac dixit Deus Moysi: *Non videbit me homo, & vivet;* hæsitantibus Theologis, an permissa fuerit Paulo in suo mirabili Raptu, sed excepta Beatissima Virgine, de omni alio absolute negantibus. Secunda verò Abstractiva in hoc consistit, quòd Deus species quasdam intelligibiles adeo perfectas, ut aliquid de Divinis repræsentent, infundit in Intellectu possibili,

(1) *Loco alibi citato*. (2) *In Areopagitam de Div. nom. c. 2, §. 4.*
(3) *Beniam. min. p. 1, c. 6.*

ſibili, adeò ut ab iisdem informatus cognoſcat quòd Deus vult, ut cognoſcat. Magnum quidem eſt hoc privilegium, & rarum, aliquibus tamen a Deo electis Animabus donatum nemo Myſticarum negat. In quo caſu, ut docet Angelicus (1), Dono Intellectûs (ad quod ſublimis hic cognoſcendi pertinet modus) non penetrat verè mens noſtra Divinam Eſſentiam in ſeipſa, ſed in ſpeciebus a Deo infuſis de iis, quæ Fides proponit, altiùs quædam percipit; & Divina Myſteria clariori intelligentia, & ſuperiori lumine apprehendit. De hac igitur Abſtractiva Viſione intelligenda ſunt, quæ hæc Virgo de Divinis Arcanis ſæpius ſe vidiſſe teſtatur; quòd ſcilicet intellectualiter vidit ſigna aliqua, vel ſpecies a Deo in ſuo Spiritu impreſſas, & exprimentes aliquid de his, quæ in hac vita cerni non poſſunt, quæ quidem interpretatio auctoritate Divi Thomæ (2) fulcitur: *Deus interiùs inſpirando non exhibet Eſſentiam ſuam ad videndum, ſed aliquod ſuæ Eſſentiæ ſignum, quod eſt aliqua Spiritualis ſimilitudo ſuæ Sapientiæ.* Hac cautela, quàm utilem duxi ad tollendas umbras quaſdam exagerationis in iis, quæ hæc Virgo ſcripſit, referam hic aliquas relationes, aut fragmenta intelligentiarum, quas in ſuis Raptibus habitas, ipſa ſuorum Directorum obſequens imperio, illis transmiſit. Non equidem omnes; tum quia, cùm ſæpiùs, & maximè ultimis ſuæ vitæ annis eidem Deus ſublimia de ſe communicaverit, ſi omnia transcribere vellem, nimis me, & alios, fatigaret labor; tum quia, cùm Deus ipſi ſæpè eadem oſtenderet, ipſa ſæpe etiam, coacta ſemper ſuos Raptus Confeſſario aperire, eadem, diverſo tamen ſtylo, non potuit non iterare. Ex his tamen paucis, quæ referam, argui poterit profunditas, qua de tam elevatis loquitur Myſteriis. Et quamvis nihil ſubſtantialiter dicat, niſi quod omnes credimus, & ob id non ſint hæ *Revelationes*, ſed *Illuſtrationes*, ex proprietate tamen terminorum, & verborum, quibus utitur, cognoſci poteſt, quòd id, quod omnes credimus, ipſa majori penetrabat luce; & ſublimiori claritate fidei a Dono Spiritus Sancti illuſtrata, quaſi dixerim, intuebatur.

§. II. Prima ars, qua poſſimus in hoc exilio aliquid de Deo cognoſcere, conſiſtit in ejusdem Attributorum Contemplatione, in quibus multùm de Divina elucet magnitudine; & hæc debemus ex operibus Divinæ manus, in quibus reſplendent, venari. Hinc eſt, ut notabimus, quòd Maria Catharina in eorumdem intelligentiis aliquid ſenſibile, etſi curſim deſcribit; ſenſibilia enim nota ſunt aliqua nobis Dei opera, ex quibus ad Divina pervenimus Attributa, & hic contemplandi modus dicitur *Poſitivus*. Perfectius tamen eadem ſpeculamur Attributa, quando a Creaturis aſcendentes ad Creatorem, illaque intuentes in Deo, Intellectum ſubmittimus, & fatemur Divina Attributa in infinitum elevatam cujuscumque creaturæ intelligentiam ſuperare; nec ipſa melius valemus cognoſcere, quàm humili, & attonita admiratione, & cognitione quòd ea cognoſcere non poſſumus. Hunc igitur modum, qui dicitur *Negativus*, & ſolummodò provectiori convenit perfectioni, oſtendit ut plurimùm in ſuis ecſtaticis intelligentiis hæc Virgo. Quod ut pateat, notandum quòd inter infinitas perfectiones, quas Deus in ſe ineffabiliter conti-

(1) 2, 2, q. 8, a. 2. (2) *De Verit.* q. 18, a. 3.

continet, solet nostra tenuis cognitio demirari, & adorare, ut in aliarum compendio, Omnipotentiam, Sapientiam, & Bonitatem, quæ quamvis totæ realiter conveniant Trinitati, ascriptivè tamen distintim unicuique attribuuntur Personæ; Omnipotentia nempe Patri, Sapientia Filio, Spiritui Sancto Bonitas. De his ergo tribus attributis profundè multa cognovit hæc Virgo. De bonitate siquidem in omnibus suis relationibus, uti vidimus, & videbimus, alta sparsim, & multa differit. De Omnipotentia verò ita scribit: *Hæc Omnipotentia simplex est in se ipsa, sed eò magis fortior, & Divina, in suæ virtutis efficacia; potest enim destruere quod factum est, & ad nihilum redigere, atque illud creare, quod creatum non est, omnia videlicet, quæ in esse sunt creabili, & quæ sine divisione, aut distinctione, in actu suæ sunt Omnipotentiæ.* De Sapientia autem sic loquitur: *Intelligibilis Dei Sapientia infinita est, illimitata, immensa, & ampla, sine principio, & fine. Ab ipsa originem trahunt sua essentialissima, simplicissima, & justissima Judicia quibus regit, sustinet, & gubernat universum Orbem, quem traxit ex nihilo, & annichilare posset, si vellet, solà suà voluntate, absque labore, aut applicatione; omnia enim sunt illi præsentia.* Elevata post hæc fuit ad ecstaticam cognitionem attributorum in universali, hac partim sensibili, partim spirituali notitià, dum ita scribit: *Divinissimum esse est quasi floridum, delitiosum, amœnumque viridarium, quod in se continet odorosos, mellifluosque flores, & fructus, perfectissimæ, essentialissimæ substantiæ, consubstantialia nempe attributa, quæ incomprehensibilia sunt in multiplicitate* (1), *in fundo autem suæ Divinitatis nihil sunt, nisi una simplicissima unitas; quæ est immensa sine loco, profunda sine confine, & profundiora penetrat Abyssi. Est inexplicabilis, quia superat omnem summitatem; & est infinita, sine limitatione, quamvis in animabus tranquilla requie suos influat effectus. Est Deus per se Sanctus, nec potest talis non esse, quia impotens admittendi in se aliquam, etsi minimam imperfectionem; cùm incapax sit exeundi a semita rectitudinis, & rationis; est enim perfectissimus in omni sua veraci perfectione; itaut ecstaticæ remaneant in eo contemplando omnes cœlestium Spirituum intelligentiæ, canentes dulci suavique melodia Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.* Alibi majori loquitur Emphasi, dum in quadam de Triade Beata intelligentia, ita ejus describit perfectiones: *Regnas Potentià effectivà in omnibus, non accidentaliter, sed substantialitèr, cum tota infinita tuorum attributorum immensitate, quæ a te dividi non possunt, quia tecum unum sunt; & sicut homo sine Anima homo non esset, ita & tu sine tuis attributis idem non esses, quod es.* Concludit tandem de ipsis attributis intelligentia quadam, quæ supradictas includit. (2) *Supradicta Attributa sunt Sanctissimæ Triadi intima, præsentissima, & substantialia, nec possunt operari unum sine alio, cùm divisa non sint, nec invicem distincta. In sua Essentia quod est unum, est aliud, quia Deus actus est purissimus, & simplicissimus. In operibus ad extra non potest Deus operari cum uno attributo sine alio, quia omnia sunt unum idem ipse,*

(1) *De attributis, & de iis quæ in eorum intelligentiis digna interpretatione sunt: Vide lib. 6, Animadvers. 5, §. 2, 3.*

(2) *Vide lib. 6, Animadvers. 5, §, 2, 3.*

ipse, (1) *sicuti tres potentiæ Animæ effectivè operari non possunt una sine alia, quia realiter sunt ipsa Anima. Contradistinguuntur attributa per intellectum, sicuti potentia intellectiva Animæ contradistinguitur a memoria, & a voluntate. In Deo admitti non potest intrinsecè aliqua distinctio formalis, neque per naturam, neque per intellectum* (2) (Non intelligatur tamen hoc de Personis.) *Est Deus Oceanus vastissimus, amplissimus, altus sine mensura, latus sine limite, profundus sine fine, & quantò magis de eo comprehendebam, tantò magis mihi remanebat quod comprehenderem; unde gaudebam, quòd solus Deus comprehendere posset seipsum, nec dari possit nisi infinitum, quòd in se bona complecteretur infinita. Ex affectibus attributorum, quæ Deo coæterna sunt, & mihi ejus bonitas communicavit suæ Divinæ voluntatis ope, attraxi ad me ipsam experimentalem cognitionem Thesauri immensi, quem Deus in se continet, ad mensuram tamen luminis, quod Deus in meo infudit intellectu.*

§. III. Transeamus tandem ad omnium aliorum, quæ in hac vita haberi possunt, sublimiores intelligentias, quæ sunt modo supradicto de Sanctissima Trinitate, Divinaque Essentia. He visiones inter lumina omnia, quæ animabus sibi charis donari solent a Deo, utì Sancta Theresia, & Cardinalis Bona testantur, elevationes sunt raræ, adeò ut in istis cognoscat jam citata Carmeli magistra Matrimonium spirituale, arctiorem videlicet unionem, quæ, exceptâ Eucharisticâ, a Viatoribus haberi possit cum Deo; atque ob id prorsus alienæ sunt a Phantasmatibus, quæ subministrare possent sensus, & a nobilibus speciebus, quas Deus infundit in intellectu, dependent; quia, ut scribit Richardus a Sancto Victore, dum contemplamur Trinitatem, similitudines omnes, & humanæ rationes, quæ huic adæquentur Mysterio, omninò deficiunt; atque ob id: (3) *Meritò in hujus mysterii revelatione auditus cadit, sensus deficit, ratio succumbit.* Hanc tamen, licèt sublimissimam intelligentiam concessam legimus a Deo pluribus devotis Virginibus. Theresiæ, Catharinæ Senensi, Mariæ Magdalenæ de Pazzis, Catharinæ a Bononia, Beatæ Angelæ a Fulgineo, ut earum testantur historiæ; imo ne hæc existimentur mulierum phantastica somnia, observemus quòd de se Divus fatur Hieronymus, narrans quòd in longa quadam Ecstasi ad abstractivum Trinitatis fuit admissus intuitum: (4) *Quid inenarrabiliter sentiebam delectationis, testis est ipsa Trinitas, quam cernebam, nescio quo intuitu.* Hanc igitur Mariæ Catharinæ negare noluit divina pietas, ut ex pluribus ejus apparet relationibus, quarum hic aliqua transcribam fragmenta. Vidit igitur ipsa, juxta Dei morem, qui, ut observat Sancta Theresia, paulatim sui ipsius cognitiones solet infundere, ne toto simul suorum luminum abysso fragilitatem opprimat Animæ. Vidit, inquam, primo loco aliqua distinctim de Divinis Personis; & de Æterno Patre, ab ipso in spiritu edocta, sic scribit: *Columba mea, opus meæ Omnipotentiæ, Sapientiæ, & bonitatis, eleva tuum intellectum ad me tuam lucem, & magistrum; quia volo tibi umbram mearum ostendere perfectionum, earumque conditionem. Et erigendo cum tremore mentem meam, vidi Æternum*

(1) *Vide loco citato.* (2) *Vide loco cit.* (3) *De Præpar. ad Contempl.* 12.
(4) *Ep. ad Virg.*

num Patrem, quasi vastissimam, & inexplicabiliter pulcherrimam lucem, quæ candorem continebat quasi candidissimæ nivis, nec explicare possum lucis illius pulcbritudinem, cùm sit Æternus Pater lux admirabilis omnium substantialium perfectionum. Intellexi, quòd Candor ille quem vidi, candorem significabat purissimum, & simplicissimum Essentiæ, & naturæ Divinæ increabilis in Persona, & substantia. Æternus Pater usque ab æternitate, quæ est sine tempore, non habuit principium originis; quia Essentia Divina non operatur (1), *sed dat facultatem, & virtutem omnipotentem intellectui, & voluntati Patris ad operandum, juxta suum genium, & naturalem inclinationem*. Replicavit verò ipsi Æternus Pater in alio raptu sui ipsius intelligentiam, ita ejus loquens spiritui: *Ego sum perfectissimum Exemplar omnis pulcbritudinis, Virtutis & Sanctitatis, quæ in me resplendent. Origo autem harum perfectionum est æterna, & profunditas immensa; & cum promptitudine scientiæ, & intellectus eas intueor in mea Divina Essentia, & natura, ac propter eas vivo, ardentique voluntatis amore amo me ipsum*. Ab his intelligentiis illustrata hæc Virgo, in alia spiritûs abstractione sic Æternum Patrem brevi, sed succosa adorat exclamatione: *O immense, incomprehensibilis Pater, ingenitus, nec procedens, sed æternè, & consubstantialiter dependens a te ipso*. Cognitiones istæ non sunt certè tales, quæ a vulgari mulierculæ intellectu possint naturaliter oriri, nec minores sunt illæ, quas habuit ipsa de Divino Verbo, quæ ex variis colligi possunt in invocando Verbum Divinum exclamationibus. Unam ex istis, & quidem satis mysteriosam, hîc Animadvers. 5, §. 7, jam transcripsimus; alias paucas hîc libet referre. A quadam gravi tentatione liberata in gratitudinis ecstasi, sic gratias agendo fatur: O *Verbum natum substantialiter, & personaliter identificatum cum essentia tui Æterni Patris, quæ Essentia in ipso remanet, sicut in primo & simplicissimo principio sui esse personalis, sicut Sol se luci communicat, atque calori, & tamen remanet in eo Solis essentia. O nihilum æternum* (2) *qui nihil es de rebus creatis, sed vivis per virtutem propriam tuæ substantialis Essentiæ. Intellectualiter percipio, quòd tua omnipotentia est causa,* (3) *quòd existas in perfecto, æternoque tuo esse a parte ante, & post*. De elevatis intelligentiis circa Divina attributa gratias agens sic scribit: *Postquam supradicta comprehendi, exclamavi, & dixi: O Deus unus in Essentia, trinus in Personis, o Verbum dignitas Æterni, gloria incomprehensibilis; o lumen indeficiens in natura, & substantia*. Cùm ex obedientia cogeretur de spiritualibus loqui, suæ non fidens ignorantiæ, ita lumen a Sapientia postulat Verbi: *O incomparabilis pulchritudo, o lux æternarum deliciarum, o Verbum dilectissimum paterni cordis, natum genere excelso, splendidissimis natalibus, secundùm ab ipsum infinitam, & suavissimam tuæ naturalis generationis, a purissima, & splendidissima tui Patris substantia, a qua divisus non es, nec distinctus; dic mihi, pro tua precor bonitate, quid Sponsis tuis loqui debeam.*

§. IV. Cognitioni Divinarum Personarum in particulari, successere, Deo dante, plures intelligentiæ totius Sanctissimæ Trinitatis, circa quas, ne

(1) *Vide de hoc lib. 6, Animadvers. 8, §. 7.* (2) *Vide de hoc lib. 6, Animadvers. 7, §. 1.* (3) *Vide lib. 6, Animadv. 5, §. 4.*

ne legentibus tædio sim, & cùm alibi easdem integras transcribere rationabili statuerim de causa, pauca hîc feram fragmenta, ex quibus tamen satis apparebit sublimitas Illustrationum, quas habuit hæc Virgo, suisque Directoribus ex Obedientia communicavit. Circa igitur Annum ætatis suæ vigesimumsextum, post decem videlicet Annos sub aliorum directione, in summa austeritate, solitudine, infirmitatibus, aliisque doloribus, expensos (ex quo deberemus eruere, quòd tam elevatæ intelligentiæ regulariter non dantur a Deo, nisi prævio longo orationis, & mortificationis exercitio, fortique Crucis tolerantiâ). Post hæc, inquam, complacuit Deo ipsam elevare ad sublimem, intellectualemque Augustissimæ Trinitatis Contemplationem, ubi quæ in Raptibus vidit, ex Obedientia, sic scribit -- *Quadam die, dum orarem, mihi se obtulit Deus, qui veluti magnes meum attraxit intellectum ad manifestationem, & suorum Divinorum arcanorum communicationem* (1), *cùm me subducere in meo non esset arbitrio, quia tota in ipso absorta eram & transformata; ad instar ejus qui somno sopitus patitur in phantasia accidentales species, nec eas pro suo libitu valet expellere, non enim pro tunc sui compos est. Comprehendi igitur quòd Deus unus est in essentia, Trinus in Personis; & quòd istæ tres Divinæ personæ sunt sibi ipsis invicem intimæ, præsentissimæ, substantiales, æternæ, & infinitæ, in eorum incorruptibili, & indefectibili Esse, & natura Divina, continentes in se originem omnis rei creatæ & creabilis. Æternus Pater abyssus incomprehensibilis summæ simplicitatis in sua unica Essentia, intelligitur prius quàm Filius, qui natus est sine temporali nativitatis principio, immediatè per virtutem propriam essentialissimæ, vitalissimæ, & consubstantialis Sapientiæ Patris, qui usque ab æternitate* (2) *traxit ad se ædificium sui Divini intellectûs, absque præcedenti cognitione, & sine motu intelligentiæ concomitante, cognoscens intimè se ipsum, & omnia in se ipso. Spiritus Sanctus est ignis inextinguibilis immensi amoris* (3) *producitur* [lege magis propriè procedit] *a Patre, & a Filio. Verbum Divinum est vita essentialis Patris,* (4) *& Spiritus Sanctus simplicissimus Divinæ essentiæ, vita est Patris & Filii, quia si cessarent se amare, desinerent vivere. Hæc augustissima Trias ex natura suæ Essentiæ est infinitè sapiens, quæ sapientia est lumen essentiale, & substantiale sui ipsius, & tribus Divinis Personis objectum est earum beatificationis, & glorificationis. Sunt ipsæ essentialiter ipsa bonitas; & se amant vicissim infinitè, & incessanter, solo unico, & simplicissimo actu voluntatis intra se ipsas; quod una vult, volunt & aliæ* (5). *Sunt effectivè potentes, quæ Potentia iisdem parit* (6) *expressivè, & actualiter existentiam; ipsisque possibile est omne id, quod vult eorum naturale genium & inclinatio. Justæ sunt, adeò ut per earum justitiam sint perfectæ, & incommutabiliter Sanctæ; & propter earum misericordiam* (7) *incapaces sunt admittendi in se ipsis quodcumque malum noxium*

(1) *De hac elevatione, cæterisque ad eam spectantibus, si fortè hæsites, vide lib. 6, Animad. 2, §. 1.* (2) *Quæ dubia tibi in hac occurrent relatione, vidè lib. 6, Animadvers. 5, & alibi.* (3) *De hoc Verbo producitur lege, lib. 6, Animadvers. 8, §. 1.* (4) *De hac Vita vid. lib. 6, §. 4.* (5) *Vide lib. 6, Animad. 8, §. 8.* (6) *Vide lib. 6, Animad. 5, §. 4.* (7) *Vide lib. 6, Animad. 5, §. 5.*

xium earum bonitati . Essentialiter & naturâ pulchræ sunt (1), *& earum pulchritudo Solis longissimè superat pulchritudinem , & illis solis veræ pulchritudinis primatus convenit , adeò ut ipsæ se ipsas intuendo absque eò quòd ad alia se vertant objecta , remanent in se , & per se infinitè substantialiter , & incessanter satiatæ immensa beatificatione* . O quam cuperem in his commentandis paulisper immorari ; sed tum quia de his omnibus attentiori interpretatione in sexto Libro loqui decrevi ; tum quia hìc mihi munus non Interpretis, sed historici incumbit , transeamus ad transcribendam aliam intelligentiam , quam in solamen forsitan vexationis, a malignis spiritibus toleratæ , de beatissima Triade habuit hæc Virgo , & superiori elevatior est, quamvis longior (2): *Augustissima Trias* [sic illa scribit] *in esse intrinseco realiter sunt tres Personæ , non est tamen in ipsis nisi una natura , una voluntas . In hoc Mysterio elucet Sapientia , Intellectus Patris , cum illam generat Divinam notitiam , virtute propria activi , essentialis , & spiritualis sui intellectûs , illique communicat suam essentiam . Relucet etiam incomprehensibiliter vis , & potentia infiniti amoris , quo Pater , & Filius producunt Spiritum Sanctum , activa spiratione , & intrinseco , unitivo , effectivo , & spirituali amore . Et de his duobus actibus productivis intellectûs , & voluntatis Patris , remanet integrè , perfectè , & infinitè satiata , & contenta ejus naturalis inclinatio , cum immensa , & consubstantiali beatificatione . Est Unigenitus filius lucidissimum Speculum Patris , in quo propriam contemplatur Divinitatem , omnesque Creaturas . Est ipsi coæternus , genitus enim semper fuit ab æterna sua mente ; & Pater Æternus usque ab æternitate perfectè cognovit , sine intellectiva speculatione , pelagum infinitum incommutabilium perfectionum , quas continet ineffabile Verbum , filius sui Divini Intellectûs , illique ab ipso cum essentia communicatus , quæ liberæ sunt ab omni accidenti , nec possunt ab eo dividi , vel distingui , sed sibi sunt præsentissimæ & actuosissimæ . Filius è contra idipsum semper vidit in Patre ; & ob hanc præclarissimam suarum perfectionum cognitionem se invicem amare non cessant intimo , & reciproco amore . Ex hoc cognovi , quòd tertia Persona semper producta fuit in eorum voluntatis actu ; unde una persona non est major altera , quia Filio a Patre genito communicata fuit ab ipso Essentia Divina , sicuti & Spiritui Sancto producto a Patre , & Filio , mutuo inter ipsos amore , communicata pariter fuit eadem Divina Essentia ; solummodo distinctione Personali inter se distinguuntur , sed non essentiâ ; distinguuntur enim tantùm personali relatione* (3), *sicuti tres Animæ potentiæ contradistinguuntur realiter inter se , eò quòd una potentiâ non est altera , licèt distinctæ non sint realiter ab ipsa Anima . Continent realiter , & formaliter tres Divinæ Personæ omnes prærogativas substantiales , & supersubstantiales ; non est inæqualitas in eorum sapientia , & bonitate , cùm sint in excellentia & consubstantialitate tam naturæ , quàm gloriæ , omninò idem . Et sunt personaliter unitæ vinculo arctissimæ amicitiæ , & amabilissimæ societatis , amantes se invicem infinito , vivifico , & mutuo amore , cum effusivo modo ex effectu Divinæ Essentiæ ; unde quod vult Pater , vult Filius , & Spiri-*

(1) *Vide lib.* 6, *Animadv.* 5, §. 4. (2) *Circa difficultates in hac relatione vide lib.* 6, *Animadv.* 8. (3) *Vide lib.* 6, *Animadv.* 8, §. 5.

Spiritus Sanctus (1). *Hæc intelligens exclamavi : O perfectissima, amabilissima voluntas, quæ tres fontes stringis in uno; te laudo, exalto, & glorifico. O abyssus ineffabilis gaudiis, quæ lætificas, & beatificas totum Empireum; transforma me totaliter in te, ut numquam a te me dividam, & anhelans ad te aliud non cupiam. O fons aquarum viventium a me desideratus, quoniam sitivit Anima mea ad Deum fontem vivum.* Hæc visio refert quasi idem, quod in aliis; sed quia illam habuit in provectiori ætate, videtur mihi, quòd clariùs in ea, & majori loquatur proprietate, atque ob id hìc mihi eam placuit transcribere.

§. V. An sublimes istæ cognitiones sint naturaliter a Virgunculæ Intellectu dictatæ, vel potiùs censeri debeant a Divino lumine infusæ, judicet, qui legit; ego siquidem attentè ponderans non solùm quæ scribit, sed et modum, quo scribit, fateor, quòd mihi persuadere non possum sine peculiari, atque actuali Donorum Spiritûs Sancti assistentiâ, hæc ipsam dignoscere, & exarare potuisse. Miror tamen ulteriùs in ejus scriptis ultimum, & sublimiùs, quod in hoc exilio haberi possit, ecstaticæ Contemplationis Donum, quod est contemplari non distinctè Attributa, sed uniter omnia simul, cum Divina Unitate, & Essentia. Ultimus est hic gradus Intellectualis Visionis, ad quem aspirare, nisi præcedente saltem longo perfectionis exercitio, temeritas esset. Oportet enim, ut ardens & elevatus sit Amor ad hoc, ut, juxtà Areopagitæ documenta, omnes amati amabilitates in Mystica intuens Unitate, omnes in generali quadam inspectione cognoscat, & amet. Modus quidem Contemplationis, qui paucis, & raró a Deo conceditur, nec ego alicui quantumvis proficienti auderem suadere, est enim unus ex effectibus elevatissimi Raptus, in quo Anima elevata ad inspiciendam in universali Divinam Bonitatem, confusione quadam sine confusione, omnia in ipso contemplatur, & adorat; & de quo Sancta sic loquitur Theresia [2]: *Probè cognoscit, quòd nihil vult nisi Deum, sed non amat aliquid ipsius particulare, imò vult totum simul, nec scit quid velit.* Ecstatica hæc Abstractio, quæ omnia simul in sola miratur Essentia, ab aliquibus malitiosè conversa est in Animarum perniciem, tentante Dæmone Meditationem Attributorum de medio tollere, sub ficto prætextu mendicatæ suspensionis in pura Divinæ Unitatis adoratione, & quod frustra contemplatur per partes, quod, cùm unum sit, in uno possumus altiori cultu venerari. Qui error certè Deistarum favere potest hæresi. Hoc tamen non obstante, quòd aliquando, Animam rapiente Deo, ad praxim, sed rarissimè, & quod regulariter sine Raptu vix accidet, concedi possit, & Sancta Theresia, & omnes non negant Mystici; imò addit Suarez, quòd in hac Contemplatione proficit Amor; quia intuitum figens in amabili, & universali cumulo Divinarum perfectionum, (virtus enim unita fit fortior) vehementiùs inardescit, quàm si illas contemplaretur divisas: *Potest Deus objici Intellectui, quatenus infinitè amabilis, sub quadam eminentissima, & simplicissima ratione, quæ omnes possibiles, & particulares rationes amandi comprehendat. Hoc enim modò homo contemplatur Deum in hac vita, quando simplicissimo actu cogitat Deum, ut*

Q *supre-*

(1) *Vide lib. 6, Animadv. 8, §. 6.* (2) *In ejus Vita, c. 20.*

supremum quoddam Ens, excedens omne aliud possibile, & infinitè Bonum. Ergo in Deum sic propositum tendit Voluntas, perfectè amans illum, & omittens modum imperfectum, quo ab Intellectu concipitur, tendit in illum prout in se bonus est. Ad hanc igitur supremam intellectualem Visionem Divinæ Essentiæ in se continentis eminenter omnia, ad quæ divisim nostra se extenderet cognitio, elevatam fuisse a Deo Mariam Catharinam, constat ex sublimibus, compendiosisque intelligentiis, quas ipsa de suis refert Illustrationibus, quarum licet mihi pauca referre: *In hac consideratione* (ipsa scribit, idest in Contemplatione Divinitatis) *Deus sua peculiari gratia aggerem removit ab impetuoso flumine suæ Bonitatis, ad hoc ut Animæ meæ terram suis inundaret influxibus; communicans mihi suarum Illustrationum copiam, inter quas hæc fuit; quòd meo tenui Intellectui ostendit quid ille sit* (abstractivè hoc sumatur, ut supra multoties cautum est). *Vidi, quòd est substantia immortalis, æterna, simplex, nuda, immutabilis, incorporea; Spiritus existens, cujus Essentia est sua vita, & operatio. Est Intelligentia vivacissima, quæ in se ipsa omnia videt, & penetrat. Est æterna, perfectissima, infinita, semper unicè unica, mens altissima, vitalissima, essentialis, quæ se ipsam intelligit, & vivit in seipsa, & sua ipsa vita, omnium rerum est principium & finis. Est Deus subtilissimus, excelsus, liber ab omni forma extrinseca, & accidentali. Est in se ipso summum, & infinitum Bonum, quod continet omne, quod est pulchrum, pretiosum, honestum, purum, sanctum, amabile & desiderabile. Est profluvium æternarum delitiarum, abyssus Gratiæ, & Bonitatis.* In alia Ecstasi referens ex Directorum præcepto, quod interiùs vidit, ita loquitur: *Ad altissimi, & sapientissimi Dei gloriam scribo quod mihi contigit dum ineffabili Sacrosanctæ Triadis meditabar Mysterium. Rapta fui ad Visionem mirabilium Arcanorum Dei,* (1) sumantur hæc semper de Visione Abstractiva, quæ esse potest clarior, majorumque rerum Divinarum, prout Deus voluerit, manente tamen in Abstractiva revelatione) *Ostensum mihi fuit, quòd ille simplex est in seipso* (declarat ipsa hunc loquendi modum, qui audax videretur ex sequentibus), *quòd videlicet ejus Attributa, & perfectiones sunt idem ipse, quæ ab eo nec divisæ sunt, nec distinctæ, cùm sit actus purissimus, simplicissimus, in quo nihil est, de quo prædicari possit,* prius, & posterius, *majus, aut minus, & in omni genere Attributorum est consubstantialis, & infinitus.* Addamus his duas, quas ipsa refert, cognitiones, quæ alicujus mihi videntur ponderis. Unam habuit hæc Virgo in Exercitiis Spiritualibus, videlicet [2]: *Essentia Divina non est divisa, nec distincta a Patre, qui in Unitate essentialiter simplicissima, in qua inhabitat, & terminat, cùm sit absque termino, non potest ab ipsa dividi personaliter, nec intellectualiter; non datur enim naturalis præcedentia inter suam Essentiam & Intellectum.* Aliam, dum doleret de miseriis Animarum, quæ Deum non cognoscunt, nec amant,
hæc

(1) *De hac Visione, quæ dubia occurrant, videantur Lib. VI, Animadversionibus VI, VII, & VIII.*

(2) *De hac relatione loquimur Lib. VI, Animadvers. II, §. II, & §. VI; sicut et Animadvers. III, §. VII; atque Animad. VII, §. II; & Animadvers. VIII, §. VII.*

hæc vidit [1]: *Comprehendi, quòd Deus est actus purissimus, simplicissimus, qui habet in se originem omnis glorificationis, & beatificationis, & est principium, & Causa omnium rerum creatarum, & est Objectum beatificum naturâ, & substantiâ.*

§. VI. Si hæc, quæ de ejus Intelligentiis transcripsimus, Spiritu, qua ipsa scripsit, non censorio legantur supercilio, non dubito, quin multa dignoscamus, non solummodò quæ huic Virgini a Divina luce infusa fateri cogamur, sed etiam (quod apprimè notandum est) nos ad apprehendendam nescio quamdam Divinorum impressionem excitent. Nec mirum est si fortè, qui hæc legit, aliqua sæpiùs inveniet repetita; animadvertendum enim est non multùm numerosa, sufficientia tamen ad nos illuminandos esse Mysteria, quæ de Trinitate, & Unitate Dei, nobis nostra proponit Fides; imò, ut observat Areopagita, & explicat Chartusianus (1), quò magis Anima ad unum, quod Deus est, assurgit, tantò magis ejus cognitiones, multiplicitatem coarctantes, in Unitatem coalescunt. Cùm igitur Maria Catharina ab obedientia cogeretur numerosas referre Intelligentias, quibus de se multùm Deus in Spiritu communicabat, necesse erat, ut sæpiùs eadem scriberet, quia iisdem sæpiùs illustrabatur a Deo. Observetur tamen non iisdem ipsam uti Sententiis, & verbis, sed semper Recentiora prioribus, crescente cum ætate lumine, & perfectione, clariora esse, & profundiora. Hoc igitur argumento patet ex una parte dictorum veritas, cùm ipsa dicat in notabili temporis intervallo, quoad substantiam, semper idem; ex alia, innuit augmentum luminis in ipsa, & perfectionis, dum proficiente cum Virtutis exercitio, ipsa ætate, clariori cognoscit, & fatur lumine. Quod me coegit ad transcribendum non unam ex ejus Relationibus, sed plures, ut pateat in ipsa successivum Divinæ lucis augmentum. Quantùm autem ad qualitatem Illustrationum, quas in his Animadversionibus retuli, ego judicium ferre non audeo, nec suspendere in hoc vellem historiæ seriem, me tamen earum profunditas, quam in illis mea demiratur tenuitas, cogit ad aliquam narrationis pausam, ut lectorum satisfaciam stupori, assueto multùm hæsitare de his, de quibus multùm miratur. Et quia de his Intelligentiis, & modis, aut verbis, quibus ipsas hæc Virgo refert, alibi in sexto scilicet Libro, longiùs disserendum erit, hìc duo solummodò dubia proponam, quæ in lectoris animò insinuari forsitan possent. Unum: Quomodo potuerit Maria Catharina de profundioribus Fidei nostræ Mysteriis, & tanta scire, & sic profundè loqui? Secundùm: Quo fine hæ elevatæ publicentur cognitiones; cùm etenim, ut diximus, Revelationes non sint, quæ aliquid novi doceant, sed simplices Illustrationes de his, quæ jam omnes scimus, & credimus, non videtur quòd alicujus esse possint emolumenti, in rebus maximè Fidei, in quibus non scientiæ speculatio prævalet, sed assensûs humilitas. Pro solutione primi dubii, quomodo scilicet credibile sit eam plura de Mysteriis tam elevatis scripsisse, jam vidimus, quòd una Intel-

(1) *De hac relatione vide Lib. VI, Animadvers. II, §. I, & II; Animadvers. III, §. II, &c. Animadvers. VI, §. I; Animadv. IX, §. II.* [2] *De Myst. Theol. Ibidem.*

telligentia, si debita humilitate recipiatur, & fructu, viam sternit ad alias; & Intellectus, si primo lumine bene utitur, ad majorem semper se præparat lucem. Unde mirum non est, si hæc Virgo vehementiori de die in diem mortificationis, charitatis, & perfectionis studio, primis respondens Illustrationibus, plures & majores in quasi gratitudinis præmium receperit. Insuper, si perpendamus heroicum, quo erga Deum, & proximos, ardebat, Amore, facilè tot Illustrationum venabimur causam. Charitas enim ignis est, qui non solùm ardet, sed etiam lucet, &, ut ait Richardus a Sancto Victore (1): *Qui plus diligunt, profundiùs conspiciunt, & subtiliùs discernunt*. Ulteriùs meminisse oportet Raptus hanc Virginem passam esse frequentissimos, ut alibi dictum est; ac proinde numerosis Raptibus numerosæ responderunt Intelligentiæ, cùm sint hæ veri Raptus ita propriæ, ut scribat Sancta Theresia (2): *Ego credo quòd si aliquoties in Raptibus, quos illi dat Deus, non intelligit Anima aliquid de secretis cœlestibus, veri non sint Raptus, sed potiùs naturalis debilitatis effectus*. Quòd postea sic longæ, & variæ sint relationes, quas ipsa suis transmisit Directoribus, de hoc mirari non debemus. Cogitur enim Phantasia, & multò magis calamus in plures dilatare periodos id, quod compendiosè Intellectus, & uno simul vidit intuitu; quod notavit Sancta Theresia, & clariùs sæpe citatus Richardus (3): *Sub uno Visionis radio mens ad innumera se diffundit*. Quòd in describendis hisce Intelligentiis, terminis, & vocibus utatur, quæ, ut Theologorum propriæ, suspicionem ingererent, sibi dictata fuisse, quæ scripsit, insussistens erit hæc suspicio, si ultra ea, quæ alibi de hoc diximus, consideremus huic Virgini datum fuisse a Deo Donum Scientiæ Infusæ, de quo in Lib. II, Cap. IX, §. II; & in Lib. IV, Animadvers. VII, §. II satis disseruimus. Quo posito, quis stupebit adhibuisse ipsam formulas aliquando similes iis, quas Sapientia suis dictavit pro nostra utilitate Theologis? Nonnè liber est Deus, qui tot devotis Virginibus dedit in Spiritu (quod sæpiùs legimus) Mysticas, sublimesque cognitiones, huic etiam suggessisse Adjectiva, Adverbia, Terminos profundè exprimentes calamo, ea quæ eidem demonstravit in Raptu? Sed de hoc satis; transeamus ad secundum dubium, quòd videlicet, hìc finis non apparet, quo Deus Virgunculæ talia revelaverit, ac propterea hæsitari potest, an sint Illustrationes infusæ a Deo, qui nihil agit frustra. Notabilis erit hæc difficultas apud quosdam, qui contenti otioso quodam Fidei assensu, nihil ultra volunt, quàm extrinsecè credere quod frigidum est non negare, sed istis responsum dabit Angelicus. Divinæ Illustrationes (dicit ipse) dantur quandoque a Deo etiam hominibus in gratia non constitutis, sed tunc dantur propter aliorum præcipuè utilitatem; si verò dantur Animabus Deo inservientibus, tunc duplex est Divinæ Providentiæ finis; Spiritualis Utilitas, nempe & eorum, qui eas recipiunt, & illorum, qui eas audiunt (4): *Aliquando Prophetiæ* (meminerimus, sub nomine Prophetiæ includere Divum Thomam quascumque infusas Illu-

(1) *In C. 1 Areopag. de Ang. Hierarch.* (2) *In Castro Inter. Mans. 6, c. 4.* (3) *Loco supracitato.* (4) *Apud P. Gravina in Lap. Lydio, lib. 4, c. 3.*

Illustrationes) *dantur homini propter utilitatem aliorum, & propter propriæ mentis Illustrationem*. Idem nos docet magnus ille Mysticus, Beatus Joannes a Cruce (1), asserens dari a Deo has elevatas cognitiones intuitu Spiritualis fructus, qui attenditur, & in illis, quibus iufunduntur, & in proximis easdem piè legentibus; ait enim Apostolus: *Unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem*. Si ergo Intelligentiæ huic Virgini communicatæ ipsi fuerunt proficuæ, & tales esse possunt iis, qui illas pià fortè legent intentione, imò fuerunt, dum ipsa vivebat secum domesticè conversantibus, & ea, quæ ecstaticè viderat, aliquando ex ardoris impetu etiam involuntariè promentem, audientibus, ut ex dictis alibi satis patet; cessabit difficultas, quòd uti superfluæ non possint probabiliter credi infusæ a Deo, de quo vulgatum est Axioma: *Deus, & natura nihil frustra*. Quòd autem ipsimet valde utiles fuerint, argui potest ex doctrina Sancti Isaac Abbatis (2), asserentis, quòd Intelligentiæ dantur a Deo Animabus justis, ad confirmandas eas in Mundi contemptu, roborandas contra tentationes, variasque Dæmonum insidias, & maximè augendam Charitatem, quæ ex talium Donorum inflammatur gratitudine. Huic igitur Virgini impugnatæ interiùs, & exteriùs a malignis Spiritibus, eodem tempore, quo tales a Deo recipiebat Illustrationes, quod robur ad omnium victoriam illæ non auxere? Qua constantia in heroica alienatione a rebus terrenis eam confirmarunt profunda Contemplatione cœlestium? Legantur ea, quæ in Lib. II, de suis Virtutibus exarata sunt, & videbimus quàm proficuæ ipsi fuerunt, & præcipuè ad concipiendam ex illis semper ardentiorem Divini Amoris flammam, quod de se, ut vidimus, sæpè testatur; & harum Illustrationum effectus est, ut ait Divus Bernardus (3): *Revelatio, quæ fit per Spiritum Sanctum, non solùm illustrat ad cognitionem, sed etiam accendit ad Amorem*. Non fuerunt igitur istæ Intelligentiæ superfluæ, si huic Virgini ad majorem perfectionem fuere proficuæ; sed et proximis utiles fore sequens demonstrabit ratio. Nota est Angelici auctoritas, affirmantis quòd, quamvis principaliora Fidei nostræ Mysteria explicitè sciri debeant, & credi, non tamen omnibus necessarium est cognoscere modum, & profunditatem veritatum, quarum doctis reservatur penetratio, simplicibus & idiotis sufficit cognitio, atque humilis assensus. Omne id libenter fateor; addo tamen, quòd desidiosus ille assensus, quo credimus, sed ea quæ credimus aliquando ruminare, & meditari negligimus, nimis est frigida Fides, de qua doleret Divus Thomas (4), asserens: *Proprium est credentis cum assensu cogitare*. Cresceret saltem credentibus Fidei meritum, si præmisso veritatibus revelatis cæco assensu, immoraremur postea pia Meditatione in iisdem, studentes Divina moderatè speculari, eo fine, ut Deum clariùs cognoscentes, illum profundiùs adoremus, ardentiùs diligamus; ita Divus Thomas (5), cujus auctoritatem, quia alibi retuli, hìc transcribere parco. His prælibatis superfluas judicare has Intelligentias nequeo, cùm in earumdem, brevibus licèt,

[1] *In Asc. ad Mont. Carm. lib. 3, c. 29.* (2) *Apud P. Grav. in Lapis Lydio, lib. 4, c. 3.* (3) *Serm. 8 in Cant.* (4) *2, 2, q. 2, a. 1,* [5] *2, 2, q. 2, a. 10.*

licèt, quæ retuli, fragmentis, potest, qui ea fortè legerit, meditari, Præmium, Pœnam, gravitatemque læthalis peccati, Animæ propriæ pretium, amabilitatem Dei, & magnitudinem; ex quibus hauriat plus cognitionis simul & charitatis. Sed dicet aliquis, hæc omnia, absque eò, quòd attendantur mulierculàrum imaginationes, in Sanctis habemus Patribus; quos a Dei Spiritu illuminatos certissimè scimus. Fateor hoc verum esse, nec consilii mei est has Intelligentias Sanctorum æquiparare scriptis. Dico tamen, quòd si hoc valet argumentum, igni damnanda essent, ut inutilia, & otiosa Opera Sanctæ Theresiæ, Epistolæ, & Dialogi Sanctæ Catharinæ Senensis, Revelationes Sanctæ Birgittæ, Raptus Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis, & similia, in quibus certè nil continetur, quod a Sanctis Ecclesiæ Doctoribus præcedenter scriptum non legamus. Non crediderim quòd talia somniarint Censores; satis est mihi demonstrasse hujus objectionis, si fortè in alicujus incidat mente, insussistentiam; si enim cogitamus quòd Opera Sanctorum Patrum Flumina sunt regalia, harum autem Virginum Intelligentiæ parvuli sunt Rivi; observabimus pariter, quòd istis, non illis irrigare, & fœcundare solemus arva. Non omnes capacitatem habent & modum legendi, & penetrandi Doctorum Lucubrationes; atque ob id Deus pro sua pietate aliquibus a se electis Virginibus quædam infundit lumina, quæ tenui multorum magis accommodata cognitioni, & familiariùs, & compendiosiùs illos illustrent, qui humiliter non dedignantur etiam a simplicibus Divinam haurire Sapientiam. Hæc dixi, non ut auctoritatem his Intelligentiis augeam, sed ut earum despectionem minuam; de iisdem nempe, ut sæpiùs dixi, quibus debetur judicium relinquo, non præsumens illis aliam addere fidem, quàm humanam, simplicemque probabilitatem, in hujus Virginis quas alibi retulimus Virtutibus innixam; quæ si veræ sunt, juxta omnium Mysticorum doctrinam, hæ non sunt despiciendæ. Ubi liceat mihi huic Virgini debita adscribere proportione, quòd Sanctæ Gertrudi de veritate suarum Revelationum hæsitanti, respondit Christus (1): *Si quis hoc finaliter in corde suo experitur, quòd Voluntas ejus ita meæ sit juncta Voluntati, quòd nec in minimo unquam prospero, vel adverso casu, velit a meo placito discordare; & insuper in eo quod agit, ita purè laudem & gloriam meam desideret, quòd in omnibus propriæ renuntiet utilitati, & mercedi* (Has animi præparationes in hac Virgine, ni numerosi, & fide digni Relatores omnes mentiantur, jam vidimus) *ille securè potest affirmare, quòd quidquid boni sensuum suorum exercitiis apprehendet, cum interno sapore, hoc ex me evenisse.*

ANI-

(1) *Apud Lansperg. in Vita S. Gertrud. lib. 4, c. 11.*

ANIMADVERSIO XI.

De Apparitionibus exterioribus, aliisque peculiaribus Donis, quæ in sua Patria, antequam pergeret ad Januense Xenodochium, a Deo accepit hæc Virgo.

§. I. Visiones, quas aliquibus verè perfectis Contemplativis, ut in eis Fidem, Spem, & Amorem augeat, aliquando indulget Deus, sunt, ut alibi tetigimus, in triplici genere. Quia, ut docet Divus Thomas, sicuti tres sunt cognoscitivæ nostræ Potentiæ, Oculus, Imaginativa, & Intellectus, quibus aliud videmus, aliud imaginamur, aliud intelligimus; ita tres sunt Visiones; exterior nempe, quæ sensibili oculorum respondet potentiæ; Visio imaginaria, quæ ad internam attinet phantasiæ facultatem; & Visio intellectualis, qua Anima operatur verè, ut rationalis, & spiritualis, quia agit cum intellectu, quo mediante ab omnibus aliis visibilibus Creaturis distinguitur (1): *Secundùm* (scribit Angelicus) *secundùm potentias cognoscitivas in homine, quæ sunt sensus, imaginatio, & intellectus, sic sumitur triplex visio*. Cùm igitur de Visionibus imaginariis, & intellectualibus, ea, quæ pro mea tenuitate satis sunt, exposuerim, remanet, ut de tertia exteriori, & corporea, quam Cardinalis Bona (2) nomine Apparitionis discernit, & nos eodem titulo imposterum distinguemus pro complemento harum Animadversionum, quæ ex probatis collegi Auctoribus, breviter aliqua afferam. Protestans autem cum Sancto Augustino (3) quòd in iisdem, quomodo, & cur concedantur a Deo, *Definire non audeo, mallem a scientibus perquirere*. De insolitis mirabilibusque Dei in Animabus operibus, dummodo ea adoremus, atque in iisdem Deo gloriam demus, de modo, & causa non debemus temerariè esse curiosi, sed, ut scribit Sancta Theresia [4]: *Oportet in his rationes non quærere, quomodo, & cur fuerint, non enim ad hæc comprehendenda noster pertingere potest intellectus. Quare ergo hisce frustra inquirendis laborare volumus, & nostram circa ea incassum fatigare speculationem?* Ita est; opera sunt omnipotentis misericordiæ, & sapientiæ, in quibus admirari magnitudinem est obligatio, scrutari modum, & causam est audacia; parum enim proderit hoc scire, inquirere multum nocere potest, dicam cum S. Augustino: (5) *Quod unusquisque vult scire, putans prodesse si sciat, discat non obesse, si nesciat*. Unum tamen in his exterioribus apparitionibus cognovisse proficuum, judico ad hoc ut Animæ in iisdem non decipiantur, & hoc est, quòd in Apparitionibus

---

(1) 2, 2, *q.* 174, *a.* 1, *ad* 3. [2] *Lib. de Discr. Spir. c.* 19, *num.* 2.
[3] *Lib. de Cura Mortuor.* [4] *In Castr. Inter. Mans.* 5, *c.* 1.
(5) *Loco supracitato*.

nibus Christi Jesu, necnon Beatissimæ Virginis, non est in reali propria Persona Christus, aut Virgo, quæ appareat, & videatur, sed Angeli, qui Deo jubente aereum sumunt corpus, aut aliam figuram, aptam ad objiciendum exterius oculis, quod Deus vult interius repræsentare menti. Dixit Redemptor Sanctæ Theresiæ (1), quòd post ejus Ascensionem, numquam in terris fuit, excepto quòd in Altaris Sacramento, & aliquoties, ut Beatissimam solaretur Virginem, dum vivebat. Hinc est quòd pluries a me citatus, & propter ejus pietatem, & eruditionem citandus Cardinalis Bona (2), evidenter concludit, quòd sibi suadere esse realiter Christum in propria persona qui apparet, & loquitur, opinio esset contraria communi sensui Sanctorum Patrum, qui statuunt non se visibilem alicui reddidisse post Ascensionem Jesum, nisi Paulo prope Damascum. Ob id in his corporeis Visionibus adorari non debet immediatè Christus, sed ab ipsis, ut a vivis Imaginibus Angelica virtute affectis, assurgat Anima ad imaginatum, qui se ope Angelorum, ut ardentius ametur quasi spectabilem repræsentat; unde firmat sapiens ille Purpuratus: (3) *Ipsas apparitiones Angelico ministerio factas omninò credendum*. Sed opponet forte quispiam: Si ita est, mentiuntur ergo Angeli, qui in imagine apparenti, dicunt se Christum esse. Non mentiuntur, Sacri respondent Interpretes, cùm enim personam gerant, & vices ipsius, jure etiam nomen assumunt. Sic Abraham locuti sunt, ac si Deus essent, tres Angeli in Convalle Mambre, sic Moysi data fuit lex in monte Sinai; Deus verè illam dedit, sed Angeli ipsam repræsentarunt ejus nomine, atque ob id dixit Protomartyr in Judæorum concilio (4): *Accepistis legem in dispositione Angelorum*. Sicut igitur tunc in persona, & nomine Dei apparebant Angeli, ita & nunc in Visionibus exterioribus, si verè sunt a Deo, Angeli in assumpto corpore immediatè sunt qui apparent Animabus, ipsas docent, vel solantur. Ita Sanctus scribit Augustinus (5): *Per Angelica ministeria usquequaque diffusa Deus præbet hominibus ista solatia, quibus in hac vitæ miseria judicat esse præbenda*. Advertatur tamen non esse consilii mei ita Christum Cœlo, veluti in carcere, recludere, ut per se, si libuerit, apparere non possit; sicut apparuisse legimus S. Paulo, & forte Petro a Roma fugienti, ut graves censent auctores. Exposui id, quod ut plurimum in his accidit apparitionibus; & hoc præmittendum censui, ut cautè percipiatur id, quod circa apparitiones de hac Virgine enarrandum est; sicuti etiam ne fallantur Animæ, si quibus similia contingent, (deceptas siquidem in hoc aliquas experientia me docuit) existimantes verè, & immediatè Jesum esse, quem exterius vident; a quo errore oriri potest, ut in talibus nimis sibi ipsis complaceant, & finem devotionis collocent. Cognoscant igitur cum gratitudine Divinam bonitatem, quæ eas mediantibus visitat Angelis; revereantur humili timore Angelicam dignitatem, & medium, quo Deus utitur, sed tandem a sensibili se attollant ad spirituale in apparenti imagine imaginatum adorent humanatum Verbum, a quo talia emanant

nant

[1] *In Additam. ad ejus Vitam*. [2] *De Discret. Spir. c. 19*. [3] *Loc. cit.*
[4] *Act. 7, 53*. (5) *Lib. de Cura Mortuor.*

hant Dona; sic etenim hisce apparitionibus utiliter docet uti Beatus Joannes a Cruce. Ab hac Animadversione distingui potest, cur istæ Visiones ab aliquibus rigorosè nimis explodantur, ab aliis nimià admittantur facilitate, quæ duo extrema prudenter condemnat Cardinalis Bona: (1) *Sunt quidam ab errore, & temeritate nullatenus excusandi, qui eas passim tamquam fallacias & illusiones sensuum, aut veluti somniantium deliramenta explodunt. Alii nimium faciles omnibus credunt, omnes sine discretione amplectuntur*. Ut igitur nos medià gradiamur vià, quæ tutior est, videamus quando visiones istæ exteriores excludendæ sint, & quando admittendæ, in quo protestor mei non esse consilii Directoribus legem statuere, sed tantummodo circumstantias illas proponere, quæ dicendis aliquam humanam fidem possunt acquirere. Indubitatum est has Visiones per se ipsas cæteris inferiores esse, quia sensibus nituntur, quorum cognitio inter alias animæ cognoscitivas facultates postremum habent locum; & quod magis interest, majori expositæ sunt deceptionis periculo, quia in sensibilibus Dæmon facilius suas tendit muscipulas; unde de his jure meritò timent prudentes Directores, edocti quòd in ipsis elucere quidem potest Divinum lumen, sed pariter malignorum Spirituum abscondi possunt insidiæ, ut Divus docet Augustinus (2): *Per corporales Visiones, per imagines corporalium, quæ demonstrantur in Spiritu, & boni instruunt, & mali fallunt*. Dixi *per se ipsas*; certum si quidem est quòd Visio sensibilis, nisi associata sit ab intellectuali, qua Anima in eo, quod exterius videt, Divina, quæ Deus in tali repræsentat apparitione, interius cognoscat, vel nullius est emolumenti, vel probabiliter suspicari potest esse, si non Dæmonis deceptionem, vanum saltem, & despicabile phantasiæ figmentum; sic prosequitur Augustinus (3): *Si nihil significant, quæ videntur, Animæ sunt imaginationes*. Hac igitur distinctione, ni fallor, conciliari possunt duæ oppositæ opiniones, & eorum qui talia nimis flocci faciunt, & illorum, qui eadem nimis mirantur. Primi has apparitiones considerant ut purè sensibus expositas, quo casu nil habent utilitatis, plurimum periculi: secundi supponunt, quòd visioni corporeæ uniatur supradicta intellectualis, & sic proficuæ sunt, nec despiciendæ. De hisce igitur quæ sæpius in Sanctorum legimus historiis, imo & in Sacris Scripturis frequenter, altè loquitur Cardinalis Bona (4) sic scribens: *Mirum est potuisse homines sanæ mentis reperiri, qui eas omninò negare, vel delusæ imaginationi adscribere ausi sint*. Cujus sententiæ ratio est, quia, ut scribit Sanctus Augustinus (qui de hac re longius, & juxta suum illuminatum agit intellectum) dantur hæc a Deo, ut per sensus exteriores transeant ad phantasiam, & ab hac mens abstrahat, conducentes ad Dei timorem & amorem, intelligibiles species: *Si diligenter consideremus satis apparet corporalem Visionem referri ad spiritalem* (Verbo spiritalis hìc ipse intelligit sensus internos, idest imaginativam) *eamque spiritalem referri ad intellectualem*. In casu igitur harum apparitionum diligenter attendi debent, ut notat Cardinalis Bona, virtutes & in perfectione

R pro-

(1) *De discr. Spir. c. 19, nu. 1.* (2) *De Gen. ad lit. lib. 12.* (3) *Ibidem.*
(4) *Loco sup. citato.*

progressus in iis, qui eas recipiunt; & effectus humilitatis, filialis timoris, & charitatis, quos pariunt; his etenim concurrentibus, non sunt prorsus despiciendæ; signum enim est cum visione exteriori concurrere intellectualem, quæ illam perficit; ac proinde talis apparitio cæteris visionibus & efficacior evadit, & nobilior. Confirmatur Doctrinâ Sancti Thomæ hæc mea ultima assertio. Certum est, apud Divos Hieronymum, Ambrosium, Justinianum, & Origenem, quòd Archangelus Gabriel in Annunciatione Beatissimæ Virginis apparuit in exteriori, & visibili assumpto corpore. Super quo quærit Angelicus; an convenientiùs fuisset, quòd Annunciatio fieret per puram intellectualem Visionem, ceu aliis, & magis spiritualem, & altiorem. Concludit tamen, quòd convenientissima fuit cœlestis Nuncii sensibilis, & exterior apparitio, cujus conclusionis opinioni meæ favet, quam adducit, ratio, duabus fulcita Animadversionibus. Prima, quia Visio corporea certior est; nos siquidem tutiores sumus regulariter de his, quæ oculis videmus, quàm quæ imaginamur, aut intelligimus [1]: *Congruit certitudini ejus, quod annunciabatur; ea enim quæ sunt sensibus subjecta certius apprehendimus, quàm quæ imaginamur*. Secunda; quia Visio sensibilis, quæ per se imperfectior esset, unita intellectuali, quod certè contigit in Virgine, cæteris evadit nobilior (2): *Beata Virgo* [subdit Angelicus] *percepit visionem corporalem, sed etiam intellectualem illuminationem, unde talis apparitio nobilior fuit*. Ex hac tanti Doctoris auctoritate erui potest, ut reor, quòd si Visiones exteriores contingunt absque notabili filialis timoris humilitate, illuminata fide, & caritatis accensione, flocci faciendæ sunt; nec de ipsis turbetur Anima, sed eas despiciat, quia inimicus his damnum inferre non potest, dum illas ut somnia despicimus, & fidei rejicimus fortitudine, ut Divus notat Augustinus (3): *Cum visis corporalibus Diabolus fallit, nihil obest quòd ludificentur oculi, si non erratur in veritate fidei, & in intelligentiæ sanctitate, quam docet Deus subjectis sibi*. Cùm verò notant Directores ab iisdem oriri augmentum perfectionis, timoris, humilitatis, & amoris, probabiliter sperare possunt iisdem intellectualem Visionem conjungi, ac propterea juxtà allatam Divi Thomæ mentem, cæteris Visionibus certiores esse, & nobiliores. In ipsis siquidem, ut supra vidimus, omnes tres exercentur cognoscitivæ potentiæ; sensibilis, imaginaria, & intellectualis, atque ob id fortius apprehendit Anima, quod illi Deus repræsentat. Cum hac autem cautela, quam ex melioribus erui auctoribus; quòd videlicet ex parte una, non facilè assensum præbeamus muliercularum somniis, quæ sæpius aut falluntur, aut fallunt; ex altera non incurremus in errorem aliquorum, qui nimio timore, ut dolet Cardinalis Bona, legentes in historiis plures, & maximè in mulieribus, deceptiones, quia aliquæ ex his visionibus ex ignorantia, vel malitia delusæ fuerunt, omnes, ut illusæ mentis insanias, rejiciunt. *Fateor* [scribit Purpuratus ille] (4) *Fateor quidem in approbandis Apparitionibus cautè, & lentè procedendum esse, cùm multi sint, & fuerint Pseudoprophetæ, qui falsas visiones, & reve-*

(1) 3, q. 30, a. 3. (2) *Ibidem*. (3) *loco supra citato*. (4) *De Discr. Spir. c. 15, a. 2.*

revelationes fingunt, sed non ideo ob quasdam falsas, damnandæ quæ veræ sunt. Non miretur qui legit me in his longiùs, quàm fortè par esset, immorari; hæc enim scribo, ut mihi ipsi in narrandis hujus Virginis apparitionibus animum addam. Cùm siquidem in istis fortè nimium patiar incredulitatis, easque ab Animabus, quas dirigo, pro viribus removeam, his fidem adhibere longa fateor hæsitatione suspendi, & parum adfuit quin ea silentio supprimerem. Imo mihi lector indulgeat, si confiteor adscripsisse me Divinæ Providentiæ, quòd hæc Commentaria, in quibus exteriora multa narranda erant, conscribere compulsus sim, ut videlicet emendaretur in meo intellectu indiscreta forsitan a talibus aversio; & docerer, non quidem facilè credere, sed nec obstinatè negare; quæ raró quidem, sed tamen aliquando in Animabus operatur Omnipotentia, atque ita de excedenti incredulitate correptus de eorum non essem numero, quos reprehendit Cardinalis Lauria. (1) *Explosa profanorum hominum improbitate, qui eas vel prorsus negant, vel curiosius, quàm par sit, scrutari audent*.

§. II. Ut ordinem aliquem servare possim in edendis Apparitionibus, quibus Mariam Catharinam a Deo donatam sui referunt fide digni Directores, & initium sumpsere a vigesimosexto suæ ætatis Anno, ipsas in duas Classes dividere opportunum duxi. Aliæ de Angelis, & Animabus, quas ex majori parte habuit, antequam ad Januense pergeret Xenodochium; aliæ verò nobiliores, quas de quibusdam Sanctis, Beatissima Virgine, & Christo Domino recepit post ejus a dicto Xenodochio regressum, quoadusque Pisas se contulit, paucis nempe Annis ante obitum. Et ut incipiamus a primis, opponeret nescio quis Animarum Apparitiones superfluas esse, & inutiles, ac proinde ut fœminarum figmenta rejiciendas. Respondeo, ut supra dixi, hujusmodi Apparitiones, sicut non facilè admittendas, sic nec indiscretè explodendas, ni condemnare velimus inter cætera Revelationes Sanctæ Birgittæ, in quibus plurimas exteriores Animarum, tum damnatarum, tum beatarum, Visiones legimus. Quòd autem inutiles sint, huic Objectioni respondet pro me Cardinalis Bona [2], easdem asserens posse esse proficuas. Ex Animarum enim Apparitione [scribit ipse], de earum saltem post corporis mortem immortali existentia roboratur Fides. Si Angeli sunt, solantur in tribulationibus, ad perfectionem solicitant evidentiâ præmii, quod in seipsis ostendunt. Si Animæ sunt damnatæ, timorem incutiunt pœnæ, quam experiuntur; si tandem purgantes, ad suffragandum nos movent, & ad pœnitentiam incitant suorum tormentorum horrore; unde quamvis necessariæ non sint (habemus enim de his omnibus firmiorem a Fide notitiam), non tamen inutiles, quia Fidem sensibili quadam juvant veluti experientiâ, atque ob id jam citatus concludit Eminentissimus [3]: *Porrò ab his Apparitionibus multæ ad nos utilitates emanant*. Ut autem similibus Apparitionibus faciliùs fides adhiberi possit, explicamus breviter modum, quo Angelici Spiritus, & Animæ separatæ redduntur visibiles. Et quoad Angelos dubium non est, quòd ipsi, quando visibiliter mittuntur a Deo, formant sibi ipsis ex aere, vel alia materia,

[1] *De Orat. Opusc.* [2] *De Discr. Spir. c. 19.* (3) *Ibidem.*

ria, corpus, quo sine sensuum deceptione, cerni, & audiri possint. Quoad Animas verò observandum est, quòd nobis apparere in earum non est arbitrio, sed pendet ab absoluta Dei Voluntate, qui vel ut eorum, qui eis suffragari negligunt, ingratam oblivionem reprehendat, vel ut meritum addat pietati illorum, in quibus erga ipsas Charitas viget, vel ob alia sua inexcrutabilia judicia, vult ut nobis appareant. Quomodo autem hoc fiat, aut immediatè per Divinam Omnipotentiam, aut mediante Angelorum Ministerio, nescirem ego decidere, nec scivit Augustinus, aut quivis Auctor in ejus Operibus insitus [1]: *Quidam ex mortuis ad vivos rapi possunt, non per propriam naturam, sed per Divinam Omnipotentiam. Verùm an ista fiant per Divinam potentiam, aut per Angelos suscipientes eorum personam, dicere non audeo.* Relictis igitur his inutilibus quaestionibus, quas tamen tetigi, non solùm ut devotae lectorum indulgerem curiositati, sed etiam ut his aliquid humanae adderem fidei, accedamus ad enarranda quaedam particularia, quae de Angelorum, seu Animarum, quas habuit haec Virgo, Apparitionibus, alibi tacere me compulit historiae series. Et circa Angelos, aut bonos sibi apparentes, ut solarentur, aut malos, ut exercerent, satis egimus in Libro Secundo, Capitulo Ultimo; & in Lib. Quarto, Animadvers. IX. Circa Animas damnatas unam solummodò lego, quòd ipsa exteriùs viderit, & hoc non sine utili documento. Obierat Persona, ut malè vivens, publicè diffamata. De Divina tamen Misericordia, quod in morte efficax ei lumen ad poenitendum indulsisset, confidens haec Virgo, pro eadem preces fundebat, se acriter flagellabat. Deus verò, qui non vult, ut poenitentiae ad Articulum Mortis dilatae vitiosâ nitamur confidentiâ, fecit ut ipsi apparens Anima illa, se justè a Deo fateretur damnatam, moneretque ne pro se preces funderet, quae ipsi, ut exprobrationes Divinae Pietatis a se obstinatè neglectae, majoris erant tormenti. Progressa est ad altiùs documentum Apparitio; cùm enim illam non videret Maria Catharina, ut in aliis solebat Animabus purgantibus, catenis revinctam, de hoc interroganti, ejulans illa respondit: *Heu catenae, quibus aeternaliter ligata in his poenis teneor, sunt Divina Justitia, & mea peccata.* Haec utique responsio utilis esse potest, ut discamus miserae aeternitatis, qua cruciabuntur reprobi, causam esse, ut docent Anselmus, & Tertullianus, Divinum immutabile Decretum, & in peccatis obstinatio; cùm enim miserae illae Animae poenitentiam agere nec possint, nec velint, vivente semper culpa, semper torquebit & poena. Quoad Animarum Beatarum Apparitiones, quatuor in ejusdem Virginis relationibus a se visas reperio. Duae fuerunt Virgines, quas, uti sibi amicas, ad perfectionem promoverat, & ipsi post mortem apparuerunt in Coelo, sub specie amoeni cujusdam Viridarii, in quo laetae deliciis fruebantur, & vivebant. Nec inutilis haec Visio fuit; quippe quae sibi ad multa, quae tunc patiebatur, promptiùs toleranda, animum addidit, ad hoc exclamantibus ipsis: O *beatum pati, quia ad momentaneum pati, sequitur in aeternum frui.* Majoris tamen consolationis ipsi alia fuit Visio (an imaginaria, an exterior decidere non ausim), quia elevata in Spiritu ad

(1) *Lib. de Spir. & Anima.*

ad Paradisum, ibi duas præcipuè vidit beatas Animas, quæ ipsi ad memoriam revocantes spem præmii ad tolerantiam dolorum, quibus internè, & externè tunc exercebatur, summopere confirmarunt; & ecce narrationem, quam ipsa Virgo, ex consueta Obedientia, suo transmisit Directori — *Vidi jam Defunctos Episcopum Naselli, & Archidiaconum Poggi,* (fuerat primus Sarzanensis Episcopus, qui de ejusdem Virginis Spiritu zelum habuerat. Secundus, ab ipsa ad perfectionem, Deo annuente, vocatus fuerat vitam, de quo actum est Lib. II, Cap. X.) *qui amicti erant vestibus nive candidioribus, luce splendebant cœlesti, lætique æternis gaudiis, & perfectissimo excessu in Divinate Dei Trini et Uni vivebant beati. Dixerunt mihi, quòd mecum congratulabantur de meis crucibus, quòd ipsas tolerarem rectitudine, justitia, & sanctitate, erant enim valde acceptæ Deo, quem in ipsis glorificabam. Quòd libenter me angustiatam videbant, quia hæ Spinæ in die illa, a me tam ardenter exoptata, germinabunt Rosas, & pœnæ meæ mutabuntur in gaudium, cùm audiero a dilectissimo meo Sponso suavissima illa verba: Veni Sponsa mea de Libano, veni, & coronaberis.* Non judicabitur, ut opinor, inutilis hæc Apparitio, quæ tolerantiam nutrire valet præmii sperati alimento. Scio utique quòd Deus internis Spiritum roborat contra afflictiones inspirationibus, quæ ad patientiam roborandam, si iis attendimus, per se sufficerent; sed cùm destinaverit ad sibi inserviendum non solùm Spiritum, sed etiam & sensus, cur quæso videtur incredibile, quòd illum movens interno influxu gratiæ, istis etiam externis confirmet, & alliciat Apparitionibus, ostendens hoc modo in consolando sua provida pietate totum hominem, interiùs, & exteriùs afflictorum se esse solamen: *Deus totius consolationis.*

§. III. Non fuerunt ergo superfluæ, atque ob id despicabiles Apparitiones, quas hucusque narravimus; videamus modò an utiles judicandæ sint numerosæ illæ, quas de Animabus Purgantibus ab Anno jam dicto, usque dum vixit, habuisse refertur hæc Virgo. Scio utique apud Magistros Spirituales de his notabilem suspicionem esse, sed crediderim hoc accidere tunc præcipuè, quando ab ipsis Animabus Revelationes accipiuntur, & monita; & hoc juremeritò: Dei enim mos est, non ab istis, sed ab Angelis, utì suis Ministris, vel a Sanctis, veluti nostris Tutelaribus, velle suam Animabus sibi devotis patefieri Voluntatem. Animas verò apparere hoc solo fine, ut Suffragia petant, suisque pœnis solamen, doctum non reperio, qui absolutè neget (1). His præfatis observemus, quòd istæ Apparitiones concessæ fuerunt a Deo Mariæ Catharinæ, postquam in cor ejus accenderat vehementem erga proximos, tam viventes, quàm defunctos, Charitatem, ac propterea proficuæ fuerunt ipsi propter meritum, quod orationibus, & pœnitentiis ex Animarum apparentium compassione excitata adipiscebatur: illis verò, quia ejus piis operibus liberabantur a pœnis. De his superfluum esset hìc lectorem tædio afficere, cùm satis superque in Lib. II, Cap. XI disseruimus; aliqua solummodò referam, quæ ibi ne historiam digressionibus præpedirem, silentio præterii. Unum ex argumentis veras ostendentibus

(1) *Vide Card. Bona de Discret. Spir. c. 19, num. 8.*

tibus Visiones, quod de mente Sancti Antonii Abbatis refert Divus Athanasius (1), est, quòd aliquali in initio ab Anima recipiantur timore, qui tandem in gaudium desinit, tranquillitatem & pacem. Iste tamen timor duplex est, unus naturalis horroris, qui in similibus ex improviso cor concutit; alter humilitatis, quæ deceptionem aliquam suspicatur. Primùm ipsa experta est, quando in his adhuc rudis prima vice, qua ei talia acciderunt, adeò timuit, ut Medicorum, ad sistendum ex horrore motum sanguinis, eguerit ope; in progressu tamen talium Apparitionum facta a Deo animosior, naturalem vicit terrorem, ita ut his assueta nihil timeret, juxta id, quod scribit Card. Bona (2): *In his qui Angelicis, sanctisque Visionibus assueti sunt, cessare videtur hujusmodi timor ipsa consuetudine terrorem tollente.* Timorem tamen alicujus diabolicæ deceptionis, ex humilitate numquam omninò reliquit, quia semper se cognoscens his indignam, in his Apparitionibus aliquid suspicabatur illusionis, de quo liceat mihi hìc aliqua ferre testimonia. Cùm quondam in Spiritu contra inimici tentationes summo mentis nisu, necnon martyrii desiderio substinuisset Christi realem in Sacramento præsentiam, apparuit illi visibiliter Angelus, certiorem eam reddens de præmio, quod interno huic labori destinabat Deus, quod ipsa admirans, & quasi non credens, tanta benignitate acceptari a Deo simplicem internam quasi velleitatem, atque ob id quandam timens Dæmonis fallaciam, sic illi se dixisse refert: *In tota humilitate, & submissione, si tu non es Dæmon apparens mihi, ut me ad superbiam inducas, in Dei Nomine adora Solem illum Justitiæ. Tunc Angelus ad me conversus jucunda facie, non sum Dæmon, respondit, sed Angelus tibi missus, ut Dei Nuntius, persevera tu in Amore illius, qui te ardenti amat Amore. Quo dicto genua flexit ante Altare, in quo Angelicus Panis stabat expositus, & totus Amore in ipso transformatus, post aliqualem adorationem me benedixit & disparuit.* Alia vice cùm illi in Raptu oranti apparuisset Puer Jesus, suspicata de occulta quadam Dæmonis arte, eum a se ejicere cœpit, exclamans: *Vade, vade Dæmon* (cui Divinus Puer, qui de humilium non dedignatur Amore, benignè respondit). *Non sum Dæmon, sed ille, qui Dæmon fugat; sum Jesus.* Quo Nomine ipsa certior facta hæsitationem deposuit. Hæc & alia multa similis cautelæ ejus referunt Directores, ex quibus erui potest Apparitionum veritas, cùm in ipsis timorem præcedere videamus, securitatem sequi, quòd pluries observari potest in Animarum Purgantium ipsi oblatis Apparitionibus, in quibus tali deceptionem timebat cautelâ, ut Animabus ipsis opus esset eam securiorem reddere. Multa hujus generis relata legi; paucula, ne tædio sim, hìc afferam. Quadam die in testimonium, quòd vera esset cujusdam Animæ Purgantis Apparitio, ignis qua ipsa Anima cincta erat, e longinquo licèt, extinctam accendit lucernam. Altera vice, ut experiretur hæc Virgo utrum ignis, quem alia secum ferebat Anima, imaginarius esset an verus, versùs illum manum extendit, quo quamvis levi contactu, talis in toto ejus brachio remansit enormis læsio, ut sola sanari potuerit Omnipotentia. Talibus utique argumentis ejusdem de illusione timori

(1) *In Vita S. Anton. c.* 8. (2) *De Discr. Spir. c.* 19, *num.* 9.

timori succurrebat Deus; sed & ipsæ apparentes Animæ propria reddebant collocutione securam. Una earum videns illam suspicantem, an ardens zelus, quem de salute Animarum sentiebat, verus esset Dei impulsus: *Effectus* (ei dixit) *dubitare non sinunt; in cujus rei testimonium plures permittit Deus, ut ad te recurrant Purgantes Animæ, quia te uti vult ad eas a purgantibus flammis eruendas*. Cùm altera ei apparuisset, Suffragia postulans, ei Maria Catharina respondit: *Se non posse credere quòd vera esset, quam se dicebat, Anima; incredibile enim sibi videbatur tam imperfectæ, & miserabili, ut ipsa erat, tot Deum permittere Apparitiones; cui addidit Anima: Sine, ut faciat Deus, quod in ejus oculis bonum videtur*. Clarior tamen fuit securitas, quam ei apparens alia ipsi infudit Anima, quod ita illius narrant Directores: *Primo intuitu illusionem timuit, sed Anima sic ei est alloquuta: Ne timeas, illusio non est, vult Deus, ut tua Charitas non remaneat otiosa; & proximorum Amor, quem in tuo accendit corde suos pariat effectus; ob id multiplicantur Purgantium Animarum Apparitiones, ut tua etiam augeantur merita. Quo dicto disparuit, sed in illius corde talis remansit erga Animam illam compassio, vehemensque suorum tormentorum pietas, ut sibi mori videretur*. Et revera quòd jam dictæ Animarum Apparitiones non imaginationes essent, sed legitimæ Divinæque permissiones, probabiliter arguemus, non solùm quia ipsas Maria Catharina timebat, abhorrebat, fugiebatque, quoad poterat, usque ad conspuendam in argumentum contemptus apparentium faciem, quod fecisse legimus; sed multò magis ex dispositionibus, quæ ipsas præcessere, & effectibus, qui sequebantur; ex quibus Visionum omnium veritas comprobatur. Præcessit siquidem anxius ferventissimusque de Animarum Purgantium liberatione zelus, quem in ejus corde ita ardentem infudit Deus, ut de earum tormentis reminisci non posset, absque eò quòd ex impetu Spiritus, & sanguinis vomitum, & quasi mortalia experiretur deliquia. Ex quo inferri potest, quòd huic Charitati adderet Deus ad stimulum, & exercitium, frequentibus Apparitionibus quasi calcaria. Etsi enim sufficere poterant interni impulsus, solet nihilominus sæpe Deus, sicut supra diximus, ut Animam promptiorem reddat, etiam sensus exteriores allicere. Effectus verò, qui ex his oriebantur Apparitionibus, mirabiles erant, assiduæ nempe prolixæque orationes, lacrimæ, rigidissimæ sui corporis flagellationes, aliæque insolitæ austeritates, quæ omnia in Suffragium Animarum sibi apparentium adhibebat, ut in Lib. II, Cap. XI distinctè narravimus. An igitur ita ardens, activaque Charitas, an labores, tormenta ex his sponte alacriterque suscepta, argumenta sint veræ Visionis, doctiorum subdo pio, prudentique judicio.

§. IV. De aliis donis, quibus a Deo, antequam ad Xenodochia pergeret, cumulata refertur hæc Virgo, & quibus eam præparavit Divina Providentia ad Zelum, labores, & proximorum utilitatem, ad quæ ipsam destinaverat, ut probavit eventus, nihil hic oportet differere, quia in lib. 2, c. 4, 5, & 6, longiùs egimus. Unam tantummodo [sive intellectualis, sive sensibilis fuerit, decidere non audeo] hic Visionem liceat mihi ad examen revocare, & fuit, quòd hæc Virgo post toleratas, atque evictas humili, patientique resignatione per hebdomadas

das

das hostium tentationes, ad cœlestia gaudia in spiritu contemplanda elevata fuit, quod ipsa sic ex obedientia testatur: *Descendit ad me Angelus, mihique dixit: tua Resignatio interna, & externa Divinæ voluntatis beneplacito, qua tam in adversis, quàm in prosperis omnia suscipis tamquam ordinata a sua semper quieta, semperque operante bonitate, Divinam movit misericordiam, ut Spiritum tuum ad cœlestem attollat Hierusalem*. Ita prorsus evenit. Rapta siquidem statim, & ecstaticè ad cœlum, multum ibi de sperata apprehendit beatitudine, sicut in duabus præcedentibus Animadversionibus legi potest. Non unica tamen fuit hæc Dei præcellens Gratia; in Relationibus enim a moderno Sarzanæ Episcopo reperio, quòd bis in Spiritu rapta fuit ad Paradisum hæc Virgo. Semel, cùm in octava Assumptionis, fervor illius a Beatissima Virgine id obtinuit præmii, ut ad Cœlum elevata ejus mens, aliquid cerneret de Virginis gloria. Aliâ vice, cùm ad impetrandam obstinati peccatoris conversionem, rigidissimam, & pene incredibilem perpetrasset afflictivam pœnitentiam, se vidit in Raptu elevatam ad Cœlum, atque ibi inter Beatos Dei laudes audire, & canere: in qua visione, immorata quantum Divinæ placuit misericordiæ, sibi visa est rursus ab Angelis ad pœnitens suum lectulum restitui. Has prodigiosas ad Cœlum in Spiritu elevationes, sicut in Apostolo, & Protomartyre Stephano, de fide credimus, & in historiis plurium Sanctórum piè miramur, ita non audent, ut feminilia figmenta, prorsus deridere pii prudentesque Scriptores; indagant potius quomodo accidant, an videlicet in tali casu Anima remaneat in corpore, an miraculosè, & ad tempus separetur ab ipso. Difficultatem hanc enodare noluit Apostolus. (1) *Sivè in corpore, sive extra corpus nescio*; & delicatè Sancta tetigit Theresia (2) scribens: *Utrum hoc contingat immorante Anima in corpore, an non, dicere non audeo: Nec jurarem animam esse sine corpore, aut corpus sine Anima*. Communior tamen opinio est, quòd cùm noster Spiritus quandam habeat vastitatem, quæ non limitatur a corpore, seu, ut clariùs dicam, obedientialem potentiam, qua se extendere potest ad quamcumque sublimitatem, ad quam Deus eam velit attollere, absque eò quòd temporanea vitalis unionis solutione multiplicentur miracula; quamvis in corpore ut forma remaneat, intelligentia tamen, in qua corporeis non dependet ab organis, adeò extenditur a Deo ejus activitas, ut cœlestibus videatur adesse. Sanctæ hæc opinio arridet Theresiæ (3) cujus de hoc sententiam hic libet transcribere: *Sæpiùs cogitavi an sicuti Sol in cœlo permanens fixus, tantam vim habet in suis radiis, ut in ipso exortu illis mediantibus statim ad nos perveniat; sic Anima, & Spiritus, qui idem sunt, sicut Sol cum radiis, possit, remanente ipsa in corpore, caloris activitate illius, qui sibi infunditur, a Sole justitiæ, secundùm partem superiorem spiritus supra seipsam ascendere*. An verò talis sic descripta visio intellectualis dicenda sit, an sensibilis, discernere parum refert; ego libenter de utraque mistam existimarem. Intellectualis videlicet; secundùm quòd Angelos animas, vel alia purè intuetur spiritualia. Sensi-

[1] 2 *Cor*. 12, 3. (2) *In Castro Inter. Mans*. 6, c. 5.
[3] *Loco supracitato*.

Sensibilis quatenus aliqua repræsentantur de Beatorum dotibus, aliisque accidentalis Beatitudinis deliciis; quidquid verò huic Virgini in tali acciderit dono, mea non interest; factum narro, de modo alii judicent.

ANIMADVERSIO ULTIMA.

De aliquibus insignioribus Donis, quæ huic Virgini à Deo referuntur concessa, antequam ad Pisarum pergeret Xenodochium, idest, quinque ultimis suæ ætatis Annis.

§. I. UT iis, quæ dicenda sunt, addatur probabilitas omnis, quàm purè humana patitur fides, ultra exempla, quæ horum in Ecclesiasticis leguntur historiis, præmittendam censeo congruentiam quamdam a Deo liberè servari solitam in suæ etiam mirabilibus operibus Omnipotentiæ. Lex enim suæ non datur Sapientiæ, sed in omnibus ordinatè, & quadam nobis ipsis non incognita ratione, patrandis, ipse sibi lex est. Ut ergo hoc appareat, necessarium video historicam texere Chronologiam de tempore, quo describenda dona huic Virgini Deus contulit, ex qua elucescat quædam ad faciliorem credulitatem apta horum convenientia. Animadvertamus igitur, quòd anno suæ ætatis trigesimo Maria Catharina ab Hospitali Januensi Sarzanam rediit, & anno trigesimo secundo mirabiles inceperunt Apparitiones, quas hìc enarrare constitui. Ex quo patet, quòd duobus annis illam reliquit Deus, non quidem sine internis illustrationibus, sed sine exterioribus consolationibus, quæ ásperam, atque inimitabilem pœnitentemque solitudinem, quam fortè, ut eam ab exterioribus in Animarum salutem inevitabilibus, ad interiora revocaret, ei mandaverat, aliquo modo lenirent. Jussit enim illi Deus (quod ex multis liquet relationibus, & ipsa unicâ illâ vice, qua eam sum alloquutus, mihi fassa est) ut statim post reditum ad Patriam in propria, angustaque Cella inclusa viveret, inhibens etiam ipsi laquearia sui cubiculi intueri; quam legem, ut servaret, denso semper vultum tegebat velo, sicut testantur omnes, qui eo tempore de Episcopi licentia ipsam optarunt invisere. Addidit tamen Deus huic solitudini, ut adderet meritum, mortales, & quasi continuas infirmitates, a quibus per quinquennium coacta fuit jacere quasi immobilis, non quidem in lecto, sed ausim dicere, in quodam sepulchro; talis enim videbatur Capsa alibi a me descripta, & jacere Fenestris semper clausis, non etenim sine mortali deliquio, sic disponente Deo, liberum aerem ferre poterat. In hoc igitur tam continuo, & humanitati ferè intolerabili statu, quis miretur Deum, ad solamen Virgunculæ sibi spontanea alacrique obedientis patientia, suæ misericordiæ aperuisse fontes, crebrisque Divinis apparitionibus tam insolitum mitigasse rigorem. Non loquor hìc de

ardenti amore, a terrenis omnibus abstractione, quibus cor Jesu quadam vulnerabat charitatis violentiâ, & de congruo merebatur sibi solatium a Cœlo, dum ejus continuâ mente, & desiderio erat in Cœlis conversatio, unde repetere possem cum Angelico (1): *Effectus Divinæ gratiæ multiplicantur secundùm multitudinem desiderii, & dilectionis*. Pro quacumque ratione mihi sufficiunt vitæ usque ad miraculum austerioris invicta tolerantia. Impossibile enim videtur teneram, & infirmam Virginem, tantâ hæc substinere potuisse patientiâ, nisi Deus suis cor ejus, & spiritum roborasset frequentibus donis, ut bene notat ejus Director Sarzanensis Episcopus, sic scribens: *Tota miratur civitas, quòd illa tot annis in tam obscura vivere possit Cella: mihi verò mirum non est, quia multiplices scio apparitiones, & dona, quibus eam Divina solatur misericordia*. Ponderat Rupertus Abbas sublimes revelationes, quas in Apocalypsi a Deo Evangelista recepit; & notans quòd eas habuit quando relegatus erat in sterili Pathmos insula, concludit hunc esse Dei morem, se majoribus manifestare consolationibus, ubi magis pro illo toleratæ abundant passiones (2): *Quantò magis in freto præsentis sæculi affliguntur, tantò amplius illis secreta cælestia manifestantur*. Ad rem nostram transferat hoc dictum, qui legit; ego interim aliud simile his, quæ dicturus sum, mysterium afferam. Saturavit Redemptor Turbas in Deserto; sed observandum, notat eruditus Interpres (3), quòd eas non cibavit nisi post triduum laboris; *Ecce jam triduò substinent me*; non aluit in principio itineris, sed in fine. *Substentavit in fine tridui, non in initio conversionis, vel in medio*. Hanc interpretationem huic Virgini accommodare mihi liceat. Secuta est illa semper Jesum amoris, mortificationis, & virtutum gressu, & ipse ei dedit, verum est, pluribus donis fortitudinem, ut ad se curreret, sed non plenè solatus est suæ apparitione præsentiæ ejusdem desiderium in cursus initio, aut progressu, sed in fine; idest, paucis annis antequàm moreretur, ejus famem exteriori saturavit præsentiâ. *Non in initio, vel in medio, sed in fine*: & voluit, quòd gustans in termino vitæ quoddam præmii, quod sperabat, argumentum, toleratis benediceret angustiis, exclamans cum Psalmista (4): *Secundùm multitudinem dolorum meorum consolationes tuæ lætificaverunt Animam meam*.

§. II. Ostensa quadam prudenti probabilitate Donorum, quæ a Deo accepit hæc Virgo, ad distinctam eorum narrationem justum est ut progrediar; in quo non feram nisi mirabiliorum breve compendium, quia omnium prolixa nimis esset relatio. Protestor insuper, quòd in hisce narrandis (exceptis paucis, quæ ipsa propria manu conscripsit) non utar nisi notis a moderno Sarzanensi Episcopo suo Directore proprio charactere exaratis; & insuper seriem non servabo adamussim temporum, quibus ipsa has habuit Apparitiones; hoc enim nimis esset difficile; sed eas feram juxta ac mihi videbuntur nobiliores. Inter hæc igitur Dona, non possum ego narrare sine stupore, nec qui verè Deum amat,

(1) *In Dionys. de Div. nom. c.* 4, §. *sed hæc, lect.* 4. (2) *Apud Sylv. in Apoc. lib.* 1, *c.* 3, *q.* 37. (3) *Paulus de Palat. apud Mans. Bibliot. moral. Tract.* 8, *disc.* 7. (4) *Psal.* 93, 19.

amat, audiet fortè sinè sancta quadam invidia illud, quòd Jesus huic Virgini suam Divinam communicavit Passionem. Multoties in provectiori ætate concesserat ei prægustare aliquas amari sui Calicis stillas; in Anno tamen trigesimotertio eidem indulsit ut totum biberet unico haustu, quod evenit, sicuti ipsa ex solita sic describit Obedientia — *Nocte sequente diem Martis Deus mihi ostendit in Spiritu amarissimum suæ acerbæ Passionis Calicem, & dixit mihi, quòd magnanimo, & hilari corde acceptarem pati pro Anima N. & quòd ipse suâ peculiari gratiâ, & assistentiâ, meas sanctificaret, & suaves redderet pœnas. Respondi: Mi Jesu, afflictorum consolatio, & certum nostræ salutis pignus, me tota promptitudine tuæ Voluntati resigno. Fac de miserabili tua creatura quod tibi placet, omnia libens patiar; imo reputo me indignam hac Bonitate, qua velis hoc uti Inferni Titione pro tuæ gloriæ instrumento. Superiori tunc lumine & claritate vidi quòd Jesus venit ad patiendum, ut Mundum redimeret, suaque Passionis gauderet fructu; & tamen plures Animæ in suam damnationem tanta abutebantur Charitate, de quo intimum sensi dolorem, qui redundabat etiam in corpus, unde sanguineus emanavit sudor, & riguere membra mea veluti glacies. Flagellata fui a pedibus usque ad caput inexplicabili dolore, nec vidi a quo, sed remanserunt in corpore meo livores, & verberum signa, sicuti etiam in manibus vestigia funium, quibus arctissimè fui revincta. Coronata fui pungentissimarum spinarum Corona; experta sum Crucis dolorem, & ardentissimam sitim de Animarum salute, & trium horarum agoniam, sicuti in latere lanceæ vulnus. Hisce finitis tormentis, ita debilis, & sine viribus remansi, ut ne quidem digitos movere possem. Obtuli Æterno Patri suum Divinum Filium, eumque supplex oravi, ut per ipsius merita prædictam Animam a flammis purgantibus liberaret, statimque vidi ipsam ad Cœlum evolare, ut suspirato frueretur dilecto*. Fas non est mihi in hujus rei narratione longiùs immorari, de ea etenim satis dixi Lib. II, Cap. VII. Addam solummodò, quòd jam dicta tormenta sedare non potuerunt in hac Virgine pro Christo patiendi avidam famem, quòd apertè demonstrat factum, paucos post Menses ab Episcopo suo Directore allatum, his verbis — *In Festivitate Sancti Laurentii, dum ipsa meditaretur hujus Sancti Martyrium, vidit quòd Deus ejus Animam separavit a corpore, eidemque ita a carcere carnis liberæ dixit: Vis, Filia, ad me venire, ut me fruaris, vel ad corpus redire, ut iterum pati possis? Illa verò quamvis suum corpus mortuum cerneret, & sine motu, supplex petiit a Deo, ut se ad temporalem restitueret vitam, ut, plura tolerando, plus moreretur, quod Deus ipsi concessit*. Hoc separari ad tempus Animam a corpore, & rursus uniri, ita rarum est prodigium, ut de illo Beatus Raymundus a Capua (1) vix crederet Sanctæ Catharinæ Senensi, cui simile accidit, ut in ejus legitur Vita. Cardinalis tamen Bona, de eodem agens Miraculo, id non improbat, scribens (2): *Hanc Animæ separationem ad tempus a corpore fieri nonnumquam posse, non viribus Naturæ, sed Divinæ Virtutis Omnipotentiâ manifestum est*. Ego autem libenter crederem hanc solummodo imaginariam fuisse Visionem; nec per hoc heroicæ hujus Virginis patiendi detrahitur aviditati, quia

 in

(1) *Lib.* 3, *c.* 4. [2] *De Discr. Spir. c.* 6.

in imaginatione ipsa Voluntas eligens carere ad tempus fruitione potiùs, quàm patiendi merito, testis est habituatum fuisse in ejus Spiritu ecstaticum illud Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis desiderium: *Pati, non mori*.

§. III. Exteriores tamen sine dubio fuerunt Apparitiones, quibus a Deo in continuis suis infirmitatibus, mirabilique solitudine, de qua sæpius loquuti sumus, adjuvata fuit, & roborata hæc Virgo; & de his lectorem precor, ut mihi laborem, sibi tædium in talibus hìc repetendis minuat, quod ipsi facile erit, si legere non dedignabitur quæ in Lib. II, Cap. IV & V jam retulimus. Relinquat attamen mihi libertatem hìc addendi aliquid, quod ibi tacui, & nonnullas enodandi super iisdem difficultates, quæ omnia omittere in locis citatis historiæ series me coegit. Una igitur ex Apparitionibus, quæ magis notabiles sunt, fuit illa, qua Beatissima Virgo ei apparuit Anno, antequam ad Pisarum Xenodochium pergeret quam hìc non refero, quia in citato Capitulo Quarto, §. Quarto jam transcripsi. Ubi observare libet, quòd Piissima Virgo, ut eidem contra difficultates de hoc itinere insurgentes, spem, & robur adderet, ipsam familiariùs alloquendo, in vocatione confirmavit, de qua ipsius acriter angebatur Spiritus. Aliam non minori dignam admiratione illa fuit, qua sæpius Anno uno ante ejus mortem ei apparuit Rex David, secum Psalmos Pœnitentiales pro Peccatorum Conversione recitans, cujus certè mirabilis, & sæpiùs repetitæ Apparitionis seriem sic Episcopus ejus Director propria manu describit: *Die 25 Julii 1718 cùm Mariam Catharinam inviserem, ut de ejus Spiritu certior fierem, eam reperi in proprium mihi aperiendo internum aliquantulum refugientem. Ad meam tandem admonitionem suspirans respondit, an sibi hoc ex Obedientia imperarem. Unde hoc a præcepto coacta, ut parendi non fraudaretur merito, sic addidit: Die 22 currentis Mensis apparuit mihi Rex David tanta claritate, ut totum meum illuminaret cubiculum, cum quo Psalmos recitavi Pœnitentiales, multis in recitando pausis usi sumus. Interroganti ergo mihi de ejus vestitu, respondit, quòd semper in ejus præsentia oculis steterat ita ad terram demissis, ut non ausa fuerit eum aspicere; quæ utique modestia sic Deo grata fuit, ut destinaret eumdem Regem ad me succedenti nocte redire; imò internè intellexi, quòd pluries tale Donum essem receptura; & revera Sanctus idem Rex pluries rediit eosdem Psalmos mecum recitaturus, pro Conversione eorum, qui in actuali erant peccato.* Talis Psalmorum recitatio per tres perseverabat horas, utpote multis interrupta pausis ex consideratione multorum, qui peccant, & peccatorum obliviscuntur gravitatis. Huic Apparitioni duæ opponi possent difficultates: Quomodo scilicet Regius appareret Propheta, & quomodo ipsa eum cognosceret, maximè cùm dicat se non ausam eumdem respicere. Et similia, jam ex parte, in iis, quæ alibi dicta sunt, satis enodata videntur, partim in quinto solventur Paragrapho. Prosequamur nunc Apparitionum historiam. Cupiebat ipsa quadam die, dum non ita gravi, ut solebat, teneretur infirmitate, Parvum Beatæ Virginis Mariæ recitare Officium, ut ab ipsa adolescentia devoti erat sui moris. Non tamen poterat tale Votum adimplere, quia nec in sua Cella, ut jam dictum est, vivum lumen sufferre poterat, nec memoria ob capi-

tis

tis imbecillitatem deficiente, ex accidentali suorum domesticorum absentia cum quo recitaret non habebat, in cujus Voti fervore apparuit illi Puer Jesus, qui cubiculum illustrans lumine, secum Horas præoptatas recitare se velle significavit. Factum quia redolet sanctam simul simplicitatem, & non despicabile Mysterium, meretur, ut reor, quòd hic referamus, quale ipsa suis aperuit Directoribus: *Exarsit in ea desiderium recitandi Beatissimæ Virginis Mariæ Officium, prout usque a pueritia sui moris erat; quando apparuit illi supra operculum Capsæ, in qua jacebat, Puer Jesus tanto fulgore, ut veluti ad radios Solis ipsum conspicere, & clarè legere posset. Timuit illa statim aliquam in hac Apparitione illusionem, sed a Divino Infante certior de tali dono facta, audiensque ab ipso se advenisse, ut secum Horas desideratas recitaret; heu dixit, se humilians, tanti Doni indigna sum ego; cui addidit Divinus Infans: tu certè hæc non mereris, sed ego meritis mei hæc tibi, & majora adeptus sum. His verbis animum resumens* [& ecce devota simplicitas] *ipsi Librum ad recitandum porrigebat, at sibi audivit benignè exprobrari: Quid facis? Non recordaris, quòd ego Sapientia Dei sum, qui omnia scio? Dum ergo recitarent Horas simul* (& ecce Mysterium) *observavit, quòd quando in fine Psalmi dicebat Puer Jesus* Gloria Patri, &c. *flectens ad se oculos intuebatur seipsum; ex quo ipsa intellectualiter cognovit, quòd glorificabat in se Patrem, & Spiritum Sanctum ad demonstrandam Unitatem Essentiæ, & Personarum inseparabilitatem.* Istæ duæ Apparitiones Beatissimæ Virginis, & Jesu Christi, qui non dedignati sunt cum hac Virgine Psalmos canere & recitare, mirabiles quidem sunt, non tamen incredibiles; quia nec sine exemplo, si memoriæ recolamus, cum Sancto Felice Valesio (1) in nocte Nativitatis totum Matutinum cecinisse Deiparam; cum Sancta Catharina Senensi [2] pluries Christum Horas recitasse Canonicas. Hoc dico, non ut hac comparatione æstimationem huic addam Virgini, sed ut credulitati viam sternant exempla. Illi Sanctitatis gaudent laurea; hæc ad summum Virguncula fuit Deo devota; sed meritorum varietas immensæ Dei liberalitati metam non ponit, aut terminum præfigit; nec Sanctitas ab his mensuratur exterioribus Donis, quæ sæpe Divina Bonitas imbecillitati magis indulget ut auxilia, quàm perfectioni, ut præmia.

§. IV. Crevere gradatim sublimiores semper apparitiones, dum anno ejusdem trigesimo quinto, idest antequam ad Pisarum se ferret Hospitale in solemnitate Pentecostes Paracliti visitatione dignata fuit visibiliter apparentis sub specie refulgentis Columbæ, de quo videamus de manu Episcopi sui Directoris exaratam relationem. *Primo die Pentecostes Spiritum Sanctum recepit sub specie refulgentis Columbæ, & talis fuit ex interno gaudio sui Spiritus motus, ut cor ipsius veluti a naturali exiens loco, videretur ferri versus Paracliti adventantis splendorem. Cessavit tamen ista cordis palpitatio, sed remansit ipsa tota divino amore inflammata, & anxiè gestiens majora pati pro Christo, ut redimeret tempus, quo sibi videbatur eum nimis tepidè dilexisse.* Mirabilior tamen fuit altera, quam eodem habuit anno Paracliti, sub eadem specie Columbæ eidem appa-

ren-

(1) *In Lect. ejusdem Officii.* (2) *In ejus Vita, lib. 1, c. 18.*

rentis, de qua licèt lib. 2, c. 6, §. 5 loquuti sumus, hic tamen per extensum facti seriem prout eadem Virgo Episcopo suo Directori retulit, libet transcribere: *Mi Domine Jesu Christe* (sic illa orabat) *te humiliter precor, ut pro tua liberalitate, & benignitate digneris mihi augere dolores, quos patior, pati enim dives est animæ meæ Thesaurus, quem vehementer cupio, & in quo ex tua gratia delicias meas posui. Hæc mea suspiria statim solatus est Deus, mihi sic internè dicens: Maria Catharina Filia mea, & partus paternorum meæ Misericordiæ viscerum, in signum, quòd tuas acceptavi preces, & desideria, a tuo pectore cor evellam, mecumque retinebo usque ad diem Cinerum, quo illud tibi restituam, sed novis Charismatibus plenum. Et sicut naturaliter sine corde non potest vivere homo, sic tribus hisce diebus tua vita erit veluti continua mors præ acerbo capitis dolore, & virium deliquio. Pulmones suum sistendo motum respirationem tibi impedient, nec verbum proferre poteris; ac oculorum visus obscurabitur, videndique amittes facultatem; ex mea tamen peculiari gratia hæc omnia constanter, hilariterque tolerabis, ob salutem multorum, qui hoc Bacchanalium tempore occasionibus me offendendi seipsos exponunt, ut eos mea invincibili omnipotentia roborem contra inimici tentationes, qui in eorum vigilat damnationem; atque præservem, ne cedant fallacis Mundi blanditiis. His verbis cessavit Visio, & Deo auferente pro sua exuberanti clementia a meo pectore cor meum, omnes præfatos effectus sum prædictis diebus experta.* Hæc eidem comminatus est Deus, & hæc omnia evenere adamussim, ablato siquidem sub dictæ Columbæ specie a Spiritu Sancto sibi corde, observata fuerunt in eadem Virgine Parosismata omnia, quæ ipsi prædixerat Deus; adeò ut dictis tribus diebus eam invisens Episcopus, nec potuit cum ea loqui, aut ab ipsa nec verbum quidem audire, sed sine motu, & veluti in extrema jacebat agonia, quamvis internè Deo ipsius evigilaret Spiritus. Transactis tribus hujus mortalis derelictionis diebus, vidit a Domino reddi sibi cor suum, quod dilatis duabus costulis Columba illa naturali reposuit loco, & in ictu oculi resumpsit ipsa vires suas, non sine stupore eorum, qui tam subitam, quasi de morte ad vitam, viderunt mutationem. Audiamus etiam de hac cordis restitutione, quid ipsa suo refert Directori -- *Die Cinerum apparuit mihi meus amabilissimus Dominus, gerens in manibus cor meum, dixitque mihi se illud unum fecisse cum corde suo uniformitate volendi, & Amoris Unione; jussitque ut sæpe dicerem: Deus meus, Amor cordis mei, non amo, nec amare scio aliud præter Te, & omnia in ordinem ad Te, qui es essentialiter, & unicè Amorum Deus, & summum Bonum, summèque amabile. Dum cor meum reciperem, sensi totam Animam meam occupari novâ gratiâ, & Spiritu, ardentibus accensam flammis Divini Amoris, sanctissimisque & elevatis repletam Intelligentiis. In dicto tempore, quo vixi absque corde, meus amabilissimus Deus non sine summa mea confusione mecum sic est colloquutus: O mea dilecta Crucifixa, oculo a me illuminato intuere in me clarissimo, resplendentique Speculo distinctè, & clarè meæ Passionis Mysteria, & prodigiosum meum incomparabile Exemplar, ut grave pondus tot dolorum vera & perfectæ meæ Voluntati resignatione substinere valeas, & substinere cum pace, tranquillitate, profunda humilitate, & passionum inextinguibili siti, discens, quòd dolores sunt vera Spiritus gaudia, unde illos æstimes pluquam*

quam omnes Mundi Thesauros; & sic incessanter, atque ferventer de his, quæ poteris, laudabis, benedices, & gratias ages, indeficienti, & inexhausto Fonti meæ infinitæ Bonitatis. Sic interna finem habuit loquutio, & ego respondi: Æterna Veritas, addolorate mi Jesu, meus Dux, mea Fortitudo, fac ut cum perseverantia respirare possim vitalem auram tui perfectissimi, & sanctissimi exempli, quod fert Animas ad summum gradum perfectionis, & amabilissimæ tecum Unionis.

§. V. Prosequamur Apparitionum narrationem, & eorum ultima sit illa verè mirabilis, qua hæc Virgo in duobus ultimis suæ vitæ annis dum jacebat infirma in alibi descripta pœnitenti sua Capsa, de manu aliquorum Sanctorum Angelicum recepit Panem, quod ex Episcopi relatione, sic accidit. Jam in lib. 2, c. 5, §. 3. avidam, sed obedientem demonstravimus famem, quam de Eucharistico Cibo patiebatur hæc Virgo, propter quam ejus Directores, ut eximiarum ejusdem Virtutum conscii, quotidie ad Sacrum Convivium ei permittebant accedere. Verùm post ipsius reditum a Januensi Xenodochio, cùm ex Divina, ut jam diximus, voluntate per quinquennium graviter jaceret infirma, nec ad Ecclesias deferri, aut pergere posset, Parochus opportunum non judicavit, nec ipsa humili sua modestia permisit, ut cum tanta frequentia, populique admiratione, & fortè scandalo, eidem Divinum deferretur Sacramentum; ac proinde ad illas solummodo vices, quibus alicui infirmo administrabatur Viaticum, reducta fuit ipsius exoptata Communio. Toleravit illa patienter, & per biennium unicæ hujus suæ consolationis dilationem, quibus suspiriis & anxii cordis tormentis, scit Deus; qui tandem humilem hanc resignationem, modestamque patientiam, insigni muneratus est dono. In ultimis siquidem tribus suæ vitæ annis præordinavit, ut sæpius, quando non erat adventurus Parochus, a pluribus Sanctis, qui eidem apparebant visibiles, Divinum reciperet Sacramentum. De insigni hoc dono ejus testantur Directores, & maximè multoties nominatus Episcopus; qui tantæ rei novitate perculsus media obedientia scire voluit ab eadem distinctam rei narrationem. Cui sincerè ipsa respondens, fassa est Sanctorum nomina, qui ad eam Sacramentum administraturi accedebant; quod ab ipsis communionem sumens eumdem prorsus percipiebat saporem, ac si a Parocho communicata esset; & quòd de eorum dicto sciebat ipsos Particulam sumere a Pixide in majori Ecclesia, utpote ejus Domi proximiore, conservatam; quæ ingenua particularis facti relatio, sicut satisfecit Directori, ita aliquam fidem probabilitati, & cæteris relatis virtutibus innixam, promeretur, ut arbitror. Singulare quidem fuit hoc donum, non tamen ita novum, ut credibilitatem transcendat, cùm in historiis legamus id enarratum non de solummodo devotis mulieribus, de quibus facilis esset imaginationis suspicio, sed Viris etiam virtute eminentibus. De Sancto Bonaventura testatur Sanctus Franciscus Salesius: (1) de Sancto Raymundo Nonnato in lectionibus patet, quæ in sua recitantur festivitate; De Sancto Stanislao Kostka refert Card. de Lugo loco infra citando. Hæc tamen exempla non tollunt pietati liberum his assentiendi

(1) *In Tract. D. Am. P. 1, lib. 6, c. 1,.*

tiendi arbitrium, quod ego venerans, addam solummodo pro hujus Animadversionis complemento duarum difficultatum, quæ mihi ipsi se obtulere, solutionem. Prima est; quomodo illa poterat Sanctos sibi Sacramentum ministrantes nominatim edicere, cùm illos antea non cognovisset, nec probabile sit eos otiosè propriam prodiisse personam, & nomen. Secunda; an conveniens sit Sacramenta a Defunctis, licèt Sanctis, ministrari. Quoad primam, licèt alibi non nihil dixerimus, liceat tamen hic pauca, sed breviter addere. De hoc dubio solutionem Sancta ignoravit Theresia, quæ cùm scripsisset (1) *quòd Anima in Raptu, si videt Sanctos, eos ita clarè cognoscit, ac si cum iisdem longo versata esset tempore* (ita subdit) *id accidit ex quadam mirabili notitia, & cognitione, quam ego referre nescio*. Si hoc nescivit taliter illuminata Mysticorum magistra, nonne temeritatis reus essem, si in hoc Divinæ Omnipotentiæ arcana auderem investigare? Divus attamen Thomas (2) huic meæ hæsitationi succurrit, dum docet, quòd, quando Deus sensibilibus speciebus aliquid revelat, de eo simul, quod exteriores apparitiones ostensæ sensibus innuunt, claram in spiritu imprimit certitudinem. Hac igitur poterat Virgo Sanctos sibi apparentes nominatim cognoscere, discens ex divina impressione, quod nesciebat ex praxi; quia talis communicata certitudo non datur per species in Phantasia impressas, sed ex Divino lumine in mente infuso, ut Sanctus concludit Doctor: (3) *Hæc certitudo non attenditur quantum ad species rerum impressas, sed quantum ad lumen inditum, quo mens de aliquo certificatur*. Circa secundam verò difficultatem, agit de hac Controversia Card. de Lugo: (4) & quamvis videatur hoc negandum, quia licèt in Anima Sacerdotum separata impressus remaneat Sacerdotalis Caracter, non tamen illa verus est homo, ac proinde ei Sacramentorum Ministerium, solis datum hominibus, non convenit. Concludit hoc non obstante citatus Doctor posse ex Divina dispensatione hoc accidere, & maximè quando ministrantes fuere vel Episcopi, vel Sacerdotes, in qua conclusione concurrit Angelicus (5): *Sciendum est quòd Deus virtutem suam non alligavit Sacramentis, quin possit sine Sacramentis virtutem Sacramentorum conferre. Ita etiam virtutem non alligavit Ecclesiæ Ministris, quin etiam Angelis possit virtutem tribuere ministrandi Sacramenta*. Huic narrationi donorum, & Charismatum, quæ lego a Deo huic Virgini concessa, finem pono, protestans quòd ad horum lancem illius pietatem non libro. Virtutes, & actiones ex multorum testimonio jam retuli; & si istæ verè constant, hæc ut ficta respuere, nec pietas, nec mysticorum scita permittent. Exteriora dona non sunt solidæ Devotionis argumenta, cùm plures veneremur Sanctos, qui iisdem caruere; imò nostræ sunt imbecillitatis, ut plurimum, testimonia; dantur enim sæpe sæpiùs a Deo, ut humanæ fragilitatis remedia. His tamen, quæ in hoc libro enarravi, aliqua non deest moralis convenientia. Quoad Illustrationes siquidem, notari potest, quòd Virgunculæ, a Deo ad animarum

(1) *In Castr. Inter. Mans.* 6, *c.* 5. (2) 2, 2, *q.* 171, *a.* 5.
(3) *De Verit. q.* 12, *a.* 7, *ad* 4. (4) *De Sacram. Disp.* 8, *Sect.* 1.
(5) 3, *q.* 64, *a.* 8.

rum salutem destinatæ, decebat complures communicare intelligentias, quibus illuminata proximis valeret reflectere lumen illud, quod nec a proprio studio, nec a librorum poterat haurire lectione. Hinc est quòd Cirillus Alexandrinus notat in Christi Resurrectione mulieribus Angelos apparuisse, non Apostolis; hac videlicet, quæ mihi arridet, ratione: (1) *Supervacaneum erat firmiter credentes voce Angelorum doceri, mulieribus verò, quæ nec literas scirent, nec alio modo sublime Resurrectionis mysterium percipere possent, erat penitus necessarium*. Si verò de cæteris Donis hic relatis loquamur, libenter crederem concessa eidem fuisse a Deo ex quodam libero Divinæ bonitatis responsu ejus amori, solitudini, laboribus, tolerantiæ, quæ omnia, si multi non mentiuntur Relatores, nobis constant; & quasi cogunt fateri, quòd non quidem de condigno, sed saltem de congruo peculiarem poscebant ab Altissimo misericordiam. Cui meæ opinioni assentitur Mellifluus (2) asserens indulgeri a Deo talia ad documentum, & solamen tribus præcipuè animarum generibus, simplicibus maximè, solitariis, magnisque tribulationibus a Providentia probatis. Quæ omnia cùm in Maria Catharina satis jam probaverimus, judicare non possumus a Divina alienum charitate, quòd ubi sui amoris intuebatur effectus, ibi suæ prodigia infunderet Omnipotentiæ. Quidquid tamen fuerit, in his Divina humiliter mirari, & adorare possum judicia, rationes indagare audacter non debeo; quia Divino Spiritui, cujus hæ sunt operationes, unica ratio est, sapiens ejus voluntas, concludam cum Apostolo: (3) *Hæc omnia operatur unus ac idem Spiritus dividens singulis prout vult*.

Finis Libri Quinti.

T DE

(1) *Lib. 12 in Jo. c. 36.* (2) *Apud P. Gravina in Lapide Lydio lib. 4, c. 3*
(3) *2 Cor. 12, 3.*



DE VIRTUTIBUS,

ET ACTIONIBUS

MARIÆ CATHARINÆ BRONDI,

LIBER SEXTUS,

PARS PRIMA,

In qua Scripta aliqua MARIÆ CATHARINÆ Latino transſcribuntur Idiomate.

BENEVOLO LECTORI,

PROOEMIUM.



N explorato mentis meæ conſilio ſupervacaneum fortaſſe, imò audaciæ obnoxium, videbitur, quòd in examinandis aliquibus hujus Viginis intelligentiis, provinciam viribus meis imparem nimis, poſt tot alia de eadem exarata, ſuſceperim; atque ideò cauſam, quæ me ad hæc cæteris addenda compulit, adaperiam. Quis neſcit Scripta Spiritûs fœtum eſſe; atque in iiſdem Animam ſeipſam depingere? ac proinde ſi illa reperiantur vitiata, ſpiritum quoque falſum ſuſpicari poſſe. Cùm ergo relationes quaſdam ab hac Anima ſuis Directoribus ex obedientia trans-

transmissas sedulà perlegerim animadversione, plura quidem in ipsis demiratus sum sublimia, &, ni fallor, Animabus proficua; aliqua tamen observavi (& timeo quòd notaverint etiam nonnulli, ad quorum fortè manus talia pervenerunt) in iisdem subobscura, ac veluti oscitanti calamo exarata, quæ diligentiori, seu benigniori egerent interpretatione. Hac igitur de causa opere pretium duxi, eadem interpretari, ut pateat, quòd sicut in hac Virgine (quod satis, ut reor, in his historicis Comentariis demonstravimus), cum internis virtutibus, externa consenserunt opera; sic utrisque concordi, ac pleno concentu, utpote Catholicæ veritati conformia, consonant scripta. Equivoca etenim, quæ aliquando in Scriptorum irrepsisse libris dignoscimus, non protinus explodenda sunt, sed benignè explicanda; facile siquidem, & pronum est de alterius scriptis suspicari, sed scribere absque aliquo æquivocationis periculo, in rebus maximè Mysticis, & Divinis, difficile, & arduum. Currente siquidem calamo (ut bene Divus notavit Basilius) vel verba intentioni adæquata menti desunt, vel ipsa mens aliquando altiori contemplatione abrepta, verbis deest; unde evenit, ut sæpe sæpiùs qui scribit, aut non totâ scribat, qua par est, cautione; aut non qua deberet, se exprimat proprietate; aut qui legit benigniori, quæ legit non interpretetur charitate; quod de se queritur, & fassus est Divus Ambrosius: [1] Incautius plerumque aliquid promititur, aliquid accipitur malevolentius, aliquid exit ambiguum. *Huic igitur occurrere gestiens periculo, nonnulla, quæ in exaratis ab hac Virgine visa mihi sunt subdubia, quæ damnare præcipitanter non præsumpsi; ne mihi contingeret, quod ludicrè, sed seriò, dicebat Publius Mimus:* (2) Ad pœnitentiam properat citò qui damnat; *sed eadem ad examen ducere decrevi, & ad trutinam eorum, quæ Catholici docent Scriptores, expendere. Ex hoc ergo diligentiori studio prodiere Animadversiones, quas in hoc Sexto Libro tibi, bone Lector, exibeo. Hæc de intentione, qua scribo; de Methodo autem aliqua tibi innotescere ad mentis, & consilii mei clariorem intelligentiam exopto. Scias igitur primò, me non omnia Mariæ Catharinæ scripta, quæ aliena manu exarata (ut audio) evulgata sunt, examinare velle; non quòd eadem improbem, aut veluti commentitia rejiciam, sed quia mihi plenè nota non sunt: & insuper amanuensium sinceritati, ac fidelitati satis fidere non debeo. Fieri enim potest, ut huic acciderit Virgini, quod multis etiam Sacris Doctoribus evenisse cognoscimus*

(1) *Ep. 63, ad Sabin.* (2) *Apud Celad. in Ps. 5, 6.*

scimus, in quorum opera spuria multa irrepsere. Hunc scopulum evitare cupiens, examini subdam illa tantummodò Scripta, quæ habeo exarata ejusdem Virginis manu, mihi satis perspecta, ex collatione aliquarum Epistolarum, quas ad nonnullos Sacerdotes, & nobiles hujus Civitatis viros, ipsa conscripsit. Notetur secundò consilium, quo opportunum duxi latino idiomate [quamvis mihi, qui Italicè semper loquutus sum, & aliqua scripsi, non funditùs noto] tum subsequentes hujus Virginis intelligentias, tum posteriores super eas Animadversiones, conscribere; & hoc duplici motivo, de quo alibi, me cursim dixisse memini, videlicet: Illa, quæ ad virtutes, Deique amorem legentes allicere poterant, vernaculo sermone in ultimo Tertii Libri Capitulo omnium utilitati proposui; hæc autem sublimiora, quæ simplices scire fortè non decet, latinè conscribenda censui, ne scilicet vulgares Animæ, quibus sola sufficit fides, talia indagantes, otiosâ curiositate superbiant. Cui animadversioni alia superaddita, & non minoris ponderis, me impulit ratio. Quòd scilicet, cùm in hisce interpretandis aliqua, & profundiora de Mysticis tangere cogar, talia vulgari stylo conscribere periculosum semper duxerim, timens (prout longa me docuit experientia) ne illiterati, & mulieres, ista legentes, crassâ quadam intelligentiâ, vel superbâ eadem experiundi anxietate fallantur. Fateor enim optare me, ut si quid de Mysticis edendum est, id fieret Sacerdotum Ægyptiorum more, qui in reconditis eorum doctrinis memoriæ tradendis, obscuro quodam, ipsisque solis cognito, utebantur Alphabeto. Operæ enim pretium esset hæc Patres spirituales, qui dirigere debent, apprimè nosse; ab iis e contra, qui cæcâ parere debent obbedientiâ, nesciri. Observetur tertiò, cur sextum hunc Librum in duas partes distinguam. Hoc quidem satiùs duxi, ut ordinatè in his intelligentiis, tum edendis, tum explicandis procederem. Congruum etenim existimavi intelligentias ipsas, quas alibi per fragmenta retuli, hìc integras transcribere, ut eas lector facilius Asterismis (quos in margine posui) ducentibus, cum interpretationibus in secunda hujus libri parte oblatis possit conferre. Mentem ergo hujus operis aperui; sed timorem, quo illud aggredior, inficiari non debeo. Terret me etenim rationalis pavor, ne Sanctorum dicta, quibus indispensabiliter uti debeo, intimè valeam penetrare. Qui utique timor mihi, qui a Sanctorum imitatione (heu illacrimans ultro fateor) longissimè absum, a Divo Anselmo jure incutitur, asserente, quòd Sine pura mente, & Sanctorum imitatione, nemo intelligit Sanctorum

verba.

verba (1). *Scribam tamen hac una fretus spe, quòd scilicet ea, quæ legi, & audacter exarabo, si non aliis, mihi saltem proderunt; & ea, quæ spiritui meo proficua fortè erunt, etiam docendo, addiscam. Spiritu Sancto me ad hanc fiduciam movente, dum promittit*: Qui inebriat, ipse inebriabitur (2); *legit Chaldeus*; Qui docet, etiam discet; *& ut commentatur Clemens Alexandrinus*; Docens aliquid plus discet: & docens sæpè una audit cum his qui audiunt. *His præmissis accedamus ad prædictas hujus Virginis Relationes transcribendas.*

CAP.

(1) *Lib. de Incarnat. in fine.* (2) *Lib. 1 Strom. c. 2.*

CAPUT PRIMUM.

SCRIPTURA PRIMA.

§. I. PER novem dierum spatium, idest per tres horas qualibet die, horribiles me invasere infidelitatis tentationes; & Dæmon sua subtilitate mihi Deum non existere suggerebat, dicens: Omnes res creatæ ab aliquâ re formam habent, & materiam: Si ergo ab æternitate forma aliqua, aut materia non erat, a quo ergo, & quomodo originem habuisse istum tuum Deum credis? Respondebis fortasse quòd originem traxit a semetipso, cùm omnium sit fons, & origo? Hoc utique nego; quia res aliqua esse non potest, quæ principium, originem, & subsistentiam non habeat ex alia. Si verò tu dicis quòd Omnipotentia, origo, causa, & subsistentia est rerum creaturarum, quas vos dicitis opera ad extra; animadverte, quòd multa sunt in mundo, quæ non essent, nisi homo naturali suo ea fecisset ingenio. Sol, Luna, Sydera, Mare, unaquæque res ortum ducit ab alia; & ex naturali existunt instinctu, ceu animalia illa, quæ a putredine nascuntur, & creantur ab illa, non a Deo; ita & Pisces, & alia animalia producuntur effectu naturæ, ut vides in piscibus, qui ex aqua subsistunt, & extra illam moriuntur. Arbores ab humo producuntur, & ab illis fructus vitam habent; itaut ab iisdem avulsi, veluti mortui, nec crescunt, nec in vegetativo suo esse augentur. Nescis ne quod Phænix in suo habet arbitrio esse suum habere, vel non habere? Ita & tu esse non habes a Deo, sed immediatè a tuo Patre, sicut in corpore, sic in Anima; quia quando generatur corpus, in ipso immediatè generatur Anima; & in arbitrio est hominis alium generare hominem. Insuper & quomodo esse potest, quòd in tribus Personis una solummodo sit natura? Quia si homo filium generans, eidem totum suum esse communicaret & naturam, desineret esse homo, destrueretur, & ad nihilum reduceretur; simili modo Pater Æternus, si possibile esset quòd generans filium, ei totum suum communicaret esse & naturam, amplius non esset Deus; destrueretur enim personale suum esse. Obligaris igitur, & coarctaris ad negandum id, quod profiteris, & credis; quia omnia sunt inventiones, subtilitates, humanæque speculationes. Ad quid igitur torquere, & macerare corpus tuum, tot vigiliis, rigidisque pœnitentiis? Credis ne post hanc pœnis refertam vitam pervenire ad aliam gaudio plenam? cùm non sit immortalitas, & æternitas Animæ; consummato enim corpore, consumitur & esse Animæ.

Tentata pariter fui super omnia Sanctæ Fidei Mysteria, & Deus Fons omnis boni infernali illi monstro permittebat, ut mihi subtilia suggereret argumenta, & juxtà meum rudem intellectum adeò dolosa, ut miraculum quasi esset Divinæ gratiæ, quòd illis non cederem. Tali angebar timore ipsis aliqualem præstandi consensum, quo Divinam læsissem Majestatem, ut ex hac justa ratione pupillæ oculorum meorum

in duos

in duos converterentur lacrymarum fontes; non cessans totâ pauperis mei spiritus efficaciâ implorare a Divinizata humanitate, (1) (in qua Beati omnes Divinam vident æternitatem essentiæ, & thesauros suæ Sapientiæ, & scientiæ, qui in ipsa ex unione hipostatica impressi sunt) novum, & efficax auxilium, quo communem hostem vincerem, & constanter patienterque pugnam superarem, qua a Dæmone exercebar. Ut victoriam referrem, sic indesinenter exclamabam: O mi Deus, protestor ante tuam realem splendidamque majestatem, jucundissimam, & plenam Angelorum beatitudinem, quòd hæc omnia tolerare volo ob purum amorem, quo te per te ipsum amo, non volens ab his diabolicis suggestionibus, quas malitia, et falsitas architectatur Diaboli veritatis inimici, liberare me ipsam, nisi quatenus tibi placet, o cordium fortitudo; dummodo in ipsis te non lædam; & si ab ipsis me subtrahere in meo esset arbitrio, tuâ suffulta gratiâ id non facerem; non quòd talia amem, cùm res sint, quæ in te non subsistunt; imo si animæ talibus consentirent, elongaretur à te; sed quia pœna ipsa, quam in iisdem experior, efficax medium esse potest, quo strictiùs, vinculisque fortibus, & potentibus charitatis, tecum uniar, dum renuo aures animæ aperire dictis falsis propositionibus, quas antiquus mihi suggerit Serpens. Hunc intellectiva mea potentia videbam sub horribili quadam specie, quæ mihi magnum incutiebat terrorem. Ferocissimi habebat Leonis aspectum, Ursorum ungues, Draconum dentes, & veluti Basilisci halitum. Ita me acriter percutiebat, ut sensibiliter ejus experirer ictus; videbamque me, sic Divina permittente misericordia, variis circumdatam spinis, ex quibus, Divina mihi assistente gratia, Animæ brachiis colligebam Sancti amoris rosas, me Divinæ voluntatis beneplacito resignans; oppositumque faciens iis, quæ tentatio dictabat, infernalique inimico sic dicens: Tenebrarum princeps, damnatarumque Animarum cruciator, te per virtutem Sancti Divini nominis conjuro, ut in me diligenter plenèque adimpleas omne id, quod a Deo tibi permissum est, ut de me vilissima tua peragas Creatura; cupio enim pati, non gaudere; imò non mori, ut magis patiar, desidero. Superbus id audiens Lucifer strepitosa sic mihi respondit voce: Heu quàm potens est Dei gratia, quæ ita fortem, & virilem tuam reddidit animam, ut inexpugnabilis Arx quædam restiterit generosa magnanimitate omnibus meis conatibus (*Notetur hic Dæmonis astutia, qua illam ad aliquam sui ipsius complacentiam adulatione satagebat inducere*) Tolerasti insuper invicta patientia asperrima a me flagella, quasi tibi placeat amarissimo te ipsam enutrire absynthio, sitque tuus dulcis cibus. Hoc mediante augebitur semper in te divina gratia; meque cogit Deus, ut majori mea confusione fatear, quod tibi jàm negavi, videlicet quòd nihil sit Deus, ejusque Gratia; libenter à te discedo hac ultima die, in qua te flagellare, & interius exteriusque torquere mihi Divina permisit voluntas. Alter mihi est veluti infernus experiri frustratam spem meam, qua credebam aliquod de te peccatum, vel defectum, impatientiæ saltem, posse conscribere, quod tibi in finali objicerem judicio. Ego de aliorum nutrior damno, & cibus mihi venenosus, quo

(1) *Vide de hoc infra Par.* 2, *Animadvers.* 3, §. 6.

quo morerer, si mortalis essem, est operum rectitudo; amo siquidem omne malum, bonum quodlibet odio habeo; vitiosis nempe hominibus dominor, qui sua cœcitate meam sequuntur voluntatem; & e contra, virtuosi hominis servus esse cogor, qui me persequitur heroicarum virtutum exercitio; quapropter a te stupefactus, & confusus discedo.

Post alios novem, quos post hæc fæliciſſimè transegi, dies, (*observetur hic Dæmonis versipellis astutia, quærentis pusillanimitatem, ubi obtinere non potuerat superbiam*) denuò me Diabolus hac impugnavit tentatione, dicens: O quàm magna, & inaudita tua est superbia, quæ veluti nubes in tuorum peccatorum cognitione adeò tuum obscuravit Intellectum, ut te Deum læsisse numquam concipere potuerit! Te miseram! quia tua suadente superbia puram Columbam te esse apprehendis, & numquam Conscientiæ maculasse candorem, & verè nigerrimus Corvus es. Te credis Hortum Virtutum ornatum floribus, & horridum vitiorum es Nemus. Respicies in illa die, quæ æterna erit, idest, quando ex hac vita transieris ad æternam. Tunc ante Dei Tribunal constituta, in ipso quasi in lucidiſſimo veritatis speculo, perfecta cernens claritate tua peccata, in æterno libro Divinæ Mentis conscripta, ob quæ rigorem experieris Divinæ Justitiæ igne infernali in æternum punita; nec tibi proderit asserere te culpas tuas non cognovisse, ut eas confitens, Sacramento Pœnitentiæ dilueres; non enim mihi negare potes, quòd multoties te Deum offendisse dubitasti, & tamen dubia sprevisti, ex quibus tua pendebat æterna salus, judicans te numquam Divinam perdidisse gratiam, quod omnino falsum est. Vivis ergo decepta; & tibi dico quòd Deum perdidisti, & Animam, cujus ego peccatorum tuorum jure factus sum dominus. Omnia ea, quæ in antecedentibus propositionibus, ultima transactorum novem dierum hora tibi dixi, falsa sunt, & a me, qui zizania seminare gestio, subdola falsitate prolata; idest, quòd meis doctrinis consensum minimè præstitisti, sed ea omnia Dei Amore superasti. Nunc juro tibi, quòd omnibus consensisti; & tunc tibi veluti mellis obtuli favum, illas scilicet laudes, quas tibi dedi, ut in te augerentur peccata, sciens quòd nihil superbo magis placet, quàm in aliorum opinione sanctus & virtuosus haberi. Hæc audiens terrore & confusione vulnerata remansi, timens me Deum omnis Boni Fontem perdidisse, quapropter in hæc ab Amore & dolore dictata verba prorupi: Mundani, si gemmam aliquam amittunt, acerbè dolent; & eò magis, quò profundius ejus agnoscunt pretium; ita & ego hæsitans de amiſſione pretiosiſſimæ illius Paradisi gemmæ, quæ Deus est, intimè doleo, augente pœnam cognitione, quid, fide docente, Deus sit; & quot Naturæ, & Gratiæ ab ipso acceperim beneficia; adeout præ animi angustia mori me crederem. Dum igitur in tali eram afflictione, apparuit mihi mei Custos Angelus in specie puriſſimi Juvenis, & ornatus erat pretiosis Naturæ, & Gratiæ Donis. Erat pulchritudinis Idea, & coronatus splendidiſſimo gloriæ Diademate, quod ex omni parte splendidiſſimos candidæ lucis emittebat radios. Ad dexterum meum sedebat latus, magna cum majestate in globo splendidæ nubis, eratque totus Deificatus, atque in Deo transformatus perfecti Amoris Unione, & sic me est alloquutus: Ego cœlestis Nuntius, Deique a secretis, ex

Altis-

Altiſſimi voluntate, & ad conſolationem anguſtiatæ, hæſitantisque Animæ tuæ ex infallibili Dei veritate te certam reddo, quòd pretioſiſſimam gemmam, quam purè, & inceſſanter amas, non perdidiſti; ſed ea frueris Unione pacifici Amoris; imò ante eum meritis es aucta, mediante interna, & exteriori in beneplacito ſuæ voluntatis reſignatione; ſicuti in adverſis, ita in proſperis, omnia recipiens, ut a ſua ſemper quieta, ſemperque operanti Bonitate, permiſſa. Quæ reſignatio ſuam movit clementiam, ut ad cœleſtem Hieruſalem tuum elevet Spiritum, ibique in æterno Libro ſuæ ineffabilis Sapientiæ, quæ ſui Intellectus Objectum eſt, Divina Arcana comprehendas. Et ecce ad te venit ceu fulgidiſſimus Sol, qui ſuæ Sapientiæ radiis mentes omnes creatas illuminat, illasque mirabili ordinat Simetria. Et ſtatim [1] vidi Eſſentiam Divinam, a qua (utì ſplendida, & immenſa Fodina cœleſtium conſubſtantialiumque Theſaurorum Ingeniti Patris, Solis Naturæ, Scientiæ, Gratiæ & Gloriæ, ſeipſum beatificantis) intellectualiter percepi mihi ſic dictum: *Veni* (2) *Columba mea, Amica mea, Dilecta mea, veni ad me in Regnum Cœlorum, quia laboraſti & honoraſti me, & ego reficiam te*, ita ad me dixit Deus. Hæc verba tot erant ſagittæ accenſæ, quæ dulciter, & ſuaviter vulnerabant cor meum, itaut exclamare cogebar: Non plus, amabiliſſime Domine, quia ferè morior, & Amore langueo. Poſt hæc absque meo labore, ſed quadam tranquilla requie elevatam me ſenſi ad Cœlum (3) Empyreum totam abſortam, & transformatam in pelago Divinitatis, quæ eſt ſimplex, nuda, incorporea, ſine aliqua forma extrinſeca, non habens originem. Habebat in ſe Splendores æterni Candoris, [4] & pulchrior erat quovis amœno & delitioſiſſimo Vere, cum delectabili infinitaque gratiſſima fragrantia Roſarum, & Liliorum odorem transcendente. Ceu Aura Cœleſtis rorem ſpargit nectaris, melliflui lactis, dulcisque mellis, qui effectus ſunt ſuæ inacceſſibilis magnitudinis, quibus omnem lætificat Paradiſum. Fons eſt, in quo beatificantur Beatæ Animæ, & delitioſus Thalamus, ubi dulciter, & ſuaviter quieſcunt, imò Capitolium, ubi incomprehenſibili fruuntur magnitudine, intelligibili gaudio, lætitia, pace, & indicibili ardore, jucundiſſimi & beatifici Amoris, in quo abſortæ ſunt, & transformatæ, laudantes, gratias agentes, & benedicentes ſuum præclariſſimum, & indulgentiſſimum Deum, gloriæ, & æterni omnis Boni Auctorem. Qui uſque a ſua æternitate in ſeipſo regnabat; cùm verè Rex ſit ille, qui dominium, & poteſtatem abſolutam habet creandi res omnes, illasque trahendi ex nihilo; cujus Corona eſt Æternitas, ſubſiſtens ſubſtantialiter ex ſe ipſo. Intimè Omnipotens eſt, & ejus omnipotentia eſt ipſe; & ſicuti Homo, verè Homo, eſſe non poteſt ſine Anima, ſic et Deus ſine ſuis Attributis eſſentialiter eſſe non poſſet, quod eſt ſimpliciſſimum, & glorioſiſſimum Eſſe. Æternus igitur (5) ſuam habet æternam origi-

(1) *De hac Eſſentiæ Viſione Vide infra, Par.* 2, *Animadv.* 2, §. 3. (2) *De his vide infra, Par.* 2, *Animadv.* 2, §. 2. (3) *De his vide infra, Par.* 2, *Animadv.* 2, §. 3. (4) *De his loquendi formis vide infra, Par.* 2, *Animadv.* 2, §. 2. (5) *De hoc orig. dicto, vide infra, Par.* 2, *Animadv.* 6, §. 2.

nem a Divina Spirituali Natura, quæ ab ipso non est divisa. Est ipse primum, & simplicissimum Principium omnis Esse, qui continet in se Bonum omnis Sanctitatis (1) pulchrum omnis pretiositatis, etiam auri, & argenti, rorisque, quam spargit Aurora, candoremve sereni Cœli, atque luminosæ radios lucis, sed incomprehensibiliter omnem creatam vincit speciositatem, & totum condecorat Empyreum. Hoc autem Divinissimum Esse est veluti delitiosus, atque amœnissimus Hortus, qui continet in se odoriferos flores & fructus perfectissimæ & essentialissimæ Substantiæ, sua videlicet consubstantialia Attributa (2), quæ incomprehensibilia sunt in multiplicitate, & in ipso Divinitatis fundo nihil aliud sunt, quam una simplicissima Unitas, quæ immensa est, absque loco, profunda absque limite, & profunditatem penetrat Abyssi. Est inexplicabilis, quia superat omnem summitatem; & est infinita absque restrictione; Animabus tamen suos tranquilla requie influit effectus. Est Deus per se Sanctus, nec potest non esse, cùm incapax sit a rationis deviandi rectitudine (*intellige hìc de ratione Archetypa, quæ est ipse Deus*) nec admittere potest in se aliquem vel minimum imperfectionis actum, cùm perfectissimus sit in omni sua vera perfectione; adeòut ecstaticas reddat subliniores intelligentias Cœlestium Spirituum, qui clamare non cessant *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth*.

Postquam hæc omnia percepi, exclamavi, dicens: O Deus, Unus in Essentia, Trinus in Personis: O Divinum Verbum, Æterni dignitas, incomprehensibilis gloria. O lumen in natura, & substantia indeficiens. Utinam explicare possem ineffabilis tui mysterii umbram, o lux Beata Trinitas, exemplo trium Regum, qui in Potentia, Sapientia, & Bonitate, æquales essent, ejusdemque excellentiæ, tam naturæ, quàm gloriæ, atque eorum una esset voluntas. Augustissima etenim Trias in intrinseco suo esse tres sunt Personæ; in ipsis tamen una sola est natura, una voluntas. In hoc mysterio resplendet Sapientia Patris; credimus quippe eum generare [3] notitiam illam Divinam, virtute propria activi, essentialis, & spiritualis sui Intellectus, quo se ipsum intelligit, & in se ipso vivit, eidem communicans totam suam naturam, & esse incredibile. Incomprehensibiliter etiam lucet Potentia, & vis infiniti Amoris, quo Pater, & Filius spirant Paraclitum, activa spiratione, & intrinseco, unitivo, & effectivo spirituali Amore. Et ab his duobus actibus (4) productivis intellectus, & voluntatis Patris remanet integre, perfectè, & infinitè saturata, & satisfacta ejusdem naturalis inclinatio, immensa, consubstantialique beatitudine Unigenitus ejus filius, lucidissimum Patris speculum, in quo ipse propriam Divinitatem, omnesque contemplatur Creaturas; est eidem coæternus, quia semper generatus fuit a Divina sua mente. Æternus siquidem Pater usque a sua æternitate perfectam habuit cognitionem, absque intellectiva speculatione, incom-

(1) *De his similitudinibus, vide infra, Par. 2, Animadv. 2, §. 3.*
(2) *De hac attributorum multiplicitate, vide infra, Par. 2, Animad. 5, §. 2.*
(3) *De hoc Verbo notitia, vide infra, Par. 2, Animadv. 8, §. 2.*
(4) *An licitè uti possit Verbo* producere, *vide infra, Par. 2, Animadvers. 8, §. 1.*

incommutabilium omnium perfectionum, quas continet ineffabile Verbum sui Divini Intellectus Filius, quas perfectiones eidem communicavit Pater simul cum Essentia, quæ utique perfectiones ab omni immunes sunt accidenti, cùm ab eodem nec dividi possint, nec distingui; & ipsi sunt præsentissimæ & actuosissimæ. Filius idem videt in Patre; & ex hac preclarissima cognitione numquam se amare cessant intimo, reciproco, & cordiali amore. Ex hoc cognovi quòd Tertia Persona processit semper ab actu voluntatis Patris, & Filii; non tamen inter eos est inæqualitas, quia Filio a se genito communicavit Pater suam Divinam Essentiam, sicut & Spiritui Sancto procedenti a Patre, & Filio, mediante inter ipsos amore, communicata fuit ab iisdem eadem Divina Essentia; solummodo distinctione personali hæ tres Divinæ Personæ inter se contradistinguuntur relatione; non quoad Essentiam: [1] Sicuti tres Animæ Potentiæ inter se realiter contradistinguuntur, idest una Potentia non est altera, quamvis realiter ab ipsa Anima non distinguatur. Realiter & formaliter omnes tres Divinæ Personæ continent omnes prærogativas, & perfectiones; cùm non sit inter eas inæqualitas quoad potentiam, Sapientiam, & Bonitatem, cùm sint in excellentia, consubstantialitate naturæ, & gloriæ omninò idem [2]. Sunt Personaliter unitæ vinculo arctissimæ amicitiæ, & amabilis societatis; amando se invicem infinito, vivifico, & mutuo amore. Et effusivo modo virtute Divinæ Essentiæ, quod vult Pater, vult Filius, & Spiritus Sanctus; hi etenim duo idem vident, & comprehendunt intellectuali [3], & passiva spiratione. His perceptis exclamavi dicens: O perfectissima, amabilissima, & rectissima voluntas, quæ in tribus es fontibus in uno unitis fonte; repletisque excellenti, & ammirabilis substantia; te laudo, exalto, & glorifico. O Abysse ineffabilis gaudii, lætificans, & beatificans totum Empyreum; absorbe, & transforma me totam in te, ad hoc ut a te numquam me dividam, nec ad aliud quàm ad te aspirem, & anhelem. O fons aquarum viventium, quem unicè exopto; *Sitivit Anima mea ad te fontem vivum*.

Cognovi insuper, quòd usque a sua æternitate, quæ omne superat tempus, decrevit creare Animas nostras, quomodo, & quo fine; non accidentaliter, sed formaliter, sicuti est omnium rerum creatarum prima, & efficiens Causa. In Animarum verò creatione idem fecit quod Pictor, qui pulchram aliquam effigiem pingere cupiens, aliquod intuetur nobile, & excellens Exemplar, illamque ad illud similem delineare satagit. Ita et Deus purissimo, simplicissimo, & fœcundissimo sui Intellectus oculo, seipsum conspexit, & ad sui Imaginem, & similitudinem Animas creavit, & creat, in momento, in quo perfectè organizatum est corpus. Creat, inquam, actu potentissimo, & simplicissimo suæ activæ Voluntatis, sine causa antecedente; sed solummodò ad suam infinitam supersubstantialem Bonitatem, sine alicujus rei creatæ principio; cùm derivent immediatè a se ipso, qui immensus est, æternus,

(1) *Vide de hoc infra, Par. 2, Animadvers. 8, §. 5.*
(2) *De hac amicitia, & societate, vide infra, Par. 2, Animadv. 8, §. 6.*
(3) *De hoc modo loquendi, vide infra, Par. 2, Animavers. 8, §. 8.*

nus, indefectibilis, etiamsi incessanter nova semper crearet. Ipse Deus est Vita cujusvis Creaturæ rationalis, concurrens ad earum conservationem in infinitum suâ essentialissimâ voluntate. Easdem creavit sine forma extrinseca; in se ipsis purissimos, & vitalissimos spiritus. Sunt radii ejusdem Divinitatis, immortales, æternæ, & mente rationali præditæ, qua intelligere possunt, & operari, ad hoc ut ad suam originem redire possint. Ita sunt excellentes naturâ, & capacitate Gratiæ, ut possint tot esse veluti Deæ per participationem. Illas Deus suâ intimâ conservat & reali præsentiâ; & Divinâ Gratiâ mediante, regnare possunt (1) absolutâ potentiâ super omnes res creatas sublunares; non enim habent aliam arbitrariam subjectionem, nisi voluntati Dei, idest obedientiæ suis Divinis præceptis; & hoc ob nobilem finem, ut scilicet eorum observantiâ, capaces fiant videndi, & fruendi in illa Die, quæ æterna erit, Divinitate, ex qua fluent in illis radii Divinissimæ gloriæ; & tranquilla requie participes erunt effectuum, & substantiæ, quæ Divina continent Attributa.

Ipsas Animas ad majorem (2) super Angelos elevavit dignitatem, & excellentiam; non quidem nobilitate naturæ, sed Gratiæ; cùm ipsas admiserit ad intimam Divinæ essentiæ unionem in Eucharistico Sacramento, a qua Essentia originem habet, & substantiam esse personale Sanctissimæ Triadis, & quæ unitur substantialiter Humanitati (3). Eas amat Deus in hoc Sacramento pacifico, & sublimi Amore; & in eo efficit, ut fruantur sua jucundissima gloria. Triumphat ille ad dexteram Patris, quamvis Animabus se donet in Cibum, de Cœlo manna, a qua hauriunt substantiale alimentum omnis suavitatis, & saporis, vitam justis tribuens spiritualem. Panis vertitur in nutrimentum eorum, qui illum comedunt, sed Deus convertit, & transfert in se ipsum Animas nostras cordialissimi Amoris excessu. Non desinit quidem Christus, dum fit noster cibus, esse Deus, sicuti non desinit, quando factus est homo. Vestit in hoc Convivio misericorditer Animarum nuditatem, & paupertatem pretiosis ornamentis, vivis scilicet, & efficacibus desideriis, & mediante gratiæ suæ aura earum voluntatem dulci amoris violentiâ movet ad virtutes amplectendas, atque opere complectendas, relinquendo vitia, virtutes diligendo; itaut de terrenis cœlestes, de carne evadant Spiritus, de sterilibus fœcundæ. Eradicat enim ab earum corde spinas, tribulos, & omne noxium germen, ad hoc ut mutentur in amœnos floridosque hortos, in quibus delitiari possit: & sint veluti puritatis chrystallum, splendidiores Sole, radiis fulgentes virtutum. Hoc autem totum efficit, ut frui possint secum Divina intromissione, unione, & amoris pacificatione, admittens ipsas ad suos Divinos castosque amplexus; & in sempiternum eas desponsans in Fide, vult siquidem, ut vitâ fruantur beatâ, participans iisdem per gratiam effectus illos, quos ipse habet per Essentiam.

Tanta fecit noster Deus, ut nos ad suum traheret amorem; & tamen

(1) *De hoc, vide infra, Par. 2, Animadvers, 4, §. 1.*
(2) *De hoc, & de Eucharistia, vide infra, Par. 2, Animadv. 4, §. 2.*
(3) *De Eucharistiæ Sacramento, vide infra, Par. 2, Animadv. 4, §. 3.*

tamen multæ sunt Animæ, quæ in tot Gratiæ luminibus se cæcas fingunt, & iisdem uti ad æternam renuunt salutem. Sed Deus contra ipsas Agricolam imitabitur, qui postquam circa Arborem infæcundam, & aridam, patientem adhibuit diligentiam, eam tandem funditùs evellit, & ad ignem damnat. In ipso instanti hujus cognitionis (1) ab aura Sancti Spiritus, qui Essentialis est duarum Personarum amor, ducta fui ad Infernum. Exhorrui, videns infœlices illas Animas tot immersas cruciatibus; & interno impulsu coactam me sensi ad illis ita dicendum: In nomine Increatæ Sapientiæ vobis jubeo, ut dicatis mihi quæ sit major pœna, quam in hoc miserabili sustinetis loco; & earum una sic mihi respondit (2): Non sinè gravi meo rubore tibi fateor, quòd major nostra pœna non est sensus, sed damni; quæ nobis longè est sensibilior; & cum indicibili nostra confusione per totam æternitatem confiteri cogemur, dicentes: O Justissime Deus, fallax nos decepit nostra spes, qua distulimus, confidentes aliquando redire ad nosmetipsas per pœnitentiam, & vitæ emendationem; suasque misericordias, quibus ad salutem poteramus uti, veluti lutum summo neglleximus contemptu. A nobis igitur processit causa nostræ damnationis, & origo; non a te misericordiarum Patre, qui infinitè bonus es, imo ipsa bonitas, & misericordia, qua nobiscum usus es, & uteris, etiam in hoc inferno, non puniens nos ea severitate, quam nostra merentur peccata, quibus quasi usurpare tibi Divinam tentavimus substantiam. Totum autem damnum nostrum fuit, quod in tota patiemur æternitate. His dictis rabie acta Anima illa, maledicensque Deo, qui ipsam talia fateri coegerat, se projecit in puteum, igne, plumbo, & sulphure liquefactis plenum; atque ita tam funestæ visiones ab oculis meis disparuerunt. Dixi tunc Spiritui Sancto, duarum Personarum expressæ (3) imagini: O Deus, fons a quo omne fluit bonum, & in quo nullum esse potest malum, humiliter te precor, ut non permittas me unquam tuis abuti gratiis, quas mihi tua incomprehensibilis communicat Bonitas; quæ mihi indulges eo fine, ut me præservent a culpis, in quibus sine ipsis mea laberetur fragilitas. Tua mihi concedat clementia, ut semper hunc finem ante oculos habeam Animæ meæ; eumdemque adimpleam ea majori perfectione, quæ tibi placet, pluris faciens gratias tuas, quam omnes mundi Thesauros; & illas amittendi in continuo vivam timore, atque in ipsis charitate magis sim, quàm in me ipsa, imo nihil in me, tota in illis; easque amem hoc unico fine, ut scilicet media, quibus a Majestatis tuæ præserver offensis.

Rediens igitur ad me ipsam, Divinoque Amore succensa, sic exclamavi: O Æterne Pater, Principium sine principio, & duarum Divinarum Personarum Principium, inter quas alia non datur prioritas, nisi solius originis; qui vivificam, & beatificam habes tui ipsius cognitionem, ex qua oritur in omni genere infinitum, tuæque naturali inclinationi, & genio uniforme, tuus scilicet essentialissimus Filius, a tuo natus Intellectu,

(1) *De hoc lege in secunda parte infra, Animadv. 3, §. 3.*
(2) *De hac Animæ damnatæ alloquutione, vide infra, Par. 2, Animad. 3, §. 3.*
(3) *De hac Imaginis dictione, vide infra, Par. 2, Animadv. 7, §. 7.*

tellectu, eique communicas (1) liberè, & intrinsecè, in te ipso altissimo modo tuam propriam naturam, & substantiam, sine aliqua tui destructione, passione, aut corruptione, (2) sicuti lux a Sole nascitur sine aliqua ejus destructione. Lux est a Sole distincta, sed non divisa, atque ita naturalis tuus Filius realiter, & personaliter a tua propria distinctus est Persona, sed non divisus. Intimè, & perfectè tibi est præsens (3) habitans substantialiter in Majestatis tuæ sinu, inter infinitos tuæ Divinitatis splendores, quæ Divinitas eadem est ac tui Filii, ipsi a te per Essentiam communicata. Ipso autem infiniti amoris actu, quo Filium amas, ipseque te amat; mutuo, & simplicissimo hoc amore producitur Spiritus Sanctus, passiva Spiratio. Et sicut a Sole, & luce producitur calor, qui ab iisdem distinctus est, non divisus; sic Spiritus Sanctus divisus non est a te, o Æterne Pater, nec a tuo Genito, cùm vobis consubstantialis sit in summa æqualitate, & Essentiæ identitate; sed Personaliter est distinctus. In tua Divinitate tu es principium naturale personalis Essendi tui Filii; & Spiritus Sanctus a te, & a tuo Filio Principium habet. O Sanctissima, amabilissima, & misericordiosissima Trias, quæ singularissima es, & in tuis perfectionibus perfectissima; quàm magna est obligatio, quæ me cogit ad te amandum propter te ipsum; eò quòd increatâ tuâ sapientiâ, cui omnia præsentia sunt, tenebras, & ignorantias intellectus mei ità efficaciter illuminasti, ut notitias tam altæ, & sublimis Intelligentiæ comprehenderem; & hoc (4) ut in ista mea vili creta, tua promoveatur gloria apud eos, qui hæc audient. Et ob omnes has gratias, quas recepi, o Beata Trinitas, humiliter precor Beatissimam Virginem, totamque celestem cohortem, ut tibi per me gratias agant; & precentur etiam ut mihi concedas de his reddere fructus; ob quos eadem mihi communicas, ita mi Deus: *Lauda Hierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion*; *quoniam dignè laudare non possum, & explicare, quæ mirabilia fecit in Anima mea*. Quàm etenim transcendunt limites cognitionis meæ tuorum arcanorum notitiæ; & quàm superabundant admirationem vestram, o Cœlestes Intelligentiæ; quæ non sine stuporis ecstasi immensum cernitis amorem, quo Deus huic indignæ creaturæ suas participat Misericordias; quibus compellor ad effectivè amandum immutabilem illam increatam, & illimitatam Essentiam, puram, simplicem, nudam, absque forma extrinseca; cùm sit in se ipsa tota Essentialis, & consubstantialis Sapientia fortis, potens, & Divina in efficacia suæ virtutis (5), quæ vita est operationum ad extrà, & ad intrà; nec ab aliquo annihilari potest, quia cessaret existentia primi esse personalis, & causa efficiens duorum actuum Intellectûs, & Voluntatis; quorum unus est cognitionis, alter amoris; qui actualiter regnant in Divina Spirituali natura. Pater suo vivacissimo intellectu, infinitâ prædito intelligentiâ, concipit in se ipso vivam, & per-

(1) *Quid intelligendum in hoc adverbio* liberè. *Vide infra, Par. 2, Animadv. 6, §. 3.* (2) *De hac Solis similitudine, Vide infra, Par. 2, Animadv. 6, §. 3.* (3) *Vide infr. Par. 2, Animadvers. 3, §. 7.*
(4) *Vide de hoc infra, secunda parte Animadvers. 2, §. 6.*
(5) *Cur* essentiam *dicat, &c. vide infr. 2 par. Animadvers. 8, §. 4.*

& perfectam sui ipsius imaginem, suorumque incomprehensibilium Attributorum, remanens in sua capacitate, substantialiter saturatus, & satisfactus, supernaturali, & jucundissima Beatitudine. Contemplatur enim se trinum in Personis, & unum in Essentia, essentialiter fruens actuali sua, & intrinseca gloria, quæ originem habet ab immensis mansionibus, & reali cognitione Divinæ Essentiæ. Hoc omne vos videtis, eoque fruimini supremæ Cœlestes Intelligentiæ, indicibili felicitate, suavitate, & pace. Ardenter igitur vos supplico, ut incessanter oretis apud Altissimum pro me, ad hoc ut suis magnis non abutar misericordiis; nec sint mihi horribilis, & amaræ confusionis in mortis articulo; sed dicere possim cum Apostolo: *Gratia ejus in me vacua non fuit.*

ADNOTATIO.

§. II. *Scripsit, obedientiâ jubente, relationem istam hæc Virgo, anno, ut apparet, ætatis suæ vigesimo quarto; in quo, sicut alibi diximus, ipsam Deus ariditate, tentationibus, aliisque Dæmonum insidiis exerceri, & purificari permisit. Eam verò hìc libenter transcripsimus, quia ultra intelligentiarum sublimitatem, qua Divinum eidem adstitisse lumen probabiliter dignosci potest, aliquas a legentibus fore, ut hauriantur practicas speravimus cognitiones; quas ad quatuor præcipuè restringam. Prima est, ut varias dignoscere Dæmonis artes possimus, qui ad instar Camaleontis plures mutat colores. Videmus enim hìc quàm versipelli astutiâ hanc Virginem, nunc infidelitate, nunc vanagloriâ, nunc desperatione tentaverit; quibus omnibus unâ atque eadem Fidei constantiâ, atque in Deum confidentiâ, debemus immobiliter resistere, nihil inimici respondendo sophismatibus; sed, ut ipsa fecit, immobili quodam, atque ad Deum firmo Spiritus nisu, elevata mente, constanter inimici tentamenta floccifacere. Secunda, quòd in tentationibus firmæ in Deum spei conjungenda est patiens in Divina voluntate, quæ illas nobis permittit, ut proficuas, obedientia, & resignatio. Tertia, quòd post tentationes speranda est consolatio illa, qua Divinus Spiritus in Anima nostra vices nunc tribulationis, nunc gaudii, pro sua ordinat Sapientia; quod hìc accidisse legimus huic Virgini, cujus obedientia, & resignatio in toleratis tentationibus, tot postmodum munerata fuit sublimibus intelligentiis. Quarta tandem, quòd Divinæ consolationes pretio quidem haberi, & recipi debent a nobis cum gratitudine, atque gratiarum actione; sed cum humili pariter timore, ne talia donanti Deo simus ingrati: & simul consideratione, quòd non largiuntur ut præmia, quod superbiam aleret, sed ut Pharmaca, quibus nostra eget infirmitas; itaut eò magis nos fateamur miserabiles, quò liberaliùs a Deo suis nos conspicimus cumulatos misericordiis. Quæ omnia in hac Scriptura maturè eam perpendentibus clarè, & ad praxim, ni fallor, elucescunt.*

CA-

CAPUT SECUNDUM.

SCRIPTURA II.

§. I. EX obedientia mei Directoris scribo quæ Deus eodem tempore, quo Spiritualia compleveram Exercitia, in me sua mirabili Omnipotentia dignatus est operari, (1) ad hoc ut dignoscatur ab omnibus Omnipotens, omnisque boni auctor, eò clarius, quò magis infirmum est Instrumentum. Audivi igitur Æternum Patrem me interius vocantem, & sic me alloquentem (2). Columba mea, opus meæ Omnipotentiæ, Sapientiæ, & Bonitatis, intellectum tuum eleva ad me tuam lucem, & viam, quia tibi ostendere volo mearum perfectionum umbram, earumque conditionem. Horum verborum effectus fuerunt in me veluti tela dulcis amoris, admirationis, stuporis, reverentiæ, timoris meorum peccatorum, cognitionis, & tam profundæ mei ipsius annihilationis, ut vix quod sum cognoscerem, stupens quòd mea vilitas, & miseria vocaretur ad mentem elevandam ad Deum, qui infinita est Majestas. (3) Attollens tamen, sed tremebunda, intellectum, vidi Æternum Patrem, veluti vastissimam lucem, inexplicabiliter pulchram, atque habentem in se candorem ceu purissimæ nivis; nec illius lucis speciositatem explicare valeo, cùm sit Æternus Pater lux admirabilis prærogativarum omnium, & substantialium perfectionum. Intellexi, quòd candor mihi ostensus puritatem innuebat simplicissimi Esse suæ Divinæ naturæ in Persona, & substantia increabilis. Quod Esse usque a sua æternitate, quæ temporis mensuræ subjecta non est (4) originis non habuit principium; quia Divina Essentia non operatur, sed facultatem, & virtutem omnipotentem intellectui tribuit, & voluntati Patris, ut juxta suum genium operetur, & naturalem inclinationem. Essentia Divina non est divisa, nec distincta a Patre; in sua etenim unitate essentialiter est simplicissima, in qua ipse inhabitat & terminat; quia est sine termino; nec potest ab ipsa dividi personaliter, aut intellectualiter, nec enim datur naturalis præcedentia inter suam essentiam & intellectum. (5) Actus verò sui intellectûs non est divisus, nec distinctus a sua Divina Essentia, sed distinctus est, non divisus, a Persona Patris. Et actus iste Verbum est, quod a paterna distinguitur Persona. Dixit autem mihi Æternus Pater, supremus meus Magister: Pretio habe hanc gratiam, quam tibi communico, & satage ut ex ea proficias, mihi inserviendo veritate, & corde

(1) *De hoc, vide infra Par. 2, Animadvers. 2, §. 6.*
(2) *De his, & similibus verbis, vide infra, Par. 2, Animadv. 2, §. 2.*
(3) *Hìc cooperationem innuit Animæ etiam in initio raptus. Vide infra, Par. 2, Animadvers. 10, & alibi.*
(4) *De hoc Periodo, vide infra, Par. 2, Animadvers. 8, §. 7.*
(5) *De hac dictione* Actus, *quam ponit de Filio, vide infra, Par. 2, Animadvers. 7, §. 2.*

corde perfecto, in omnibus te exercens virtutibus, quarum ope ex hoc exiens pacis gaudio, tribulationes, & pœnas quæ tibi evenire continget, sustinere valeas. Cui ego respondi: O altissime Deus, pro tua bonitate doce me, mihique impera omne id, quod tibi placet, ut faciam; ita te exoro cum desiderio in omnibus tuæ parendi voluntati. Post hæc dedit mihi Divinam benedictionem dicens: Potentia Dei Patris, Sapientia Dei Filii, & Amor Spiritus Sancti descendat in te, & maneat semper. Redivi postea ad me ipsam, cum deliberata, et efficaci voluntate exercendi perfectiori, quo poteram, modo virtutes omnes, & peculiariter sublimem, & excellentem virtutem simplicis Fidei, quæ fundata est super infallibilem Dei veritatem; qui Sapientia est, & decipi non potest; Bonitas, nec potest mentiri; Potentia, cui omnia sunt possibilia. Ipsa Fides lumen est, quod nobis demonstrat veritatem eorum, quæ credimus, speramus, & amamus. Quapropter exercebam me frequenter in actibus altissimæ, & perfectissimæ Fidei; & ardenter optabam vitam profundere, & Sanguinem in confessione, & conservatione ejusdem certæ, & securæ veritatis. Crevit autem in me adeò tale desiderium, ut ab ipso quasi coacta, sumpserim statim pœnitentiæ mea instrumenta, & vestes, eademque in Sacculo claudens, necnon me ipsam, ne aliquis me cognosceret, pauperculæ cooperiens vestibus, sub ipso diei crepusculo versus mare, ad Turcas ire gestiens, iter sumpsi. Viam tamen, impediri timens, elegi per invios, asperos, spinisque refertos calles, quos pedibus calcabam, sentium non sentiens aculeos. Perveni tandem ad semitam arctam taliter, & angustam, ut nec parvus Puer vestigia in ea figere posset, absque a scopulis illis, abruptisque montium, præcipitandi evidenti periculo. Videns ergo me in talibus angustiis flebam, & suspirabam, quasi desperarem inter tot præcipitia iter posse prosequi incœptum. Quapropter spiritu ad Deum conversa, orabam Dominum meum Jesum Christum, ut pro sua ardenti charitate mihi concederet, ut per viam incœptam valerem progredi. Vidi statim Divinum Verbum, qui sua omnipotenti manu, ut salva asperum illud iter transirem, mihi suum prebebat auxilium; & cùm essem inter densissimas spinas, quæ viam obsidebant, Puer Jesus infantili manu spinis illis nutu jubebat, ut cederent; & illæ ita semitam reliquêre liberam, ut per eam facillimè absque ulla læsione transirem. Sic cum Divino meo Duce iter pergens, ad stagnantem pervenimus aquam, quæ inter mare, & Regiones illas interponitur. Quo in itinere dicebat mihi Puer Iesus externâ, & sensibili voce, quòd Deus erat, & homo; & quòd ejus humanitas subsistebat Persona Verbi, propter unionem naturæ cum sua humanitate. Quòd triumphabat in gloria ad dexteram sui Patris, super omnem cœlestem Hierusalem, & quòd ab unita secum Divinitate participabat deliciarum, & gaudiorum Abyssum, atque supernaturalem in se ipso, jucundamque beatitudinem, quam intellectualiter videt, illaque fruitur. Addebat quòd sua perfectissima humanitas plena est ipsa Divinitate, per quam quiescit (1) in sinu immensæ suæ magnitudinis; quæ utique Divinitas inexhaustus est fons

 omnis

(1) *Vide infra, Par. 2, Animadvers. 3, §. 7.*

omnis boni, ex quo per suorum meritorum canale abundantes gratiarum super animas nostras effluunt rivi; ad hoc ut eum cognoscamus omnis boni auctorem. Dicebat quòd omni fruitur beatorum Spirituum accidentali gloria, qui ipsi humiliter, & perfectè serviunt, suam magnificantes Majestatem, adorando ipsum, ut totius universi Regem, & Dominum; & contemplantes suam jucundissimam, serenissimam, splendentissimamque faciem, mediantibus speciebus in ipsorum mentem infusis: id autem omne, quo fruebatur, superfectissima sibi sui ipsius acquisierant opera. Ita mecum colloquendo ad supradictum pervenimus stagnum, quod me sua ducens manu suis pertransire fecit vestigiis; & me dereliquit jam constitutam in via, per quam ad Marolam, castrum illius Regionis, patescit iter. Supradicta autem verba audiebam sensibiliter a Puero Jesu, quem exterius, ut duodennem videbam adolescentem, erantque summæ consolationis causæ, quia me magis accendebant ad moriendi pro fidei testimonio desiderium; unde cùm ad Maris pervenissem littus, in campo quodem secedens, vestem indui Camelorum pilis contextam, caput ejusdem materiæ caputio in pœnitentiæ signum tegens, rudi fune latera cinxi, & Crucifixi Imaginem ante pectus appendi, quæ omnia mecum tuleram. Quibus peractis, vestes omnes, quibus a propria Domo induta discesseram, pauperibus distribui. Perrexi igitur sic præparata ad Mare, quærens an adesset transfretandi opportunitas. Audiens autem non adesse, atque ob id mærore confecta, ad proximam me transtuli Ecclesiam, ubi ante Divini Altare Sacramenti gemens, & suspirans optatæ mortis horam, sic meo dicebam Creatori: Deus æterne, omnipotens, qui infinitus es in Sapientia, & bonitate, atque in tua Essentia, & perfectionibus inexplicabilis, scio utique quòd cordis mei non te latent angustiæ. Cur ergo, Animæ meæ vita, me affligis, & punis, prolongans mihi vitam, dum tolerare non valet cor meum contemptam, & negatam tuorum mysteriorum veritatem? Invocavi insuper Angelos, entia spiritualia, incorporea, circumscripta tamen, & limitata, quos ita exoravi: Supremi Principes Regum Regis, vos precor per incessabilem vestram fœlicitatem, qua fruimini videntes ejus faciem omnibus cœli luminaribus pulchriorem, & per illam dulcem, suavemque requiem, qua in ipso, veluti in lecto, seu florido quiescitis Thalamo, atque per fragrantissimum odorem, quem ipse vobis, veluti Nardus, suavissimè spirat, ut eidem meas offeratis preces, ad hoc ut ardentibus meis satisfaciat votis. Hac peracta oratione rursus ad mare redii; vidensque nullam adesse navem, qua transfretarem, ut optabam, Divinæ confidens Omnipotentiæ, Sapientiæ, & bonitati, sine ullo timore super maris aquas iter sum aggressa. Dum verò per eas sicco vestigio, summaque pergerem agilitate, cecidit in mea mente hæc apprehensio; ne scilicet capilli, quos densos habebam, & oblongos, impedire possent bipennis ictum, itaut non ea, qua desiderabam, velocitate, meum caput abscinderet. Dum autem hoc non parum angebar dubio, precabarque Deum, ut sua eos recideret omnipotentia, vidi descendere ad me de Cœlo pulcherrimum Angelum, qui crines meos secavit, jussitque mihi, ut eosdem in sinu absconderem, donec quid de iisdem agere deberem, Divinus meus mihi significaret Sponsus. Prosequens igitur super

mare

mare iter inceptum, vidi effulgere de cœlo ad instar clarissimæ auroræ humanatum Verbum, pluribus stipatum Seraphin, qui splendidissimi, & pulcherrimi erant, & Deo uniti perfecta amoris unione, eumque concelebrabant purissimis, altissimisque laudibus; quorum unus pretiosum Diadema gestabat in manibus. Cùm verò appropinquasset ad me Puer Jesus, sic mihi alloquutus est: Dilecta mea Sponsa, mei cordis gaudium, ne ulterius progrediaris; sufficit enim efficax desiderium, quod hac pretiosâ suo tempore præmiabo coronâ; regredere in virtute fiduciæ, quam in mea habuisti Omnipotentia, Sapientia, & Bonitate; hæc enim operatus sum in te, ut appareat quàm ardenter meam amas veritatem. Hæc audiens respondi: Mi Domine, meum unicum bonum, lux oculorum meorum, meæ peregrinationis Sydus, vitæque meæ vita, in qua, & per quam vivo, tuo me ipsam humilio divinæ Voluntatis beneplacito, a quo meum pendet; & sic eum adorans, ad littus unde discesseram, redii, cognoscens me super mare ambulasse per milliarii quartam partem. Cùm autem ad littus pervenissem, intellexi voluntatem Dei esse, ut inclinata jam die proximum ingrederer Castrum, ibique hospitata, expectarem Dei Servos, Dominicum Ricci, & Joannem Leonardum Rossi, qui simul cum Maria Catharina Turriani, & mea sorore Francisca, me dolentes, & anxiæ quærebant; & quòd abscissos meos crines, quos apud me habebam, charitatis ergò elargirer pauperculæ cuidam mulieri, cujus nomen erat Maria Battini, a qua prædicti Dei Servi futurum erat, ut eosdem emerent viginti solidorum pretio. Ingressa igitur prædictum Castrum, jam mihi interius ostensam inveni mulierem, quæ cordiali charitate mihi in sua Domo hospitium obtulit. Dum verò in ejus recepta Domo confabularemur, illique Dei enarrarem mirabilia, adfuere me quærentes supranominati Servi Dei, qui mihi mei Patris, & Directoris nomine, jusserunt, ut ad meam redirem Domum. Parui; & dum per mare Sarzanam versus navigaremus, præfatus Dominicus Ricci meos mihi ostendit capillos, quos eleemosynæ loco a prædicta mea emerat hospitatrice; atque ita ad paternam redii Domum.

ADNOTATIO.

§. II. *Factum in hac Relatione enarratum accidit decennium ante hujus Virginis mortem, circa videlicet vigesimum quartum suæ ætatis annum. Et quidem de discessu ejusdem a propria domo, ex impetuoso martyrii desiderio, multis idem asserentibus, ambigendum non reor; ac proinde de eodem, ut de re certa in Lib. 1, c. 9 satis diximus. De aliis vero accidentibus, quia testes non habeo, silendum duxi, more siquidem meo, quò ea scribere, quorum plures proferre non possem fide dignorum Relationes, semper renui. Verùm si rem attentius perpendimus, probabile non mihi videtur Virginem tot virtutum suis Directoribus in re tanti ponderis voluisse dolosè mentiri; maximè cùm adsint ad veritatem ostendendam sufficientia fortè adminicula. Crines enim abscissos emisse a prædicta Maria, testatur Dominicus Ricci Sacerdos, ut probatæ pietatis, sic fide dignus. Quòd verò ipsa super mare ambulaverit, sufficienter, ni fallor, innuit præfati Johannis*

vis Leonardi Relatio, qua refert, se hanc quærendo Virginem, multa in arena observasse vestigia, ad aquas tendentia, nulla verò, quæ regressum ostenderent. Quid dicam? in hæsitatione de capillorum ad exoptatum martyrium impedimento, indulgendam crediderim Virgunculæ simplicitatem; quoad verò iter ejusdem super mare, quid nocet Dei adorare Omnipotentiam?

CAPUT TERTIUM.

SCRIPTURA TERTIA & QUARTA.

§. I. T*Ertia Scriptura, sive Epistola, est mulieri, ab hac Virgine ad pœnitentiam evocatæ, ut ipsam in bono roboraret proposito, tunc directa; eamque, cùm in Lib. tertio, Cap. ultimo, pag. 327 transcripserimus, hìc superfluum esset referre, unde quartam statim ponimus, & est sequens:*

§. II. O Fili Dei, Verbum Unigenitum, figura a parte rei substantiæ Patris, inextinguibile gloriæ lumen. Objectum beatificum Angelicarum mentium, O flos, qui ostendis Animabus beatis tuam pulchritudinem, spirans ipsis gratissimum, suavissimum, preciosissimum odorem cœlestium virtutum. O mea cara Spes, lumen substantialis Gloriæ Patris. O inaudita, & increata pulchritudo gloriæ, & jucunditatis, speciositas Regia, & imperialis Majestas. O Bonum meum, lux, & splendor oculorum meorum; o mi Deus, cordis mei cor, ubi es? Ego, Speculum lucidissimum increatæ Sapientiæ, tuo per inspirationem adsum intellectui. Scias quòd mea regalis Divina Majestas in tua residet Anima (1), facta per gratiam meam mihi veluti resplendentissimus Thronus. Tuis dominor passionibus, tuosque affectus ad me dirigo, subministrans eidem mellifluas misericordiarum substantias, tibique eas participans, juxtà tui intellectûs activitatem. Contra corpus tuum, utì contra inimicum, me gero, amarissimo illud cibans Absynthio, doloribus scilicet, quos toleras; qui tamen dulces, & suaves sunt Animæ tuæ; eò quòd tali eam dotaverim capacitate, & intelligentia, ut comprehendat quanti Cruces sint meriti, si patientiâ feruntur, & resignatione meæ Divinæ voluntati, a qua omne pendet; & quòd pro quacumque minima tribulatione præmium servatur æternum. O Felix tribulatio! ego beata non ero, si te solummodo cognoscam, sed si humiliter, promptoque amplexer corde. Sed o lux inexhausta æterni gaudii; & quomodò in Anima mea hæc agis amoris operationes? Nonne dicis tu, infallibilis veritas, quòd hominem sine homine salvare non vis, sicuti homo sine te salvari non potest? Mea igitur voluntas mihi videtur iis, quæ mihi revelasti, contraria. Ita est; (2) ego operor omnia in te sine te, cùm voluntati meæ tuam in perpetuum obtuleris holocaustum; unde ipsa

(1) *De hac loquutione, vide infra Par. 2, Animadvers. 2, §. 2.*
(2) *Quo sensu dictum hoc interpretari debeat, vide infra, Par. 2, Animadvers. 9, §. 2.*

ipsa remanet ſemper Divinis meis ordinationibus apta, & diſpoſita; ſicuti ferrum ignitum diſpoſitum eſt voluntati Fabri; non enim a ſeipſo varias poteſt formas accipere, ſed requiritur ignis, ut artificis manibus perficiatur. At quomodo, mi Deus, in mea regnas Anima, quæ ex ſuis culpis ita vilis eſt & deformis? Anima tua, mediante actuali, & habituali meâ Gratiâ, qua excitaris, & promoveris ad effectivo Amore amandum, me tuum Creatorem, & Benefactorem (1) Sole ſplendidior eſt, & Collium nive candidior. Quando verò anima Majeſtatem meam læthaliter offendit, ſicut Sol ab aliqua præpeditus obſcura nube terræ ſuos non communicat radios, neque eam calefacit; unde ipſa flores, & fructus germinare non poteſt; ita ego fulgidiſſimus Sol, qui radiis meæ efficaciſſimæ, & fœcundiſſimæ Gratiæ illumino, calefacio, & ſplendidas facio Animas, & hiſce mediantibus, illas reddo Sanctarum Virtutum fructibus fertiles, hæc omnia ſubtraho ob oſcuras peccati nubes, quibus incapaces meæ remanent Gratiæ, ſine qua veluti horrida videntur dumeta, meæque provocant rigorem Juſtitiæ. Sed quia æquales in me ſunt Juſtitia, & Miſericordia, quæ ab immenſo, qui inceſſanter in me ardet, amore, excitatur, nec extingui poteſt, cùm limitationem, nec diminutionem non patiatur; hinc fit ut ergà Animas peccatrices exemplar ſequar boni Paſtoris, qui ad quærendam errantem ovem velociter currit, eamque miſericorditer, & humiliter vocat, eamque ad gregem invitat, paſcuæ nobilioris alliciens oblatione; quòd ſi illa reſiſtit, eam percutit, ut percuſſa ſaltem reſipiſcat, & ad ſe vel vi, vel amore redeat. Ita & ego zelantiſſimus Animarum veſtrarum Paſtor, quas a ſervitute Dæmonis redemi, veluti Aquila alis ardentiſſimi amoris, ut eas quærerem evolavi a ſinu Patris, cum quo identificatus ſum naturâ, & ſubſtantiâ; puriſſimoſque mei intellectus oculos direxi in Solem illum, quem nos tres Divinæ Perſonæ ſplendore illuſtravimus noſtræ Gratiæ; Animam ſcilicet Mariæ Pater meus eam fecit ſuum templum, ipſam eligens perpetuam Filiam; & ego eam conſtitui meam jucundiſſimam habitationem, eamdemque eligens in meam cariſſimam Matrem. Spiritus Sanctus ipſam perfecit in ſuum Sanctuarium, eamdem eligens in ſuam dilectiſſimam Sponſam. (2) Nos tres Divinæ Perſonæ conſilium inivimus, quæ ſcilicet ex nobis incarnari congruum eſſet. Perfectiſſima, amabiliſſima, & fœcundiſſima Patris mei, & Spiritus Paracliti (3) voluntas fuit, quæ voluntas ex intrinſeco mota amore, una eſt omnium noſtrûm, ut ego candidiſſimum, & puriſſimum Verbum, ab æterno Patri conſubſtantiale, & ab ipſo genitum, communicante mihi gloriam ſuæ Divinitatis, veſtirem, & tegerem ſub viliſſimo humanitatis habitu excellentiſſimos meæ Divinitatis Splendores, uniens naturam meam divinam, & increabilem, unione hypoſtatica, naturæ humanæ; & hoc vi, & virtute amoris, carnem ſumens in puriſſimo, & caſtiſſimo Mariæ Utero, puriſſimo, ſimpliciſſimo, perfectiſſimo, & præclariſſimo Sancti Spiritus opere; atque ita ego natus ſum

(1) *De hoc, vide infra, Par. 2, Animadvers. 2, §. 2.*
(2) *Quid de hoc Trinitatis conſilio, vide infra, Par. 2, Animadv. 4, §. 5.*
(3) *De hac voluntate, & miſſione verbi, vid. infra, P. 2, Animad. 4, §. 6.*

ſum nova lux in mundo, absque corruptione candidi Veli ipſius Mariæ immaculatæ Virginitatis. Cùm ergo viderem tot oves meas in mundi errantes deſerto, & quòd propriæ ſalutis immemores, ut animalia vivebant, ſuos ſequentes ſenſus, propriumque Spiritum, juxtà effrænes eorum paſſiones, ego increata Sapientia eas, ut ad me redirent, earum vitam potentiſſimis vocavi inspirationibus, illisque oſtendi Regnum Patris, ipſis paratum, ſi mea ſequi vellent veſtigia. Earum verò videns obſtinationem in perverſum propriæ voluntatis inſtinctum, precabar, ut homo, Æternum Patrem, ut eas ſaltem ſuâ emendaret Juſtitiâ, quæ earumdem illuminans cæcitatem, ipſis poterat eſſe miſericordia. Hunc erga meas oves ſervabam modum, ad hoc ut ad meam meique Patris redirent obedientiam, cupiens ut ſe nutrirent ſui Divini amoris nectare, qui animas paterno commorantes in ſinu fovet, & nutrit. O Diviniſſimum Verbum increabile in natura, & ſubſtantia, inexplicabile in magnitudine tui Diviniſſimi eſſe; mea non capit mens, quomodo tot Animæ te derelinquant earum principium & finem, & mundum ſequantur. Ergone mundus te eſt amabilior? Iſtæ Animæ radiis Divinæ meæ lucis clauſerunt oculos, excœcatæ a vanis, & corruptibilibus carnis affectibus, qui effuſivam activitatem ipſarum obtenebraverunt intellectus; unde ſubmerſa remanet earum voluntas in lethargo peccati, qui earum ita deprimit ſpiritum, ut me non cognoſcant; & quod non cognoſcitur, amari non poteſt; nec me cognoſcent niſi prius ſe cognoſcant; me non amabunt, niſi ſe ipſas odio habeant. Scias (1) o amoris Roſa, puritatis lilium, quòd ſi cognoſcerent Animæ malitiam mundi, atque perverſitatem, qui ea promittit, quæ dare non poteſt, ipſum non amarent; quis enim ita ſtultus eſſet, ut inimicum diligeret, amantem averſaretur? O Sol Divine, Divinæ, immortalis, impaſſibilis ſubſtantiæ, quàm magna eſt obligatio, quam mihi imponis te amandi, propter innumera beneficia, quæ a te recepi, & a tua amabiliſſima beneficentia actualiter recipio; dum me elevas, mediante ſuperno tuo lumine, ad hanc cognoſcendam ineffabilem veritatem, quòd ſcilicet tu ſolus realiter es amabilis, fons enim es, qui rerum omnium contines perfectiones; & quòd vanæ fugacesque miſerabiles hujus mundi delectationes, nec ſubſtantiam, nec activitatem habent, qua anguſtum licèt hominis cor, vel ſemel ſaturare poſſint; vix enim eas guſtamus, quòd ad inſtar nebulæ ad ſolis radios evaneſcunt. Quapropter invoco, & precor tota mei cordis vivacitate Beatas Paradiſi Animas, ut ad te laudandum mihi auxilium præſtent, ſimulque liberaliſsimam tuam exorent bonitatem, ut lumen hoc in me augere non dedignetur.

Comprehendi poſt hæc, quòd Deus actus eſt puriſſimus, ſimpliciſſimus, & eſſentialiſſimus; & quòd in ſe omnis beatificationis, & glorificationis originem habet, atque principium; & Cauſa eſt omnium rerum creatarum, Objectumque beatificum ex ſua natura, & ſubſtantia [2]. Noſtra ſubſtantialis dependentia eſt ab Ingenito Deo, luminum Patri ſemper generante Divinum Verbum, & quòd Pater ex ſua ſpeciali

(1) *De his verbis, vide infra, Par. 2, Animadvers. 2, §. 2. &c.*
(2) *De hoc, vide infra, Par. 2, Animadvers. 6, §. 1.*

ciali naturâ ab ulla re originem non habuit; sed a se ipso subsistit per suam consubstantialem Potentiam. Quando erat Deus in se ipso, omnia continebat in se ipso, habebatque substantialem gloriam, & infinitam in incomprehensibili magnitudine sui Divinissimi Esse. Æternitatis arbor est, quæ in se continet perfectissimæ, simplicissimæ, ac purissimæ substantiæ flores & fructus, sua scilicet Attributa, quæ sunt in substantia (1) sine definitione, quia sunt infinita. Hæc fuerunt semper realiter, & formaliter in Deo identificata; nec augentur in horto Divinæ Naturæ, quæ sunt sine termino. Angelici immortales Spiritus, horum fruuntur effectibus, quia potest Deus omnia facere inexcrutabili sua Omnipotentia, qua illos creavit; & sua Sapientia, quæ omnia penetrat, omnia scit; illuminavit intellectualem ipsorum capacitatem, eamque ampliavit intelligibilibus speciebus; sua insuper Bonitate, quæ omnis Boni origo est, eos a culpa præservavit, ipsisque communicavit Gratiam glorificantem, qua fuere statim perfectè beati. Est Deus Divinus, vastissimusque ardentis Amoris Oceanus, qui nec fundum habet, nec littora; & Angeli, Entia creata, & incorporea, in eodem absorti sunt, & transformati, ejusdem naufragantes in undis (2), a quibus effluunt in Animabus veluti ardentia Amoris tela, a quibus vulneratæ veteri moriuntur homini, & novo resurgunt, ad instar Phœnicis, quæ igne moritur, & denuo nascitur. Est Deus Fons inexhaustus, qui continet in se plenitudinem omnium gratiarum, quæ ex sola sua Voluntate a Divina sua fluunt mente, & originem habent a sua Omnipotentia in se considerata. Taliter est clementissimum, & indulgentissimum potens hoc brachium, quod excitatum ab infinita sua Misericordia, se in tempore Animabus cœlestibus communicet, infusionibus, quibus ipsæ fœcundæ redduntur & fertiles, sicuti terra a Solis radiis, quæ quidem extraordinariæ gratiæ Voluntati Dei efficaciter, vinculisque Amoris indissolubilibus devinxere Voluntatem Apostoli Pauli, qui, ipsis mediantibus, conservavit usque ad mortem puritatem, candoremque conscientiæ.

Comprehendi ulteriùs, quòd Deus est increatus Sol, qui Animabus beatis jucundissimum facit æternum diem, a quo trahunt in seipsis claritatis candorem; & Objectum est ipsarum Intellectus, substantialisque Voluntatis Amor, cujus Visio ipsas beatas reddit, absque eò quòd aliò se vertant, cùm sit ipse earum gaudium, incessabilisque lætitia. In ipso regnant tamquam in earum delitiosissimo Centro, & ipse in eis tamquam in Vasis purissimis & simplicissimis, quos Dei gratia fecit, & Amor (3). Dei Sapientia infinita est, illimitata, immensa, & ampla, absque principio, aut fine, a qua originem ducunt sua essentialissima, simplicissima, & vastissima Judicia, quibus regit, sustinet, & gubernat totum Mundum, quem traxit a nihilo, & sola Voluntate absque labore, aut applicatione annihilare posset, cùm omnia illi sint præsentia [4]. Vidi Personarum Trinitatem, in qua una sola lucet Natura; & hæc

(1) *De hoc vide infra*, 2 *Parte*, *Animadv.* 10, §. 2; *& Animadvers.* 5, §. 3.
(2) *Quid in Animabus, & quomodo operari possint Angeli, vide infra*, 2 *Parte*, *Animadvers.* 4, §. 4. (3) *In Lib.* 5, *Animadv.* 10, §. 3.
(4) *Quid sit hoc* videre, *lege infra*, 2 *Parte*, *Animadvers.* 3, §. 4.

& hæc unita eſt Naturæ Humanæ per Incarnationem Verbi: hæc autem glorioſa Humanitas requieſcit in (1) excelſo, immenſoque ſui Patris ſinu, per Adoptionem; jucunditate fruens ſuæ indulgentiſſimæ Gloriæ, magnitudine ſuæ ſubſtantiæ, atque imperio ſuæ poteſtatis, cùm Theſaurarius ſit omnis beatificationis, & glorificationis. Hæc utique cœleſtis Humanitas Sole in meridie fulgenti ſplendidior eſt, & pretioſiſſima Æterni Patris gemma, ſua lux, ſplendor, atque floridus hortus, qui continet ineffabiles amœnitates ſuarum delitiarum. Opus eſt excellens Spiritus Sancti, quod a tota cohorte cœleſti promptè, humiliter, & perfectè adoratur, glorificatur, amatur ardentiſſimo, & cordialiſſimo Amore; omnes enim beati Spiritus ipſam concelebrant, virtuoſis, delicioſisque laudis canticis, ſine ceſſatione dicentes: *Quoniam tu ſolus Sanctus, tu ſolus Dominus, tu ſolus Altiſſimus Jeſu Chriſte, cum Sancto Spiritu in gloria Dei Patris*. Illi autem Angeli, Entia Spiritualia, inviſibilia, circumſcripta tamen, & limitata, licèt æterna a parte poſt, & Deificati ſunt intrinſeca cum Deo Amoris Unione, ſicuti ferrum in igne candens ab ipſo ferè non diſtinguitur igne. Comprehendere attamen non valent intrinſeci eſſe, & Naturæ Divinæ profunditatem & vaſtitatem, termino fineque carentem. Cuperent utique, ſi hoc poſſibile eſſet, ſe ſua Voluntate, quando capaces erant meriti, perfectiori, & pleniori agiſſe intentione, ad hoc ut clarius comprehenderent quod eſt ipſis incomprehenſibile; datur enim ipſis lumen gloriæ limitatum, quod clarius optarent eo ſolo fine, ut ardentius amarent. Quieti nihilominus, & integrè perfectèque ſatisfacti vivunt, gaudentes quòd in eis Voluntas Dei fiat, quæ pacifica reſignatio effectus eſt illorum beatificationis [2]. O Deus, omnis beatitudinis theſaurus, qui immenſiſſimum tuum Eſſe comprehendis, inacceſſibili, & ſublimi cognitione tui Divini Intellectûs; ex qua incomprehenſibiliter te ipſo plenus remanes, & ſatisfactus, immenſa, conſubſtantialique beatitudine: quæ utique cognitio (3) actum producit infiniti Amoris, quo phyſicè, & inceſſanter te amas, abſque eò quòd Amorem ab alio trahas; tu enim omnis Amoris, & gloriæ accidentalis, quæ tibi datur, origo es. Tota mei Spiritus efficacia gaudeo, quòd in te ſolo ſplendeant hi duo Actus, qui eſſentialem tuam producunt beatitudinem.

Ego ſum perfectiſſimum exemplar omnis pulchritudinis, virtutis, & ſanctitatis, quæ in me ſplendent, & earum perfectionum origo eſt æterna, profunditas immenſa; quas perfectiones promptitudine ſcientiæ, & Intellectus in meo Eſſe, & Natura intueor Divina, atque propter illas amo me ipſum (4). Scias Columba mea, ſpecioſa mea, quòd ut tibi has ſpeciales communicarem cœleſtes gratias, hominum arbitrio illam dedi pretioſiſſimam gemmam, Filium nempe meum dilectum, in quo mihi benè complacui: *Filius datus eſt nobis*. Hæc quidem ab impiis

[1] *De Humanitate in ſinu Patris, Vide infra ſecunda Parte, Animadverſ. III, §. VII. Ibidem lege de improprio Verbo* Adoptionis.

(2) *Vide infra, Animadverſ. VIII, §. III.* (3) *De hac Actuum in Divinis dictione, Vide infra, Animadverſ. VI.* (4) *De hac periodo; Vide infra, Secunda Parte, Animadverſ. II, & IX.*

piis conculcatâ, & sine ulla compassione flagellata, ferroque contusa; sub ictibus splendorem amisit passibilis suæ, & limitatæ pulchritudinis; ejus tamen Voluntas roborata a vi inseparabilis Divinitatis, sicuti ex ardore, & vehementia indefiniti, & communicativi Amoris, heroicâ, perfectâque patientiâ ea omnia toleravit, quæ in eam hominum decrevit arbitrium. O mi Deus cesset jam tua indulgentissima Bonitas stillare super Vas immundum Animæ meæ, quod aliud non continet nisi res, tuæ sanctissimæ, & justissimæ Voluntati contrarias, dulces, suavesque tuarum gratiarum liquores; horum enim totaliter sum indigna, propter culparum mearum magnitudinem, de quibus in Abysso meæ nihilitatis confundor quotidie, & erubesco, stupens de tui Amoris excessu, quo mearum quasi obliviscceris ingratitudinum, veluti si non cognoscas quas commisi tuæ Divinæ Majestatis offensas. Intellige etiam, o, ex gratia, & Amore mei Filii, mea Sponsa, finem ob quem has tibi tot aliis te dignioribus negatas impertior misericordias. Illæ quasi immobiles sunt columnæ, quæ fundatæ super basim Amoris mei, cuilibet resistunt Aquilonis flatui; tu verò sine his gratiis esses debilis arundo, quæ omni cederes tentationum Vento; sed istæ te roborabunt communicationes, & fortem reddent ad resistendum antiqui Serpentis contradictioni, & furori; & ut perseveres, ad me semper affectibus, & mente conversa, sicut Eliotropium Solem intuens. Cognosce ex hoc quam magna sit obligatio, qua ad me semper amandum teneris cordialissima Charitate; & te miseram, si his omnibus debita non corresponderes operum gratitudine; essent enim ista tibi in Mortis Articulo ruboris, & confusionis, quia illis usa non es eo fine, quo eadem tibi indulsi, qui fuit, ut velociùs ad Montem Syon, ad sanctam scilicet evolares perfectionem, in qua comprehenditur me perfectè amandi modus, non in verbis, sed in actionibus heroicis perfectæ consistens Virtutis. O Domine, adoro nunc, & in omni tempore, Voluntatem tuam, cui meam veraci resignatione subjicio, dicens: *Fiat mihi secundùm Voluntatem tuam.*

ADNOTATIO.

§. III. R*Elatio hæc, ex obedientia suis Directoribus transmissa, videtur circa annum suæ ætatis decimum nonum vel vigesimum, in quo, ut vidimus, eam Deus ad vitam elevans illuminativam, variis illustrationibus, internisque imaginariis erudiebat loquutionibus; quod conjicio, notans in eadem disparatas, diversasque contineri cognitiones, quibus in mysteriis fidei sapiens redderetur, alioquin ignorans, hæc Virgo. Hæc igitur Scriptura Dialogus est; quo in ecstatica spiritus elevatione Deus simul, & Anima invicem colloquuntur; hæc de quibus hæsitat proponit, ille vel ipsam edocet, vel ei summa charitatis dignatione respondet; neque de hoc, ut de re mirabili, hæsitare poterit, qui Dialogos legerit, quos inter se, & æternum Patrem Sancta Catharina Senensis integro conscripsit volumine. Multa hic habentur, quæ pro meditandis profundius Fidei mysteriis lumen addunt; aliqua contra pusillanimitatem confidentiam fovent; alia filialem, nostrâ exprobratâ vilitate, timorem incutiunt. Ego autem hujusce relationis finem attentius legens,*

exopto, a Directoribus, ut videant quid Animabus, in divina bonitatis communicatione, ut eàdem bene utantur, suadeant; & ab Animabus ipsis, quibus fortè Deus similia indulget, ut discant in ipsis elevationibus se ipsas, suamque fragilitatem intueri, atque de iisdem non superbire, sed timere: crescit enim ex donis debitum; in elevationis altitudine, si bene sapimus, majus formidandum est præcipitium.

CAPUT QUARTUM.

SCRIPTURA QUINTA, SEXTA, SEPTIMA, OCTAVA, ET DECIMAQUARTA.

§. I. *Quintam Scripturam, quæ, ut apparet, documentum est cuidam sibi sancta familiaritate juncto transmissum, quo in Spiritûs impetu illi modum aperit Christi Passionem contemplandi, eumdemque ad tale exercitium spe spiritualis fructûs, qui ex illo hauritur, zelanter allicit; in Lib. 1, c. 7, §. 2 Italicè transcripsimus, unde hic denuò referre, cùm ibi legi possit, frustraneum existimavi.*

§. II. *Sextam Scripturam, sive Epistolam, devotæ cuidam Animæ ex obedientia conscriptam, qua illi modum in Acquisita contemplatione tenendum demonstrat, in Lib. 6, Animadversione ultima, integrè referendam differo, opportunis notis a quibusdam censuris vindicandam.*

§. III. *Septima Scriptura est sequens:* Immense, incomprehensibilis Pater, Ingenite, nec procedens, sed æternaliter, & consubstantialiter dependens a te ipso (1) inexplicabiliter gaudeo, quòd tua increata, & illimitata scientia, quæ infinita, & vivacissima est intelligentia, causa sit actualis expressivæ, & realis cognitionis, tuo Divino intellectui, quo intimè vides, & intelligis te ipsum. Tuus autem Divinus Filius videns purissimo, ac simplicissimo intuitu te ipsum in te, & Spiritus Sanctus inextinguibilis ignis immensi amoris, intuetur te ipsum in te, & in tuo Genito; unde ex contemplatione Divinæ Essentiæ tuo contemplatæ intellectu, remanent hæ duo Divinæ Personæ in se ipsis, & per se ipsas beatæ immensa beatificatione, & felices. Jam dicta verò Essentia (2) Spiritus est existens tui, o Sanctissima Trias; sicuti natura Solis subsistentia est lucis, & caloris, eos in suo esse conservans. Est verò ipsa essentia vobis, o Divinæ Personæ, intima, præsentissima, & substantialis; cùm increata, & illimitata vestra substantia sit immortalis, & æterna, quæ fuit ante tempus, est in tempore, & perseverabit, uti est pulchra, speciosa, & deliciosa, in infinitum; non enim res fuit creata, quæ illam produceret, nec est quæ limitare possit. Non habet locum nisi (3) unicè, & realiter in se ipsa; & regnat effe-

(1) *Vide de hac periodo infra, Animadvers. VIII, §. III.*
(2) *De hoc vide infra, Secunda Parte, Animadvers. VIII, §. III, & IV.*
(3) *Vide infra, Secunda Parte, Animadvers. VIII, §. III.*

effectiva Potentia in omnibus rebus, non accidentaliter; sed substantialiter, infinitâ suorum Attributorum immensitate, quæ Attributa ab eadem dividi non possunt; sunt enim vobiscum ipsa: & sicuti homo sine Anima esse non posset, ita tu, mi Deus, sine tuis attributis non esses quod es. Infinitus es in omni genere, nec tibi augeri potest, aut minui gradus aliquis, vel minimus in bonis illis, quibus frueris in te ipso, tuæ virtute essentiæ. Vos, tres Divinæ Personæ, esse non habetis una ab altera distinctum, sed unaquæque vestrum idem esse, & indivisam continetis substantiam; estis quidem realiter distinctæ, sed non divisæ; nec stare potestis una sine alia, quia in eadem Essentia quod est una, est altera. O Deus Trine, & une propriâ tuæ essentiæ virtute. O principium absque principio ab æterno existens, te precor per tuam semper quietam, & semper operantem bonitatem, ut mihi Seraphin eloquentiam concedas, divino ignitam amore, ad hoc ut te possim frequentius laudare, tibique gratias agere, o Sol Sapientiæ, qui comprehendis intimè te ipsum, absque (1) motu intelligentiæ concomitante; eò quòd adeò efficaciter meum illuminaveris intellectum, ut effusivo modo, & ex immensa tua consubstantiali bonitate, ita subtiles percipiat intelligentias; hoc autem totum eo fine, ut crescat in me fides, augeatur spes, accendatur charitatis ardor. Quantò enim filius profundius cognoscit genitoris magnitudinem, tantò ardentiori eum amat affectu, propter ejus prærogativas, & perfectiones, sibi complacens de bonis intrinsecis, & extrinsecis, quæ Pater possidet; ita & ego, quò magis cognosco magnitudinem tuam, o mi Deus, cordis mei amor, eò strictius coarctor ad te amandum (2) puro, nudo, & simplici amore; atque unicè propter tuas prærogativas, & perfectiones, complacens mihi de tuis intrinsecis, & essentialibus bonis, quibus in te ipso frueris, magis quàm si bona ipsa ego possiderem; alia enim non desidero bona, quàm quæ tibi placent; contitens, quòd nihil est omne id, quod extra te amatur, aut desideratur; & si Creaturæ omnes me ipsam amarent, non in ordinem ad te, vellem quòd ab amore meo cessarent, ut te amarent propter te; quia tu solus omnium cordium mereris Amorem.

ADNOTATIO.

§. IV. *Quo tempore Intelligentiam hanc habuerit, & scripserit hæc Virgo, non mihi constat; quia tamen eam puriori, & profundiori stylo conscriptam, video, conjiciendum mihi videtur, hoc fuisse quando provectiori in ætate, aucta perfectione, in ejus pariter mente divinum augebatur lumen. In hac verò quod ad Animarum utilitatem attentius notandum crediderim, est finis, ob quem ipsa cognoscit se talibus donatam illustrationibus; ut videlicet augeatur in Anima Fides, Spes, & Charitas; hæc enim in suis Communicationibus est semper Paracliti intentio: fovere nempe suo lumine in Animabus tres istas Theologicas virtutes, & ad hoc nostra deberet*

(1) *Infra, secunda Parte, Animadvers.* 5, §. 4.
(2) *De hoc amore, Vide infra, Par.* 2, *Animadvers.* 9, §. 1.

ret collimare diligentia, ut scilicet satagamus spiritualibus a Deo impertitis consolationibus uti, non frui.

§. V. *Octava Scriptura, quæ est eadem cum decimaquarta, ut infra in* Adnotatione, *est subsequens.* Diebus multo jam tempore elapsis accidit mihi miserrimæ peccatrici, quod summo meo rubore, & confusione in his refero foliis. Sentiens me dulciter, & suaviter a Deo vocatam ad contemplandum, quòd Deus usque ab æterno divina sua mente decrevit hominem fieri, a sua motus essentiali, consubstantialique bonitate, qua veluti a torrente raptus, contineri in se ipso nequivit, uniens se substantialiter naturæ humanæ, communicansque Animabus nostris hujus unionis effectus, stans actualiter in actu perfectissimi amoris, (1) & quadam suæ bonitatis necessitate ductus ad nos amandum. Ex hac contemplatione crevit in Anima mea ardens desiderium non solùm amandi Deum amore virtuali, & per horas actuali, sed manendi, si mihi concederetur a Deo, incessanter, & inviolabiliter in actu formalis amoris, sicuti ante suam Divinam majestatem stant in Cœlo Beati (*nota hoc votum rei, juxtà Angelicum, impossibilis ex impetu esse charitatis, fingentis sibi aliquando in mentis excessu possibilia quæ possibilia non sunt; non tamen ipsa dicit hoc se adeptam, sed tantummodo, ut sequitur, præcipuè dilectionis raptu donatam*) Dominus pro sua bonitate desiderio meo perfectè satisfecit, trahens ad se mirabiliter, & efficaciter, veluti magnes, omnes potentias meas, tali amoris excessu, & in se transformatione, ut ipsi remanens totaliter, & perfecte applicata, intellectus oculo, fixo simplicique intuitu, admirarer, & ardenter amarem Mysterium ineffabile, & incomprehensibile adorandæ Triadis, non *Acquisita*, sed immediate *Infusa* contemplatione. Traxit enim Deus intellectum meum ad Divinorum arcanorum manifestationem; (2) nec in meo erat arbitrio ab hoc me subtrahere; eram enim tota absorta, & transformata in ipso, veluti si cui in somno phantasticè repræsentantur quædam accidentales species, nec in sua est libertate eas evitare, cùm in se ipso non sit (*nota hìc Raptûs, & potentiarum suspensionis aptissimè oblatam similitudinem.*)

Comprehendi quòd Deus Unus est in Essentia, Trinus in Personis; & quòd istæ tres Divinæ Personæ sunt invicem intimæ, præsentissimæ, substantiales, æternæ, & infinitæ in earum incorruptibili, incommunicabili Esse, & Natura Divina. Continent in se ipsis originem totius Esse creati, vel creabilis. Æternus Pater Abyssus est incomprehensibilis summæ simplicitatis. In sua Unica Essentia per correlationem prior est Filio, qui natus est absque Nativitatis principio, immediatè per Virtutem propriam essentialissimæ, vitalissimæ consubstantialis Sapientiæ Patris, qui Magnetis adinstar usque a sua æternitate expressive, & immoventi stabilitate, traxit ad se ædificium sui Divini Intellectus, absque

(1) *Quo sensu ista sit accipienda* necessitas, *vide infra, Par. 2, Animadv. 4, §. 5; & Animadvers. 6, §. 3.*

(2) *De his omnibus, quæ circa statum suæ contemplationis in hac Relatione scribit hæc Virgo, lege infra, Par. 2, Animadv. 9, 10, & 11; sicuti & lib. 5, Animadvers. 9.*

que præcedenti cognitione, sine motu Intelligentiæ concomitante, cognoscens intime seipsum, & videns omnia in seipso. Spiritus autem Sanctus, Ignis inextinguibilis Immensi Amoris, producitur a Patre, & a Filio. Verbum Divinum Vita (1) est Essentialis Patris; & Spiritus simplicissimus Divinæ Essentiæ, Vita est Patris, & Filii; quia si cessarent se amare, cessarent vivere. Hæc verò Augustissima Trias ob suæ Essentiæ Naturam infinitè est sapiens; lumen est Essentiale sui ipsius, atque Objectum est suæ beatificationis, & glorificationis. Sunt hæ Divinæ Personæ essentialiter eadem Bonitas, amantes se invicem infinitè, & incessanter, solo, unico, & simplicissimo actu Voluntatis expresso intra seipsas. Quod vult una Persona, vult alia, & totum vident, & comprehendunt duæ procedentes Personæ (2) Intellectuali, & passiva spiratione; et si desinerent se amare, desinerent vivere, quia Amor earum Vita, vitalis est. Sunt effectivè potentes (3), quæ potentia iisdem causat expressivam, & actualem existentiam; ipsisque possibile est facere omne id, quod earum vult naturalis inclinatio, & genium. Summam habent Justitiam, & propter ipsam Justitiam perfectè sunt, & immutabiliter Sanctæ, & propter earum (4) Misericordiam incapaces sunt admittendi in seipsis malum aliquod, suæ veræ præjudicans Bonitati. Essentialiter, & ex eorum natura pulchræ sunt; quæ pulchritudo longè superat pulchritudinem Solis, eique solummodò competit veræ, & infinitæ pulchritudinis principatus. Unde ipsam in se contemplantes, absque eò quòd aliò se vertant, sunt in seipsis, & per seipsas infinitè, substantialiter, & incessanter satisfactæ, & immensa beatificatione Beatæ. Attributa sunt Sanctissimæ Triadi intima, præsentissima, & substantialia; nec distincta sunt a Divina Essentia; quod est unum Attributum, est aliud, cùm sit Deus Actus purissimus, & simplicissimus, qui in operibus ad extra, quæ nos cognoscimus a Causis secundis (5), non potest Deus effectivè operari cum uno Attributo, sine aliis, quia sunt idem ac ipse; sicuti tres Animæ potentiæ operari effectivè non possunt una absque alia, quia realiter sunt ipsa Anima, contradistinguuntur invicem per Intellectum, qui Potentiam Animæ Intellectivam a Memoria, & Voluntate contradistinguit. In Deo dari non potest intrinsece distinctio aliqua formalis, nec per Naturam, neque per Intellectum (*nota, quid loquitur de Attributis, & addit ly intrinsecè, per quod formalitates ratiocinii nostri, & Deo extrinsecas non excludit*) & supradicta Attributa, veluti flores, in delitioso, amœnoque Divinæ Spiritualis Naturæ horto (6), cùm ab ipsa, ut ab origine procedant, non augentur, vel minuuntur, non solummodò in substantia, sed nec etiam in eorum effectibus, cùm infinita sint in suo genere. Est Deus vastissimus, amplissimus

(1) *De hac Vita vide infra, Par. 2, Animadvers. 8, §. 4.*

(2) *Quomodo accipiendum sit verbum hoc* Spiratio, *quod competit Paraclito, non Verbo, Vide infr. Par. 2, Animadvers. 8, §. 8.*

(3) *De hoc vide infra, Par. 2, Animadvers. 5, §. 4.*

(4) *De hoc vide infra, Par. 2, Animadvers. 5, §. 5.*

(5) *Vide infra, Par. 2, Animadvers. 5, §. 3.*

(6) *Vide de hac periodo infra, Par. 2, loco supracitato.*

simus Oceanus, altus sine mensura, latus absque limite, profundus absque fine, qui penetrat etiam profunditatem Abyssi; & quantò magis de illo comprehendebam, tantò magis remanebat, quòd comprehenderem; unde perfectè gaudebam, quòd Deus solus realiter seipsum posset comprehendere, & quòd meo sit Intellectui incomprehensibilis, nec esse posset nisi ipse infinitus, qui intimè omnia sua infinita complectitur bona. Ex effectibus suorum Attributorum, quæ sibi coæterna sunt, & mihi communicavit ex sua Voluntate, experimentalem acquisivi cognitionem immensi thesauri, quem Deus in se ipso continet, ad mensuram luminis, quod ipse in meo infudit Intellectu (1). Eram taliter deificata cum Deo Unione purissimi, & simplicissimi Amoris, ut aspirare non possem ad volendum, vel non volendum, nisi id quod Deus effectu suæ adorabilis Voluntatis meo inspirabat Intellectui, remanens in capacitate mea saturata perfectè, & satisfacta (2). Fruebar delitiarum, & gaudii Abysso, atque supernaturali, ineffabili, jucundissima, & felicissima beatitudine (3). Totum comprehendi absque eò quòd Intellectus meus sumeret species, aut similitudines ab Objectis sensibilibus; sed totaliter vacuus erat a formis, & imaginibus corporeis, & immediatè sublimique modo illuminatus a Deo ex sua singularissima gratia formis Spiritualibus & Divinis; replebat namque Deus seipso intimè Sacrarium Animæ meæ, volens ut gustaret tranquilla quiete specimen aliquod beatæ illius fruitionis, quam in suo communicat Paradiso. Non patiebar phantasmatum turbationem, nec distractionem mentis; sed in eadem semper eram applicatione; & certè videbatur tunc mihi, quòd nihil in rebus humanis tantam habere potuisset virtutem, & efficaciam, ut me a dulcissimis castisque Dei mei amplexibus valuisset avellere; quem fortiter impressum tenebam in Anima, atque summâ Spiritûs suavitate ejus experimentali fruebar præsentia, absque eò quòd violentiam meæ facerem imaginativæ. Absque labore, aut arte acquisitâ substentabar in illo excessu Unionis meæ mentis cum Deo, quem amabam silentio beatissimo, & tranquillissimo; nec loqui poteram: amittebat enim Spiritus meus totum seipsum in altissima Divinorum Attributorum introductione; neque applicare me poteram rebus exterioribus, cùm perfecte abstracta essem ab omni occupatione rerum inferiorum & vilium, stans incessanter fixa & immobilis in Deo, ecstatica admiratione, & Amore; meoque lumine naturali & obscuro prorsus expoliata, videns, & amans me ipsam in Deo, remanens tamen semper in meo esse & capacitate.

AD-

(1) *Ut bene interpretentur sequentes periodi ab his verbis usque ad finem hujus relationis, notentur quæ diximus lib. V, Animadvers. IX, & alibi; sicuti infra, Animadvers. X, & XI.*

(2) *De hoc gaudio, quod exageratio non sit, vide infra, secunda Parte, Animadvers. II, §. I, &c.*

(3) *De hoc Animæ statu, & operatione, vide infra, Animadvers. X, §. VI, & VIII.*

ADNOTATIO.

§. VI. *Relationes has suis Directoribus ab hac Virgine transmissas; quando in provectiori ætate clarius Dei lumen majori adepta erat Virtutum perfectionem, satis innuit, & Divinarum rerum altior intelligentia, & purior in eis conscribendis stylus. Maximè autem, ubi statum Animæ suæ in Raptu, quem patiebatur, describit, talis apparet Mysticarum elevationum profunditas, ut ego pro tenui mea harum rerum notitia, stupeam a Virguncula, scientiarum ignara, librorum copia, & lectione, ut alibi diximus, non assueta, paucis periodis, Mysticisque modis, ea omnia compendiosa expressisse brevitate, quæ de Unione Animæ cum Deo, Raptibusque elevatioribus longiore circuitu notarunt & Sancta Theresia, & alii insigniores Mysticæ scientiæ Doctores. In quo, ni fallor, Divinum ei lumen adstitisse satis dignoscitur. Quomodo enim, etiamsi voluisset artificiosè mentiri, tam sublimia, tantaque proprietate, inops, & literarum ignara, describere valuisset Muliercula? Verùm de hoc judicabunt alii; ego quod legi doctiorum propono examini, de ipsis judicium ferre non audeo. Quare autem contra suum morem hanc unicam relationem, paucis in initio mutatis, iterato scripserit hæc Virgo, investigare est arduum; dicam tamen quod conjicio; Jussam videlicet a quodam suo Directore, qui Animarum zelo in Italia conspicuus, ei per Menses adstitit, ejusdemque probaverat Spiritum, ex Obedientia istam iterasse sui Raptus relationem. Quam mihi suspicionem ingerit, quòd in quartadecima confusionem, & ruborem in his conscribendis fatetur, quòd in octava tacet; argumentum forsitan non leve ad demonstrandum, quòd hanc familiarius suis transmittebat Directoribus, illam novo Patri Spirituali cogebatur transcribere: Addo, quòd jam allatus Director in quadam sua Epistola dolet Scripturam sibi ab hac Virgine dicatam (& forsitan de hac quartadecima loquitur) a Directorum prudentia, qui talia publicari nolebant, fuisse præreptam. Hoc autem scribo, quasi divinans; cæterum iteratio hæc non fidem tollit, sed potius auget; non enim mirum est si ferè eadem scribit, dum eodem ducebatur Spiritu.*

CAPUT QUINTUM

SCRIPTURA NONA ET DECIMA.

§. I. *Scriptura Nona hæc est*: Comprehendi, quòd Divinissimus ille increatus Sol, postquam per infinita sæcula inter splendores inaccessibilis lucis in seipso felix & beatus, cùm Ens sit in seipso omnes claudens perfectiones, voluit ab Abysso æternitatis tempus educere, in quo se communicaret, non quidem per Essentiam, cùm ab ipsa dividi nequeat, nec etiam per Intellectum separari, est enim substantia naturalis secum identificata, quia Deus est Actus purus, nudus, simplex, incommutabilis, qui remanet semper stabilis in seipso, sicut splendor in Sole, qui numquam mutatur; sed se

se nobis communicavit effectibus suæ magnitudinis, quos habet ex suæ Essentiæ Virtute; & sunt Gratia sufficiens, concomitans, subsequens, & actualis; ut sic promoveret in cordibus humanis accidentalem suam gloriam, dummodo nos operum gressu ejus sequamur vestigia. Ipse enim humili, zelanti, & discreta exhortatione, correptione, & admonitione, suum ducit Gregem, Animas scilicet, sui pretiosi, vitalis Sanguinis fructus, ad amœna suæ magnitudinis prata, in quibus pascua sunt omnium accommodata capacitati. Intellexi etiam, quòd Deus in seipso regnat in suæ Essentiæ Throno; sua Corona æternitas est; subsistit enim substantialiter in seipso; atque intimè est omnipotens, quum omnipotentiam gerit in manu, veluti Sceptrum, a se ipso derivans; quæ omnipotentia simplex est in seipsa, atque eò fortior, & divinior; omnia siquidem potest destruere, & creare omne id quod creatum non est, omnes res videlicet, quæ sunt in esse creabili, & sine divisione, aut distinctione in Actu sunt ipsius omnipotentiæ. Imperavit mihi ut Servo suo dicerem, quòd in acceptandis quæ sibi offeruntur, meriti occasionibus, diligentior esset; idest, ab aliorum amaritudine cor traheret tanquam mel dulce, suavitatemque spirans; & quòd id volebat ob Spirituale Animæ ipsius lucrum. Quia sicuti quando nubes aliqua Soli opponitur, non potest ipse suos radios, atque influxus terræ communicare; sic ille suis me impedit defectibus; ita ut in eo splendidiores meæ Gratiæ radios non influam, & ardentioris calorem Amoris.

ADNOTATIO.

§. II. *De tempore, quo hæc fuit scripta relatio, nil potui concipere, & pauca lego, quæ observem; brevi etenim, & compendioso exarata est stylo. Non desunt in ea tamen aliqua notatu digna; dum enim ea, quæ omnes scimus, ipsa contemplatur & refert, nonnulla vulgaribus interserit nobiliora, quæ Divinum ei assistens lumen accusant; sed de hoc judicabunt, qui in eadem notare voluerint quosdam loquendi modos, & phrases, ex quibus, ut vulgarem transcendentibus notitiam, altiorem causam eruere nos cogunt; si etenim vulgaria sunt quæ dicit, vulgares non sunt sensus aliqui, & dictiones, quibus loquitur. Ego interim crediderim ipsam hujusmodi relationem transmisisse alicui ex suis Directoribus, eo præcipuè consilio, ut Deo pareret jubenti, quòd eumdem humili moneret zelo. Erat enim fortè cum pœnitentibus, non ut par est, mitis, & patiens; unde eum voluit Deus patientiam, & suavitatem docere, qua egent aliquando zelantes nimium Directores. Nobiles enim sunt Animæ, & suavitate flexibilique quadam firmitate, & dexteritate faciliùs ducuntur, quàm rudi præcipitique zelo. Nec mirum videatur, aut superbiæ adscribatur, quòd pœnitens, quando Deus hoc imperat, proprium Patrem spiritualem audeat humiliter, & modestè corripere. Hoc siquidem non calumniabitur, qui in vita Sanctæ Catharinæ Senensis legerit quoties ipsa Beatum Raymundum suum Directorem monere non dubitavit; imo qui Epistolas viderit tum ejusdem Virginis, tum Sanctæ Birgittæ, in quibus mirabili Spiritus libertate, vel Summo scribunt Pontifici.*

§. III.

§. III. *Sequitur nunc Scriptura, seu Relatio decima.* Ad Dei gloriam & mei ipsius confusionem, scribo quod mihi in quadam mea accidit infirmitate. Dum enim actualiter cœlestem contemplabar Hierusalem, (1) expoliata fui meo naturali obscuroque lumine, & alio vestita supernaturali, & a Deo infuso, (2) quo me traxit ad nudam & simplicissimam suam Unitatem, & peculiari sua gratia me secum unum fecit Spiritum. Remansit Anima mea submersa in mare pacis, itaut liquefieret suavitate, & amore, ac si Deo unita has Divinas comprehendi notitias. Quòd scilicet Regnum Dei est æternum, cujus centrum est *semper*, circumferentia *numquam;* atque ob id in eo perpetuâ Animæ fruuntur pace (3). Fabricatum est rutilanti auro, Topaziis, Margaritis, Smaragdis, nitidissima Crystallo. Abundat liliis, rosis, pulcherrimisque floribus, ex quibus Ver beatum resultat. Ibi splendet immensus, æternus, increatus, & supersubstantialis Sol ille, qui suâ illuminat Sapientiâ beatas Animas contemplatione manifesta eorum omnium, quæ nos fide credimus, & præsenti cognitione totius, quod hic in obscuritate cogitamus; atque calore suæ bonitatis eas inflammat ad amandum, secura jam fruitione bonum illud, quod nos amamus. Exulat ab illo regno timor omnis, propter formalem, actualemque unionem, quam Animæ beatæ habent cum Deo; & spirat ibi suavis Auster, & recreativus, qui aura est Spiritus Sancti. Ibi a Deo, ut a vitæ fonte, rivi fluunt abundantes æternæ dulcedinis super Animas beatas, quæ juxta eorum capacitatem fruuntur plenitudine lucis, actualique æternitatis cognitione.

Vidi Episcopum Naselli, & Archidiaconum Poggi, jam defunctos (*Primus suus fuerat Episcopus, qui de ea, res suas cautè examinando, zelum habuerat. Secundum ipsa ad vitam evocaverat, & acquisierat perfectiorem, ut longius Lib. 2, cap. 10, §. 3, & 4 descripsimus*) Erant Vestibus nive candidioribus amicti, luce circumdati, & cœlestibus læti gaudiis, atque perfectissimo excessu beati, vivebant in simplicissima Dei Trini, & uni Divinitate. Hi ergo dixerunt, quòd me summo expectabant desiderio, mecumque de meis congratulabantur Crucibus, exhortantes, ut eas rectitudine, justitia & sanctitate ferrem; erant enim Deo acceptæ, iisque illum glorificabam. Addidere, quòd gaudebant in me videndo afflictam, & angustiatam; quia spinæ hæc in æterna die a me vehementer optata, rosas germinabunt; pœnæ nempe vertentur in gaudia, cùm a dilectissimo meo Sponso Jesu Christo audiero me vocari. Veni Sponsa mea de Libano, veni & coronaberis; idest, veni ad videndum intimè & plena transformatione me bonum, quod jucunditatem bonorum omnium essentialium, & substantialium contineo, quæ bona virtute habeo propriæ meæ vitalissimæ Essentiæ, quæ mei simplicissimi esse origo est, & in ipsa vivo, quasi in mea vita; & in qua deficit multiplicitas, quia est simplicissima. Dixerunt iidem insuper mihi, quòd gauderem memoria essentialis præmii, quod reservabat mihi Sponsus meus Jesus Chri-

[1] *De hoc, & sequentibus, vide in 2 Parte, Animadvers.* 10, 11, & 12.
(2) *Vide infra, Animadvers.* 2, §. 1, & 3. (3) *De hac Paradisi descriptione, vide infra, Parte 2, Animadvers.* 3, §. 4.

Christus ob Cruces & tribulationes, patientia, promptitudine, & affectu toleratas; circundabit enim me diademate æternæ lucis, & gloriæ, qua beatificata ero & prompta ad celebrandas purissimas, ardentissimasque Divinæ Maiestati Laudes, & dicam: O quam amabilis est ille Deus, qui ab æternitate ad suum gloriosum me destinavit Regnum! In die finalis Judicii individuum meum resurget, & propria quatuor Dotium virtute, ad cœlestem ascendet Hierusalem; ubi sensus omnes suis fruituri sunt actibus. Oculi speciosissimam cernent pulchritudinem, Gustus saporem dulcissimum, Tactus indicibilem experietur suavitatem, Odoratus prætiosissimam fragrantiam, Auditus jucundissimos sonos, quod totum eveniet, quia bono, quo gaudebit Anima, participabit & corpus. Quibus dictis ambæ jam supracitatæ animæ suum clausere colloquium, hac me relinquentes benedictione: Potentia Dei Patris, Sapientia Dei Filii, Amor Spiritus Sancti descendat super te, & maneat semper.

Comprehendi jam dictas substantiales Intelligentias *Passivè* cum spiritu quieto, & tacito, nullisque aut gustibus, aut particularibus notitiis innixo (1). Perdiderat enim spiritus meus se ipsum, quo ad operationes in supradicto lumine fulgido; & se ipsum ita amittere summa est fœlicitas. Essentia mei Spiritus unita remansit dicto lumini, quod origo fuit intimæ dictarum Intelligentiarum emanationis. Dictæ autem Intelligentiæ in Anima mea effectus produxere constantes, fortes, substantiales, fundamentales, & virtuales, scilicet sequentes. Remansit intimè cor meum ardens vivâ, dulci, suavique flammâ puri, divini, perfecti, & Sancti amoris, itaut liquefieret, & me cogeret ad exclamandum: Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum. Acquisivi insuper mei ipsius contemptum; itaut ab aliquo cognosci nollem, aut æstimari, cum veritate habitans in abysso meæ nihilitatis, infallibiliter noscens, quòd si quid boni est in me, id omne donum est, & gratia Dei; imo diligens meæ nihilitatis profundum & nihil, ad hoc ut omne omnium bonorum existimetur Deus. Contraxi ulterius ingentem (2) puræ, simplicis, & nudæ fidei dilectionem; sufficiebat siquidem mihi credere, quòd Deus sua facultate, & omnipotenti virtute omnia potest. Adepta fui ulterius perfectam in Deo resignationem, quæ totius christianæ perfectionis est principium & finis; ut origo & fons, a quo omnes emanant virtutes; imo earumdem natura est, & essentia; quia per ipsam reducuntur illæ ad suam unitatem cum majoris perfectionis multiplicitate. Hac resignatione ex Dei gratia vivebam Dei subjecta beneplacito in omnibus tam in patiendo, quàm in non patiendo, tam in operando, quàm in non operando, non repetens a Deo me ipsam, sed respiciens, & agens omnia in Christo, & per Christum, ad instar Apostoli, qui dicebat: *Vivo ego jam non ego, vivit verò in me Christus*. Hoc autem mihi contingebat, quia voluntas divina

(1) *De hoc interno statu in Contemplatione, vide infra, secunda Parte, Animadvers.* 10 *per totam*.

(2) *De hac Fide quid sentiendum, vide infra, secunda Parte, Animadvers. Ultima*, §. 5.

vina nodus est, & vinculum amoris amantis erga amatum (1). Est Divina ineffabilisque ebrietas, qua redditur Anima ita sui ipsius immemor, ut sui Domina non sit; in Deo siquidem omnem suam amisit proprietatem: sicuti enim stilla vini si in flumine projiciatur, aut mare, colorem statim vini, atque saporem amittit, & transformatur in aquam; sic evenit Animæ, quæ privata omni humano remanet desiderio, propriæ deficit voluntati; in divina siquidem immergitur voluntate, impotens volendi nisi quod vult Deus. Conservatur in hoc statu immobilis quasi terra in suo centro; & veluti transformata in Deo, atque unita Verbo, nato ex Patris intuitu, atque virtutum omnium exemplari. Et sicut Deus ad alia se vertere non potest extra se ipsum, omnia suo proprio intellectu contuens in se ipso, & per se ipsum; sic & Anima illa ad suos se non potest vertere affectus, seu ad alia, quæ sint extra Deum, cùm ipsi verè suam donaverit voluntatem [*notentur quæso quæ sublimia de hac nostræ voluntatis scribit resignatione*]. Contraxi etiam ex supra narratis ingentem erga arborem Crucis amorem, cui patientiæ amplexibus unita, ejus fructuum participabam amœnitate, & mellifluitate, quibus fruebar inter pœnas ipsas, intima, & tranquilla animi pace, meo dicens afflicto corpori: Jubilemus Deo salutari nostro. Accessit tandem mihi ingens æstimatio cœlestis virtutis, sanctæ, & sanctificantis obedientiæ, quæ pretiosa est gemma, sed a paucis pretio habita, quia pauci ejus cognoscunt valorem. Tu es lux, quæ non decipit; speculum, quod veritatem ostendit; Basis, & columna spiritualis fabricæ; Sceptrum vitale, germen amoris, rosa veris humilibus, atque obedientibus sine spinis; balsamum pretiosum ante conspectum Dei suam spirans fragrantiam. Auster dulcis, & suavis, qui affectus movet Animæ; attrahens magnes, quæ animam a se ipsa rapit, ut eam quieta fruitione uniat Deo; pondus leve; catena, quæ Animam cum Deo devincit; æternitatis Arbor; Gubernaculum ducens ad portum tutæ perfectionis; aurora, quæ illuminat; ignis purgans; gratiarum thesaurus. Mi Jesu, Æterna Patris Sapientia, fac ut ardenti studio avida sim semper hujus sanctæ obedientiæ, currens sine lassitudine post suorum unguentorum odorem. In odorem unguentorum tuorum currimus, adolescentulæ dilexerunt te nimis.

ADNOTATIO.

§. IV. H*Anc relationem, quam libenter hoc nobilitarem nomine,* Triumphus Spei, *scripsit hæc Virgo, ut facilè conjici potest, dum in suo decumbens pœnitenti lectulo, continuis, magnisque torqueretur, tum infirmitatibus, tum Dæmonum insidiis, antequam scilicet ad Pisanum se conferret Xenodochium, circa vigesimumoctavum suæ ætatis Annum. Causa hujus Apparitionis Divina fuit Misericordia, ut tot tormenta aliquo leniret Spirituali solatio; finis verò, Spei alimento, ad cruces perferendas eidem robur addere, in quo Spiritum hujus Virginis Paradisi fovit intelligentia.*

 Verùm,

(1) *De hac resignatione, & de ea sequentibus dictis, vide infra, Par. 2, Animadvers. 5, §. 5; & Animadvers. 9, §. 4.*

Verùm, quia tolerantiæ sæpiùs repugnat sensibilis cordis fragilitas, solet Deus utrasque partes Animæ, superiorem, & inferiorem ad se misericorditer, ut plurimum, allicere, atque ideo Spirituali Paradisi Visioni, sensibus accommodatam duarum illarum Animarum addidit Apparitionem. His ergo duobus interius & exterius roborata auxiliis hæc Virgo, in quemdam Spei jurè prorupit impetum; sibi rememorans ea, quæ omnibus Christo verè inservientibus, fide innixa Spes Christiana promittit. In hac igitur relatione notandum est, quid Spes, operibus associata, possit in Anima, dum mirabiles legimus effectus, quos in ejusdem Anima operata est hæc Virtus: inter quos præcipuè observari velim perfectæ Deo, ejusque Voluntati resignationis modum, & laudes; profundè siquidem, & altiori stylo de hac ipsa loquitur; quæ tamen non de omnibus usurpanda sunt, sed de paucis, quia pauci veram, & totalem Deo offerunt sui resignationem, vel oblatam operibus custodiunt. Si quis verò se Deo ex toto corde dederit, & sacrificium sui ipsius per aliquod tempus, proprias edomando passiones, compleverit, experietur in se vera esse, quæ Maria Catharina altiori de hac resignatione scribit lumine; & nos alibi pro nostra tenuitate explicare studuimus; sed fatemur scopum non tetigisse, quem expertis maximè attingendum relinquimus.

CAPUT SEXTUM

SCRIPTURA UNDECIMA.

§. I. FAteor Dominationi Tuæ Illustrissimæ causam hujus meæ infirmitatis, ex qua coacta sum per ferè duos Menses in lecto decumbere, concedente tamen mihi, non sine quasi miraculo, Divina Misericordia, ut in festivis diebus Sacrificio Missæ interesse possem, & Sanctissimâ Eucaristiâ, licèt indignissima sim, me reficere, post quæ iterum decumbere cogor. Exivi tamen aliquando, jubente Deo, ut Viduam quamdam invisens, eidem suaderem perditionis viam, qua pergebat, relinquere, & salutis iter arripere, sicut ex Divina evenit Misericordia. Mulier siquidem illa ad Deum conversa, sanctis moribus, & summâ eorum, qui eam noscunt, vivit ædificatione; ad quod misericordiæ opus ex improviso robur mihi Divina subministrabat Bonitas. Causa igitur hujus meæ supernaturalis infirmitatis, quæ crudele mihi videtur martyrium, morior enim continuè, absque eò quòd verè moriar; causa inquam est intima inexplicabilisque pœna, quam patior, cognoscens quòd Deus est infinitè in se ipso amabilis, & tamen homines eum incessanter offendunt; ab ipso fugiunt; eumdem despiciunt, exeuntes ab eorum centro, qui Deus est; atque usurpantes sibi id quod Creatoris est, summâ scilicet cœcitate seipsos avertentes a Deo; & vitiosè se creaturis donantes, quibus omnes suos dedicant affectus, a sensûs & carnis abstracti blanditiis. O stultissimi homines, qui sibi complacent vivendo a Dei omnipotentis virtute segregati; unde miserum nihil evadunt, suæque mentis dignitatem floccifa-

sifaciunt, atque Dei in se fœdant imaginem! Non sunt isti ita ignorantes, ut proprias miserias quotidie non videant; sed ex summa malitia videre dissimulant; atque ut viles suas non amittant oblectationes, errores ipsos tueri nituntur. Quod autem crudelius cor meum, velut lancea transfigit, est quod mihi revelavit Deus, quòd Animæ istæ N. N. (*aliqua, quæ in particulari nonnullos lædere possent, & hæc Virgo summa confidentia suo aperuit Directori, silentio supprimenda censuimus*) in propriis obstinatè remanebunt culpis (1). Quadam certitudine, quæ a me omne excludit dubium, videtur mihi, quòd Deus infinita sua Bonitate augeret in me dona, quæ jam tibi sunt nota, ad hoc ut Animæ illæ, a suis resurgentes vitiis, pœnitentiâ ad Deum redirent, se convertentes a vanis illecebris ad id, quod stabile est, & æternum, seque unientes indissolubilibus Fidei, Spei, & Charitatis vinculis Deo suo origini (2); cùm eorum Animarum salus dependeat ab eo, quod in me debilissimo suo instrumento operari dignabitur Deus. Quamvis autem (3) de hac certa sim; ex Divina nihilominus Misericordia veraci submissione subjecta vivo Voluntati Dominationis Tuæ Illustrissimæ, in qua Dei Voluntatem cognosco, & ex qua vivit & reficitur Spiritus meus, utpotè eidem perfectè conjunctus. Relinquit enim mihi inspiratio firmam, stabilemque Voluntatem, qua assentiri nequeo nisi iis, quæ tua mihi jubebunt oracula. Non tamen mihi liberum est non credere, quòd a Deo jam dicta sit inspiratio. In tali statu vita mihi mors est, cupiens, si Deus vellet, mori, & in Mortis Articulo ea omnia substinere tormenta, quæ Sancti toleraverunt Martyres, imò totam pœnæ sensus atrocitatem, quam experiuntur damnati, si per hoc Dei offensas impedire possem. Si hoc eveniret, cessarent utique, quia cessaret eorum causa, tormenta quæ passa sum, & patior, adeò gravia, ut cor mihi aliquando ob tales angustias ita palpitet in pectore, ut talis palpitationis strepitum multi audierint familiares, ejusque violentiâ copiosum evomui sanguinem, duæque ex parte cordis taliter elevatæ sint pectoris Costæ, ut per duos dies periculosam viderer perpeti corporis inflationem.

Dum hæc patiebar, exarsit quadam die in corde meo ardens desiderium, a paterna Dei proveniens bonitate, quo optabam, si mihi foret possibile, Deum amare, illorum etiam omnium vice, qui eum non amant. Meam tunc cordis ansietatem ex sua bonitate solatus est Deus, infusa quadam, nova, & numquam prius experta luce, quæ fuit ecstasis, sive mentis excessus tam sublimis, ut nec linguâ, vel calamo valeam exprimere. In eadem splendida, & divina luce vidi ingens meritum, quo Deus, substantia immortalis, æterna, ab omnibus in se ipso, & per se ipsum meretur amari (4) propter suas perfectiones substantiales, & supersubstantiales, cùm in se sit deliciarum

(1) *De hoc videatur P. 2, Animadvers. 2, §. 4.* (2) *De hoc perpende quæ diximus infra, secunda Parte, Animadvers. 2, §. 4.*
(3) *De tali certitudine lege infra secunda Parte, Animadvers. 2, §. 4.*
(4) *De hoc Amore videatur infra, Pars Secunda, Animadvers. 9, §. Primo, &c.*

tum abyssus; & quia nostrum est, a quo dependimus, principium. Ex hac cognitione exarsit in corde meo erga Deum fervidus amor, cum viscerum mearum liquefactivo motu; adeò, ut sanguinem evomerem, ita accensum, ut me veluti ignis, ubicumque tangebat, combureret, tali excedenti dolore, quòd, ut Medicus notavit, sine pulsu remanerem; testante ipso Medico Directori meo P. Bonaventuræ, alioque ipsum associanti Religioso, qui præsentes tunc erant, quòd sine miraculo vivere non poteram. Hæc tamen consolationis gratia, amorisque excessus, altè lætificavit afflictam animam meam intimo, suavi, dulcissimo, & cordiali jubilo; (1) permansi etenim per continuum quatuor horarum spatium in excessu mentis, unitæ cum Deo; & in hac charitatis unione sic mentaliter cum Deo loquebar: O altissima, simplicissima Veritas, nuda, & ab omni creata specie soluta, ratione tuæ spiritualis, & increatæ naturæ. O Omnipotens Deus, qui veritate tuæ æternæ incommutabilis Sapientiæ omnia moves, sicuti facis nunc in anima mea, impatiente te amandi, & quòd ab aliis ameris. Ex Abysso enim tuæ bonitatis immisisti in intimo Animæ meæ splendorem candidæ & puræ lucis, gratiam scilicet, qua te vice omnium amo; in te ipso remanes immobilis, & tranquillus.

Quadam die, dum ingenti me flagellarem Spiritûs fervore ob animarum salutem, juxta meorum Directorum voluntatem, vidi visibiliter Dæmonem, horribili atque irato aspectu, qui mihi videbatur cœlum magnis obtectum nubibus, ex quibus emitteret tonitrua, & fulgura, quasi totam vellet meam Domum evertere. Hoc ipse faciebat, ut me a pœnitenti mei ipsius flagellatione, vel ipso timore distraheret. Sed ex Divina misericordia majori non destiti me flagellare spiritûs ardore. Hoc ille videns, majorique actus furore, & rabie se ipsum contra me veluti jaculavit, flagellum a meis manibus erepturus; cernensque me illud toto meo retinere conatu, impetuosiori sua violentia, idem de mea extorsit manu, adeòut in manibus meis remanerent per plures dies, nigerrimo testante livore, digitorum ejus vestigia; eodemque flagello taliter meum percussit brachium, ut tumorem in eo reliquerit, atque ita acrem dolorem, ut Balsamis illi succurrere sim coacta. Ipsi tunc sic loquuta sum: Impero tibi in virtute nominis Jesu Christi, ut mihi ereptum restituas flagellum, ad hoc ut me flagellando perseverans adimplere possim obedientiæ mihi injunctæ actum, ad confusionem inobedientiæ illius, qua tu humanitatem Domini nostri Jesu Christi adorare pro tua renuisti superbia. Tunc ille ejulans, dentibusque stridens, flagellum super meos projecit humeros, quo dum ego incœptam prosequerer pœnitentiam pro tempore, quo obedientia mandaverat, Dæmon summo mihi dixit furore: Væ tibi, quæ me taliter offendis, dum pro Animarum salute continuis te exerces jejuniis, orationibus, cruentisque flagellis; experieris enim meæ rigorem indignationis, qua te faciam tremore concuti; in omni quod facis, tibi contradicens bono. Satagam, ut in oratione phantasmatum motus, mentisque

(1) *De hac Raptus duratione videatur infra, P. II, Animadvers. II, Paragrapho Sexto.*

risque patiaris evagationes; in pœnitentiis tepiditatem & repugnantiam, in jejuniis finem humanæ laudis suggeram, ac si ad instar Sanctæ Catharinæ Senensis extimari cuperes. Tibi tædium ingeram cujuscumque devotionis, & nauseam, atque e contra omnis insinuabo complacentiam vitii. Tentabo varias artes, quibus immittens in corde tuo pravas cogitationes, te ad peccata pertraham. Tuum obscurabo intellectum infidelitatis nube, qua tuæ Fidei lumen extinguam. Tibi suadebo, quòd non veritatem amplexata es usque modò, sed umbram; unde sublato a te veritatis lumine, id quod amplius non cognoscas, amare non poteris. Addidit insuper: Cogitas mecum pugnare posse, qui naturalis meæ scientiæ subtilitate Salomonem vici, & Davidem? Nonne exempla te convincunt innumerabilium Animarum, quas mecum ad Infernum traxi? Stulta es si mecum præliari audes; & magis tibi expediret tuæ certitudini incumbere salutis, quàm proximorum, de te incerta, zelare beatitudinem. Ab ista tentatione hoc traxi utilitatis; quòd Dominum benedixi, eique gratias egi, eò quòd auxilio mihi fuit, ne tentationi succumberem, dicens: Benedictio, Claritas, Sapientia, Gratiarum Actio, Virtus & Fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum. Addidi etiam: O Verbum natum substantialiter, & personaliter Identificatum cum Essentia tui Æterni Patris, quæ semper in ipsa remanes, ut in primo & simplicissimo principio Personalis tui Esse; sicuti Sol luci se communicat & calori, & tamen remanet Solis essentia (1). O nihilum æternum, qui nihil es creatarum rerum; vivis, & subsistis virtute propria tuæ consubstantialis Essentiæ. Intellectualiter percipio (2) quòd tua omnipotentia Causa est, quòd existis in tuo perfecto & æterno Esse, a parte ante & post. O præclarissima Sapientia, te humiliter precor per tuam infinitam Bonitatem, ut conserves, & augeas in Anima mea lumen Fidei, quæ lux est, qua omnia videmus, & simul caligo, quæ in se claritas est lucidissima; nec in se admittit accidentia, aut mutationem aliquam; est enim perfectissima, in qua defectus aliquis reperiri non potest. Est Veritas ita certa, ut a prudentibus, & illuminatis mentibus, aliquid ipsi contrarium cogitari non possit; procedit enim a Veritate, quæ non valet mentiri; a Sapientia, quæ non potest decipi; ab Omnipotentia, cui nihil est impossibile. Est Tuba, quæ vocat, & allicit omnes ad tuum Amorem, dicens: Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & a generationibus meis implemini. Ecce Mater pulchræ dilectionis. Spiritus meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel & favum. Vinum & Mustum lætificant, & super utraque dilectio Sapientiæ. O mi care Amice, & dilecte Sponse, solare me concedendo ut vivam per totum vitæ meæ cursum animo, & corde attento semper, & unito ineffabili tuæ Veritati; sic enim confundetur Dæmon, veritatis inimicus.

ADNO-

(1) *De hac dictione, lege Par. II, Animadvers. VII, §. I.*
[2] *De hoc, vide in secunda Parte, Animadvers. V, §. IV.*

ADNOTATIO.

§. II. *Circa Vigesimum Sextum suæ ætatis Annum exarsit, Deo movente, in corde hujus Virginis fervidus de salute animarum zelus, ac proinde se exercendi in promovenda peccatorum conversione, simul cum interno Divinæ Inspirationis impulsu, ita ardens, & quasi impatiens desiderium, ut dilatum per Annos, (sicuti alibi retulimus) ex prudenti eorum, qui tam insolitam probare debebant vocationem; ipsam, impellente interius Deo, sed retardante, & quidem justè, humanâ prudentiâ, continuò extrinsecâ spiritus violentiâ langueret, cordis palpitationes, & ferè continua pateretur synthomata. Crescente igitur ex zelo infirmitate, Episcopo suo Directori, ut eum ad promovendam citius se in animarum salutem exercendi licentiam solicitaret, hanc scribit relationem; in qua proprii Spiritus anxietates, et ob easdem corporis fatetur infirmitates, ex mora, qua violenter frænabatur sæpius a Deo repetita inspiratio, redundante in sensibus a vehementi charitate concepto spiritus ardore. Qua veritate infirmitates suas ex peccati odio, Deique offensi dolore provenientes, ipsa describat, quia alibi satis jam retulimus, hic superfluum esset referre; & satius erit aliqua in his, quæ ipsa hic scribit, ad nostram animadvertere utilitatem; multa enim, & animabus proficua notari possunt, ni fallor. Primùm; quomodo placeat Deo Animarum zelus, & erga salutem proximorum ardens charitas, quam hic cernimus ecstatici amoris, præmii loco, prosequutam deliciis; ex quo haurire licet, quòd sicut Amor Dei amorem proximorum gignit, sic viceversa, quantò ardentius proximos amamus, tantò sublimiori charitate Deum diligimus, donante Deo, ut inflammetur ex sui amore Animarum Amor, & ex hoc accendatur ferventior in Deum dilectio. Secundùm; quòd tormenta, quæ pro Dei gloria patimur, Divinæ ferè semper prosequuntur consolationes; dum hic legimus, qua charitatis suavitate solatus sit Deus hujus Virginis ex zelo infirmitates; ex quo colligendum, quòd in toleranda Cruce, sive interna, sive externa, quam dat, aut permittit Deus, nos roborare debet secura spes, quod Spiritu Sancto per os Davidis promittente exultabimus aliquando dicentes:* Secundum multitudinem dolorum meorum consolationes tuæ lætificaverunt Animam meam. *Tertium, quòd præcedentibus Divinis suavibusque communicationibus, subsequuntur ut plurimum tentationes, & internæ Spiritûs Cruces, quasi velit experiri Deus an participatis animæ deliciis, quæ ad viriliter præliandum, non ad otiosè fruendum, donantur, in pugnando pro sua gloria, ut par est, uti velimus. Unde non sine mysterio gaudiis, quæ descripsit, succedentes tentationes subdit hæc Virgo; ut discamus in internis Spiritum allicientibus Dei misericordiis, non amoris proprii, licèt spiritualis, gustum attendere, sed alimentum, quo ad futura cum Dæmone armemur prælia, & robur sumere. Quartum tandem; quòd ingruentibus tentationibus, ad resistendum fidei utamur clypeo, quem ipsam hic vidimus viriliter impugnasse. Principis Apostolorum obediens dicto:* Cui resistite fortes in fide.

CA-

CAPUT SEPTIMUM.

SCRIPTURA DUODECIMA.

§. I. AD Dei Gloriam, meique confusionem, certiorem facio Dominationem Tuam Illustrissimam, quòd meum iter Massam versus, magnâ mentis meæ in Deum recollectione peregi. Antequam Essedum conscenderem, intimo cordialique affectu ante Æternæ conspectum Sapientiæ proposui ad nullum terrenum objectum oculos vertere, Divinæ Gratiæ splendore cognoscens, pompas omnes visibiles despicabile lutum esse; quem, ut talem, animo conculcabam; & cernens quam sint omnia sensibilia nostro indigna affectu, existimabam solummodò pretiosum Divini Amoris aurum, qui magni ponderis est & valoris. Atque ita expoliata rerum omnium terrenarum curâ, meæ orationi principium dedi; eo solummodò fine, ut Dei mei in me cresceret Amor, sciens quòd, quantò magis gemmæ alicujus valor dignoscitur, eò ardentius desideratur. In hac Meditatione Deus ex sua Gratia & liberalitate, cursum fluminis suæ Bonitatis ad me inundandam laxavit, communicans mihi majori largitate sua dona, inter quæ hoc fuit sublimius, quòd tenui meo Intellectui demonstravit quid Ille sit (1). Vidi quòd est substantia immortalis, æterna, simplex, nuda, immutabilis, incorporea; Spiritus existens, cujus Essentia est sua Vita, & operatio. Est Intelligentia summa, verax, quæ in seipsa, & per seipsam cognoscit, & penetrat omnia. Est Essentia Divinissima, perfectissima, infinita, semper unice unica. Mens altissima, vitalissima, essentialis, quæ intelligit seipsam, & vivit in seipsa; & sua Vita rerum omnium est principium & finis. Est Deus subtilissimus, excelsus, sublimis, nobilissimus, liber ab omni forma extrinseca & accidentali. Est in se summum, atque infinitum Bonum, continens omne id, quod est pulchrum, pretiosum, honestum, purum, sanctum, amabile, & desiderabile. Est æternarum delitiarum fons inundans, gratiarum & bonitatis abyssus. Continentur in ipso divitiæ, honores, virtutes, potentia, gloria, pulchritudo ineffabilis, immensa, excellentissima, incorporea, veri Amoris jucunditas. Interminabilia sunt Divinitatis spatia, & immensæ suorum Attributorum, & perfectionum latitudines; quæ Attributa ipsi sunt intima, præsentissima, & substantialia. Ipse est Animarum beatarum diadema, Angelorumque gaudium, fœlicitas, & requies. Spirat fragrantiam florum, & aromatum. Erit æternus Deus infinitè in seipso felix, infinitè beatus; & omnes istæ perfectiones Divinæ stant in suo Esse immutabiles, tamquam in proprio fonte. In hac dulci, suavi, & Divina Contemplatione Spiritus meus se dilatabat in gaudii sensibus; naufragabam in cœlestium delectationum mari, remanens fixa in Deo, & immobilis, absorta in admirabilibus Divinis veritatibus, quibus tranquillissimo fruebar silentio. Rediens ad me ipsam dixi: O

(1) *De hoc, lege infra, secunda Parte, Animadvers. 2, §. 3.*

mi Deus, & quare non omnes te amant, & tuo non ardent Amore? Pro summo hujus Amoris desiderio, omnia liquefieri deberent corda, & mori ex ardenti Amoris tui anxietate. O sempiternum, & summum Bonum, fateor quòd hac de causa plango & suspiro, ardenter cupiens, quòd omnes te unice diligant. O dulcis, amabilis, & care mi Deus, solare in hoc Animam meam, humilem tuam, pauperemque ancillam.

Antequam e rheda exirem audivi interiori loquutione juberi mihi a summo meo Bono, Mundi Redemptore [1], Sanctorumque, & Prædestinatorum capite, quod irem ad Ecclesiam Beatissimæ Virginis, quam Gratiarum dicunt, & ibi dulci Meditatione conceptum effunderem charitatis ignem, quo, infundente illum Deo, inter vehementes Amoris flammas ardebat cor meum; & quòd ibi aliquantisper moram trahens, pergerem postea ad Hospitium dictæ proximum Ecclesiæ, atque ibi per unum diem, noctemque immorarer. Jussit etiam mihi silentium, meæque linguæ custodiam, non loquens, nisi quando Dei honor verba posceret, vel Animarum salus; atque ob id non loquerer, nisi in mensura & pondere; & quòd meditatione, & cautelâ meas omnes fræno cohiberem affectiones, ne quid terreni meo adhæreret cordi, quòd sicuti flumina omnia ad mare tendunt, sic ad ipsum omnia mea dirigerentur verba & actiones. Imperavit insuper quòd ter in die me corpore in terram prostrarem extenso, & lingua tres in pavimento ducerem Cruces, meditans in qualibet prostratione suam acerbam Passionem; quòd cilicium ad latera adhiberem arctè colligatum, cæterisque solitis uterer pœnitentiæ instrumentis, flagellisque ferreis, quæ omnia mecum attuleram; atque majorem noctis partem orando transigerem. Addidit, quòd aliorum sputa, si quæ cautè invenire possem, ore lamberem, non tamen ea deglutirem; & quòd ab omni abstinerem cibo atque potu, & id ad impetrandam Monialium, ad quas vocata eram, sanctificationem; quibus Dei mandatis, ejusdem assistente gratiâ, fideliter parui.

Quadam die, cùm ad Altare, in quo Sanctissimum venerabatur Sacramentum, Missæ Sacrificio interessem, vidi in ejus Custodia & Pixide, quæ meis oculis apparebant patentes, dulcem, suavem Puerum Jesum, justificatorem Animarum, & glorificatorem gloriosum, luce circumdatum; eumdemque simul intellectualiter vidi Patri, & Spiritui Sancto unitum Unitate Essentiæ. Hoc videns Amore, fame, & desiderio, extra me rapta, exclamavi: O incomprehensibile Bonum, o unice cordis mei dilecte, o felix hora tuæ Divinæ Præsentiæ, veni quæso, veni in intimo cordis mei, & ne differas. Veni citò pulcherrima lux, Divinissimum Verbum, speciosissima Sapientia, nihil enim oculis meis omnia sunt, te excepto, Animæ meæ Anima, Cor mei cordis. Completa jam Missa ipsum de manu Sacerdotis recepi, tali Spiritus Unione, ut videretur mihi, quòd nec vita, nec mors ab ipso me separare possent. Illum adorabam, amabam ut dilectum meum Dominum (2); & vidi quòd vultus ejus liliorum, atque rosarum præseferebat decorem;

(1) *De hoc, vide Secunda Parte, Animadvers. 3, §. 5.*
(2) *De hac Pueri Jesu descriptione, vide in Parte Secunda, Animadvers. Quarta, §. Tertio.*

rem; oculi ceu pretiosæ splendebant gemmæ; os delicatissimum, halitus suavissimus, ex quo stillabat nectar; genæ candidæ, & rubicundæ; ejus pulchritudo erat talis majestatis & decoris, ut in immensum vinceret quidquid pulchri, & amabilis Mundus continet. Vestitus erat lanâ nive candidiore. Corpus ejus pulchrius erat qualibet Veris amœnitate. Anima quovis sydere splendidior. Divinitas verò Solis radiis, etiamsi in infinitum multiplicarentur, lucidior. In sua gaudebat adeò lætus Divinitate, ut Angeli, Supremi Spiritus, purissimæque Paradisi substantiæ, ejusdem gaudii redundantiâ læti & fœlicissimi vivant, summaque eumdem contemplentur admiratione, atque in ipso veluti in eorum Centrò quiescant, purissimisque, & ardentissimis laudibus, illius concelebrent majestatem. Ipsum videbam amabilem sine defectu, delectabilem sine comparatione, affabilem sine suspicione, in Sapientia incomparabilem, in Bonitate absque mensura, in Potentia absque termino, in Essentia immensum, in Magnitudine infinitum, in Majestate mitem, placidum, affabilem, sed inaccessibilem; illimitatum in omni, quam in se continet, perfectione; inexcrutabilem in suis Judiciis; terribilem in suis consiliis; in Justitia rectissimum; in cogitationibus secretissimum; in suis Verbis veracem; in Operibus Sanctum; in Misericordia divitem. Eumdem spatium non dilatat, nec limitat angustia. Rex est qui fortitudine super omnes regnat Mundi fines, cùm ex sua sit naturâ immensus, infinitus, omnia intimè replens; & sua Corona est Æternitas, Tristitia eum non conturbat, nec Lætitia distrahit; in Sapientia non decipitur, in Voluntate non mutatur; Abundantiâ non extollitur, nec necessitate coarctatur; Memoria nil ei addit, nec tollit oblivio. Id quod jam fuit ei præteritum non est, nec futurum succedit; omnia siquidem ipsi fuere in æternitate præsentia. Ipsi tempus principium non dedit, neque essendi originem, sicut nec dabit finem; Causam siquidem sui Esse non habuit, sed est rerum omnium Causa, quas creavit, non quia illis egeret, atque proinde absque alia necessitate eadem conservat, & sine labore dirigit, sine confusione gubernat; Claudit tandem in se perfectiones omnes, optabilesque felicitates; & quò magis de ipso comprehendebam, infinite plus videbam esse in eo quod comprehenderem; suo tamen solummodò Intellectui comprehensibile. Experta sum prædictum Puerum Jesum ori meo suavissimum, tactui delicatissimum, cordi amabilissimum. Me in suo recepit sinu, ubi tranquillam gustavi pacem, & manifestam sui ipsius contemplationem, in quibus indicibilem gustavi suavitatem, & quamdam æternæ beatitudinis experientiam. Omne bonum in Anima mea ejusdem amabilis, & desiderabilis operata est præsentia. Dixi tunc illi ego: O pulchritudo incomparabilis, o æternarum delitiarum lux, o Verbum prædilectum Paterni cordis, natum excelso genere, splendidissimisque natalibus, juxta naturalis tuæ generationis abyssum, ex purissima & simplicissima tui Patris substantia, a qua nec divisus es, nec distinctus: dic mihi pro tuâ precor Bonitate, quid Sponsis tuis loqui utiliter debeam. Dulciter tunc, suavitate & placida quasi subridens majestate, respondit mihi Divinus Puer: Columba mea dilectissima dic Abbatissæ ut pondus portet, quòd tuis humeris imposui, taliter ut ego a sua non lædar con-

ſcientia ; & faciat id quod ſibi optimum, & magis expediens cognoſcet, ſi ſuo vult muneri ſatisfacere. Sit cum ſuis filiabus gravis, compoſita, ſed placida, affabilis, benigna; earum emendet defectus, exemplis magis, quàm verbis; ſatagat, ut cor ejus Virtutum ſit hortus, in quo floreant inviolabilis puritatis lilia, purpureæ ardentis Charitatis Roſæ, odoriferæ humilis abjectionis Violæ; & ita eum conſervet ad meas ſui Creatoris delicias amœnum & floridum. Amet cum diſcretione obſervantiæ rigores; odio habeat amorem proprium, eumque ut inimicum devitet; ſitque veluti manſuetus agnus, injurias omnes diſſimulans. Ita enim ſe gerens, & filias ſuas ſanctificabit, & ſeipſam. Monialibus autem dic, ut ſuam taliter vitam cuſtodiant, quòd nemo me a ſuo corde valeat evellere, fideles ſint in mei Amore ſui Sponſi, & ſeipſas exiſtiment meorum Sponſalium indignas honore. Si me ardenter amare deſiderant, abſtineant pro viribus ab omni conſanguineorum & amicorum converſatione, quamvis bonâ ad eas accedant intentione; & cognoſcentes ſeipſas fragiles, miſerum nihil, lapſibusque ſubjectas, a creaturis omnibus averſionem acquirant, & animi generoſitate veterem interficiant hominem; corpus ſuum caſtigent, & ſenſus; celerique greſſu prata amœna Spiritualis, & tranquillæ vitæ percurrant, ut ad Amoris mei citius perveniant Unionem. Hic finem internæ ſuæ loquutioni impoſuit Deus; at ego cogitationibus, luminibusque cœleſtibus plenam me ſenſi (1); & luce meridianâ clarius ea omnia, quæ ſingulis Monialibus particulariter, & diviſim dicere expediebat, Intellectu conſpexi; & propterea Matri Abbatiſſæ, cæterisque Religioſis magno Spiritûs fervore ea omnia dixi, quæ mihi imperaverat, aut inſpiraverat Deus; ex quibus ad Dei omnium bonorum auctoris gloriam, mirabiliter profecerunt Moniales illæ. Aliæ gemebant; aliæ, ſuum percutientes pectus, ſuſpirabant; aliæ ſe proſternebant in terram, promittentes ſe velle in poſterum eſſe perfectas & ſanctas, quales ipſe volebat: & verè reſplendebant ceu Sol Virtutum nitore. Ex Divina Miſericordia plures dedi regulas & documenta ejusdem Monaſterii Educandis; quales ipſæ tali ſuſceperunt fervore, ut ex ipſis una, capitis, quæ habebat, ornamenta in terram projiciens, eademque pedibus conculcans, proteſtata ſit ſe deinceps non Mundi, ſed ſolius Dei totam eſſe futuram. Videns ego Monaſterium tali præditum ſanctitate, in me ipſa non capiebam præ gaudio, videbarque mihi non in hoc Mundo, ſed in Paradiſo eſſe; unde Deo benedicebam, humilesque ex toto corde reddebam grates.

In diebus, quibus apud Moniales permanſi, nocte quadam dormiens ducta fui myſterioſo in ſomnio in ſpecie quadam, quæ oculis mentis meæ anguſtiſſima videbatur, miſerabilis, obſcura, igne plena, cujus ignis ſplendor, denſo & caliginoſo præpeditus fumo, lumen non dabat. In ipſa habitabat Monialis quædam, ibi a Deo condemnata ad conſummandam peccatorum ſuorum rubiginem; tali pœna, quæ nulla ratione, nullis exemplis explicari poſſit; omnes enim vitæ hujus pœnas excedit; quæ ita mihi loquuta eſt: Heu, ſi, in Domino dilecta, ſcires quot, & qua-

(1) *Vide de hac certitudine lib. 3, in 2 Parte, Animadvers. 2, §. 1.*

& quales sint dolores, qui hìc me cruciant, & laniant; scio utique quòd ardenti illa charitate, quæ Deo dante in tuo ardet corde, mei sentires pietatem, vicem meam lacrymis fusis doleres, meamque pœnitentiis, & orationibus impetrares ab his cruciatibus libertatem. In hac voragine acerbi, & cocentes sunt ardores, densæque tenebræ, quæ me excæcant ne videre possim Solem illum, ad quem omnibus meis votis aspiro. Quia me scio Amicam, dilectamque a meo summo, immenso, infinito bono, atque sui hæredem Regni, ob id majoris est mihi tormenti videre prolongatam ejusdem Regni possessionem, atque in calamitoso hoc detentam exilio. De mea, sed frustra, queror pusillanimitate, qua renuens peccatis meis satisfacere in mundo, paucisque laboribus præmium mereri, hìc condemnata sum, ut in acerbis tormentis culparum mearum debitum solvam. Deo meo gemens dico: Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est; at mihi mea respondet conscientia: Justus es Domine, & rectum Judicium tuum. Ad amicos, & consanguineos me verto, exclamans, miseremini mei, miseremini mei saltem vos amici mei; sed illi voces meas non audiunt, ab illorum enim excidi memoria. Tu ergo amica, & soror mea impetra mihi ab inexhausta bonitate, ingenita benignitate, & liberalitate Dei, solutionem ab his durissimis pœnis, in quibus per tres annos condemnata sum, offerens illi in redemptionis prætium suum Sanctissimum Sanguinem, & suffragia, Thesaurosque militantis Ecclesiæ; ad hoc ut talibus liberata suffragiis citiùs ad Deum tota æternitate videndum possim ascendere; tibi enim de hoc ingrata non ero. Expergefacta, me sensi tali oppressam cordis palpitatione, ut vix respirare possem, corpore simul, ex horrore frigido, & trementi, quod totum ex compassione derivabat illius Animæ; in qua oppressione per plures steti horas, nil aliud, quàm dolores illos cogitare valens; qua apprehensione paulisper diminuta, suffragiis, qualia ipsa postulaverat, illam adjuvare fategi; & post quinque dies apparuit mihi eadem Anima, & dixit: Tibi gratias ago, o dilectissima Jesu Christi Sponsa, ecce in Paradiso sum, submersa in gloria ineffabili, & transformata perfectè in Deo, æternæ pulchritudinis speculo, in quo visus meus se extendit sine termino; voluntas mea delectatur sine tristitia; gustus saturatur sine amaritudine.

Maria Francisca Ferrarina (*Vidua hæc erat nobilis, provectæque tum ætatis, tum pietatis, quam modernus Sarzanæ Episcopus huic Virgini, ut ad Massenses pergeret suæ Diæcesis Moniales, sociam dederat, & custodem*) Nobilem quemdam Massæ ad se advocari curaverat, ut eum ad pacem cum consanguineis revocaret, ardenti suaderet zelo. Dum ipsa obstinato illi frustra verba funderet, ego in proximo habitans cubiculo, audivi eumdem alta voce protestantem se nolle, neque Dei, neque Sanctorum amore, aut intuitu consanguineis suis pacem concedere: quo dicto in sua abibat obstinatione, & furore. Inhorrui hoc audiens, lacrymisque fluentibus ad Paradisi imperatricem Mariam me verti, sic illam exorans: Virgo purissima, gratia & virtutibus Dives, Aurora, ex qua natus est verus Justitiæ Sol, impetra mihi a dulcissimo tuo Filio gratiam, qua, licèt indignissima, obstinatam hanc animam ad pacem ineundam flectere valeam. Qua prece fusa, eumdem, qui abibat,

bat, revocavi, ardentique amore, & zelo, quem in meo corde accenderat Deus, aliqua illi dixi ad suam æternam salutem pertinentia; quibus ille statim compunctus, quæ sunt (dixit) verba quæ audio, meumque taxeum emollierunt cor? Ecce ad reconciliationem cum meis consanguineis ineundam paratus sum, quod verè fecit. Sequuta hac pace Dæmonem vidi, qui veluti Leo rugiebat, mihique ita minatus est: O mea crudelis inimica, tantâ ausa es temeritate furari mihi animam, quam, implacabili odio in ejus corde immisso, meam feceram? Ego contra te mortalis indignationis ignem nutriam, & de tot me vindicabor injuriis. In Deo autem confidens, ei respondi: minas tuas, Inferni furia, non timeo; eripere semper pro viribus satagam a tua tyrannide Animas pretioso Amoris mei Jesu redemptas sanguine, quibus auditis ille confusus discessit. Mane quodam, dum ad Ecclesiam Communionem sumpturam pergerem, obviavit mihi quædam mulier, & lacrymis obortis mihi dixit, quòd nescio cui Massæ nobili mulieri accidens ex improviso contigerat, & sine Sacramentis obibat; unde meis eamdem commendabat orationibus. Cui dixi: cara Soror, peccatrix sum miserabilis, & indignissima, quam Deus super terram regat; precabor tamen ut tu poscis. Quibus dictis, a Deo interius inspirata adjeci, quòd Domum rediret, sperans Dei consolationem. His verbis gaudens Domum rediit; domumque reversa dictam invenit mulierem cessato protinus accidente, Sacramenta poscentem, quæ communi suorum consolatione recepit. Commendata pariter fuit Orationibus meis mulier quædam, quæ, ab aliquo tempore demens facta, Sacramentorum incapax erat; Orans igitur pro ea, percepi fore, ut eadem ad mentem rediens a se ipsa ad Ecclesiam pergeret, Sacramenta poscens, atque recipiens; quod verè intra duos dies evenit.

Discessimus tandem a Monasterio Sarzanam regressuræ; sed vix per dimidium milliarii peracto itinere, ingens nos occupavit pluvia; unde Maria Francisca Ferrarina, Socia mea, Massam redire ex hiemis ingruentis timore volebat; at ego, quæ ob Animæ cujusdam imminens, & mihi notum periculum, Sarzanam redeundi angebar sollicitudine, illam exoravi, ut tota in Deum confidentia prosequeremur iter. Paruit illa, & me ad Deum preces fundente, stetit protinus pluvia. Progredientes igitur ad quamdam pervenimus profundiorem Viam, quæ ex alluvione ob præcedentes pluvias aquis erat adoperta; nobisque illam ingressis, & paulatim deficiente solo, ita creverunt aquæ, ut Essedo ab illis elevato, & Equis jam natantibus, evidenti territus periculo Essedarius, nos omnes, & se perditos conclamaret. Fiduciam tunc addidit mihi Deus; & ejusdem innixa auxilio, alta voce Essedarium monui, ut animum ex timore resumens, suos renovaret conatus. Fecit, & nos, non sine mirabili Dei ope, ex imminenti evasimus subversionis periculo; & quod mirabile fuit, ne quidem aqua nos madefecit. De omnibus his laus Deo sit, & benedictio, qui bonorum omnium est auctor; & mihi confusio, quæ omnia mereor mala. Divino enim amori, ejusque beneficiis sum nimis ingrata; unde tuam poscens Benedictionem, Dominationem tuam Illustrissimam humiliter veneror.

ADNO-

ADNOTATIO.

§. II. *Causa hujus relationis (quæ Anno vigesimonono suæ ætatis absque dubio exarata fuit) est iter , quod ex Obedientia confecit hæc Virgo. Annuens siquidem precibus Monialium Sanctæ Claræ, Civitatis Massensis modernus Sarzanæ Episcopus, ipsi imperavit ad easdem pergere, atque apud Monasterium, illis, ad Dei Amorem in eorum cordibus promovendum, ut ipsæ sperabant, profutura, per aliquot dies immorari; cujus itineris notabilia, quæ Deo auxiliante evenerunt, in Libro 3, Cap. 5 jam retulimus. Scripsit ergo ipsa suo Episcopo, ut debebat, eorum quæ gesserat narrationem. Quæ si nimis alicui videretur longa, & quasi particularia diffusè tangens, reflectamus, quòd Episcopus, qui (vivente adhuc Patre Bonaventura, hujus Virginis Directore) ipsam rarius invisebat, in scriptis omnia ad prudentem illius Spiritus notitiam, & examen, scire gestiebat; unde ipsa distinctè, tum ex Obedientia, tum ad majorem Dei gloriam, omnia tenebatur enarrare. Permisit etiam fortè hoc Deus, ut in dubio an Mariæ Catharinæ eundi ad Januense Xenodochium (ad quod post aliquot se postea contulit Menses) concedenda esset permissio, Divinam Voluntatem ex iis, quibus Deus in hoc illius zelum benedixit & prosperavit, itinere, vel ipsa comprobaret experientia. Scripsit ergo ipsa non vanagloriâ, sed Obedientiâ movente; imo multa scitu digniora humili tacet modestiâ, quæ jam dicta Maria Francisca Ferrarina longiori Episcopo refert Epistola, & Moniales ipsæ sincerâ testantur descriptione. Sed de his omnibus loco citato satis jam diximus. Animadvertere hic solummodò liceat, quòd Deus in hac quasi Missione huic Virgini ignotæ usque huc, semperque in suo veluti Eremo reclusæ, ex improviso Spiritum addidit; eloquentiam, & in verbis efficaciam auxit, novam in rebus gerendis prudentiam impertitus est; hoc ni fallor fine, ut ex hoc munere cum tam evidenti Dei gloria, animarumque fructu feliciter adimpleto, de Mariæ Catharinæ hæsitantes inspiratione, & zelo evidens ad Divinum agnoscendum beneplacitum Directores experientiam sumerent.*

CAPUT OCTAVUM.

SCRIPTURA DECIMATERTIA, DECIMAQUINTA, USQUE AD VIGESIMAMTERTIAM INCLUSIVE'.

§. I. IN *præsenti Cap. mentio non fit de Scriptura XIV, quia circa istam quid erat notandum, supra in Cap. IV, §. V, monuimus. Quantum ad Decimamtertiam Scripturam, in qua referuntur tentationes in Raptu contra realem in augustissimo Sacramento Christi præsentiam, quas passa est, & prompto martyrii ad hanc veritatem substinendam desiderio, vicit hæc Virgo, jam ipsa, quoad substantiam, imo & ejus pars allata est in Lib. V, Animadvers. XI, §. III, ideòque brevitatis gratiâ* illam

illam omittimus. Hoc solùm addo, quòd si quis miraretur imaginariam martyrii promptitudinem tali a Deo muneratam præmio, cognoscat a Divinæ Bonitate efficaciam Voluntatis respici pari acceptatione, quam opus. Optabat siquidem Maria Catharina pro Fide sanguinem fundere, & robur animi voluntariis pro Dei gloria assumptis ostendebat cruciatibus. Quidni igitur animæ illius tali Divini Amoris igne succensæ imaginarias etiam cogitationes, seu ut melius dicam oblationes, ratas haberet, præmioque donaret Misericordia? Testante maximè (1) Sanctæ Gertrudi ipso Deo, se benignè acceptare, si quas mens revolvit, etiam de rebus, quæ numquam adimplendæ sunt ad sui gloriam cogitationes, dummodo ex vera, cæterisque possibilibus probata operibus, nascantur charitate; eo prorsus modo, quo amicus oblatione gaudet amantis, sese offerentis Amoris promptitudine ad ardua, quæ numquam evenient.

§. II. *Scriptura XV continet Præparationem ad Mentalem Orationem valde proficuam, qua Animam, sibi sanctâ junctam familiaritate, edocet Maria Catharina; & hanc Anno ætatis trigesimoquarto, antequam Pisas se transferret, ipsam scripsisse satis constat. Hanc in Lib. I, Cap. VII, §. II satis transcripsimus, atque utiliter legendam devoto proposuimus lectori; nec in eadem aliquid est a censura vindicandum; quare hic eam repetere otiosum esset.*

§. III. *Scriptura Decimasexta continet spiritualia sua exercitia, illorumque fructus unde circà Annum decimum octavum suæ ætatis apparet conscripta. Mirabiles certè leges, ex meditatis erutas veritatibus, ipsa sibi imponit, quæ austerioris vitæ, quam verè in posterum adimplevit, efficax innuunt desiderium. Hæc tamen in lib. 1, c. 6, §. 1, admiratione legenda satis proposuimus.*

§. IV. *Scriptura Decimaseptima Apparitionem continet Beatissimæ Virginis, ipsi factam anno suæ ætatis trigesimo secundo, dum de ejus itinere ad Pisarum Xenodochium plures insurgerent difficultates; eidem de hoc anxiæ Regina Cœli animum addit, spem confirmat, divinumque ei spondet auxilium: hanc non hic transcribimus, quia talis Apparitio in Libro quinto, Animadvers. 12, §. 3, relata fuit.*

§. V. *Per modum exclamationis in his duabus Scripturis, scilicet Decimaoctava, & decimanona breviter exprimit circa Dei Amorem, & Dei voluntati sui ipsius resignationem, proprii cordis impetus, quas in Lib. 3, cap. ult. jam retulimus.*

§. VI. *Item scriptura vigesima de Animæ peccatricis, ea Deum exorante, obtenta conversione, Lib. 5, Animadvers. 8, §. 2, allata est.*

§. VII. *Scriptura XXI, est hujusmodi.* Inhibuit mihi Dominatio tua Illustrissima pœnitentias omnes, attentâ, quam patior, infirmitate; promittens quod si convaluissem eas mihi restitueres, perpenso salutis, in quo me inveniret, statu. Dixit tunc illi Deus, ut tuæ obediam voluntati, quam in beneplacito mei Directoris, & Superioris veneror, non adimpleo ea, quæ libentissimè pro tuo amore, & pro unius miserrimæ Animæ salute peragerem. Totâ ergo pauperis mei Spiritus efficaciâ te precor, o mi Thesaure, ut me solari digneris. Langueo enim,

(1) *Apud Lanspergium, in ejus Vita.*

enim, ardenti desiderio, quòd Animam istam a miseriis eruas peccati, eamque in tua restituas gratia, & amicitia, ex qua salutem acquirat; & fac pariter ut majori semper aviditate patiendi nectar degustem. Tunc volavit ad me Angelus; ponensque manus super caput meum, coronam pressit Spineam, quam in temporibus impressam teneo, penetrantibus usque ad cerebrum acerbissimo dolore ejus Spinis. Addidi tunc: Mi Deus, fac ut ex spinis istis puræ germinent Sancti amoris rosæ, illas scilicet ex tua, & illius Animæ charitate substinendo. Vidi statim Dæmonum legionem, cum suo tenebrarum principe, qui in Throno sedebat flammis circumdato, suisque quasi cathedraticus erat sequacibus; quibus ut eum audirent manu indicens, sic loquutus est. Satagite ut in hac inimica nostra, quæ nos implacabiliter odio habet, extinguatur fidei lumen, ad hoc ut spes in ea deficiat, & charitas. Suggerite illi fallacias vestras, eique demonstrate falsum esse quod credit. Experimini vires vestras, ut cognoscat mundus simul, & infernus, altitudinem, subtilitatem, profunditatem incomparabilis vestræ scientiæ. Perpendite vestrum dedecus; in vestram enim caderet ignominiam superari ab ignoranti, & vili fœmina, quæ præsumens fieri Animarum magistram, ea eructat, quæ didicit. Hoc modo curate ut desinat tandem nos torquere, tentans animas nobis subditas a nostro furari dominio. Sensi statim oriri in me terribile contra Mysteria fidei tentationem; & malignorum Spirituum dicta gladii erant, quæ intimè mihi cor vulnerabant, & Animam, Lacrymis obortis dicebam: Mi Deus, fac ut omnipotentiæ tuæ peculiaris gratiæ scuto Dæmonum rejiciam ictus, qui me præcipitare totâ gestiunt attentione; & quòd eorum tentationes sint Animæ meæ adeò proficuæ, ut ipsi confusi in infernum se dejiciant. Capite inclinato in actu quasi martyrium subeundi hæc orabam: Mi Deus, unica fortitudo mea, potius millies mori, quàm iis, quæ rebelles suggerunt Spiritus, assentiri, vel cuicumque suggestioni, quæ tuam posset majestatem offendere; carior enim tu mihi es, quàm omnia, quæ mundus continet, Princeps tunc tenebrarum me summâ aggressus est rabie; & Leonis ferocitate se ipsum quasi ad lacerandum contra me ejecit, immittens deformi aspectu urentes ex omni parte flammas, intollerabilemque fœtorem, cui dixi: Fac de me quodcumque Dominus meus Jesus Christus tibi permittit; omnibus enim, quæ ipse vult, contenta sum. Ad hæc obstupens ille respondit: Maledictus sit Dei amor, quia, quò purior est, eò magis fortior est, & potens vincit, nec vinci potest, Sic omnes illi spiritus se ipsos invicem ex rabie mordentes, in inferni se dejecerunt abyssos, Vidi tunc Angelum mei Custodem, qui fisso Cœlum lætoque respiciens intuitu, sic decantabat: Altissimo victoria, atque gloria; Paradiso lætitia, & gaudium; atque inferno confusio. Remansit autem ex his in me quædam securitas æternæ illius Animæ salutis.

ADNOTATIO.

§. VIII. Ut *ipse testatur Episcopus, cui directa fuit hæc relatio, totum hoc accidit ætatis hujus virginis anno vigesimo octavo, quo, ut alibi diximus, in ea accenderat Deus Animarum zelum; ac per consequens ex Dæmonum rabie irruere contra hanc Virginem eorum vexationes, & insidiæ. In hac nihil est, quod explicatione indigeat; observare tantummodo expedit ejusdem in ipso zeli ardore obedientiam, in tentatione fortitudinem, & Deo: si vincimus, referendam esse victoriam, adscribendumque cum gratiarum actione beneficium.*

§. IX. *Sequitur modò Scriptura* XXII. Dominationi tuæ Illustrissimæ scribo, quòd die Martis proximè elapso, dum meditarer cum lacrymis summam injuriam, quam peccatores peccando Deo faciunt, præsumentes ei totam suam usurpare substantiam (1), eumque inhonorant suo magis peccato, quàm eumdem amore totus glorificet Paradisus; & si Deus pœnæ capax esset, peccatum esset ipsi pœna quacumque alia major; malum enim est infinitum, Deoque intolerabile; repugnat enim Bonitati, Sanctitati, & perfectioni ejus, qui est essentialiter æternum, incommutabile bonum, quod semper perseverat idem. Dum sic meditabar, vidi Deum, qui in sua incomprehensibili Majestate, & gloria intimè omnia replet, qui mihi dixit: Scias Sponsa mea, quod innumerabiles sunt Animæ, quæ me offendunt, sed præcipue duæ in hac urbe, quæ simulant me amare, & gravius me lædunt. Sicuti autem ex natura mea Animas amo, quas ab æterno in me habebam ideatas mente, & in tempore creavi, ex data ipsis essentia præclara, & pulchra (2) divinitatis specula, Sacrosanctæ Trinitatis perfectissimas imagines; atque æternitatis Exemplaria; sic desidero ut earum natura in meo conservetur perfectissimo Esse, ut effectus in sua causa, earum mediantibus bonis operationibus. Meæ sunt filiæ, creatæ a me virtute meæ indivisibilis, mecumque identificatæ Omnipotentiæ, Sapientiæ, & Bonitatis; & sunt horum attributorum mirabiles effectus. Et ob id ardenter opto, ut denuo meam consequantur Gratiam, suamque fœlicitatem, ut opportuno tempore pervenire possint ad meâ beatificâ perfruendum gloriâ. Dico igitur tibi, ut eas ferventi adjuves oratione, sed præcipuè duas illas, de quibus tibi loquutus sum, ut a profundo exeant carnalium delectationum luto. Ostendam tibi modum, quo illas a peccato retrahere possis ad Gratiam, & mea ineffabili Sapientia, beatifico mei intellectus objecto, te certam facio, quòd duæ illæ animæ vivent in posterum ut veræ christianæ, meæque addictæ servituti. Finita hac interna loquutione, sic exclamavi: O incomprehensibile & unice mei cordis Dilecte, ex his, quæ mihi dixisti, verè cognosco, quòd abyssus tuæ impenetrabilis charitatis associandi tibi plures Animas te veluti impatientem reddit; unde cupis ad te trahere glacialia etiam corda, tuo amori contraria. Verè tua charitas ex amantium non saturatur, nec arcta-

(1) *De hoc, vide infra, Par. 2, Animadversione 3, §. 2.*
(2) *De his Animarum laudibus lege infra, Par. 2, Animadv. 4, §. 1.*

arctatur multitudine, sed universaliter se diffundit, & omnibus communicat Animabus; quia in se ipsa, & per se ipsam est perfectissima. Flens postmodum, & suspirans Deum enixè precabar, ut omnes salvarentur Animæ. Dum pro omnibus orabam, & præcipuè pro illis duobus Animabus, quas mihi indignissimæ commendaverat Dominus, audivi pulsari mei cubiculi januam, & intellectualiter vidi pulsantem esse Dæmonem, qui januam, quamvis validè clausam, aperuit; quem visibiliter cernebam sub specie obscurissimæ umbræ, quippe qui splendorem divinæ in se non habebat Gratiæ. Vidi in illo infinitam peccati turpitudinem; & ni me peculiaris Dei præservasset Gratia, ex tali horrido expirassem intuitu. Contraxi tamen ex hoc tale contra peccatum odium; quòd eligerem potius cum innocentia in inferno esse, quam ream me videre vel unius tantummodo peccati. Mi Deus, si tu prævides, quòd te ex mea offensura sim fragilitate, evelle potius vi crudelis mortis Animam meam ab hoc corpore, quàm te amittam æternam meam, atque verissimam vitam. Tunc ita loquutus est mihi Dæmon: Quid prodest orare pro his duabus Animabus, Divino decreto jam inter reprobas connumeratis? Etsi quævis opera sancta pro illis perageres, damnandæ sunt; quia Dei impossibile est Decreto resistere. Nec Deus ipse suâ omnipotentiâ revocare potest quod absolutè decrevit; quia est de sui naturâ immutabilis. Cognosce ergo quòd supra ventum ædificas, dum earum speras salutem. Ad quid ergo te inaniter torques? non credas imaginario, qui tibi loquutus est, Spiritui. Non enim fuit hæc vera inspiratio, sed desiderium, quòd de salute in tuo corde tu nutris animarum; & memento, quòd in Scripturis dicitur, non esse videlicet omni credendum Spiritui. Relinque ergo pro illis effundere lacrymas, orationes, & suspiria; quia Animabus illis nihil hæc prosunt. Hæc ille: at ego, quæ certa eram prædictam a Deo fuisse inspirationem, majori fervore in oratione perseveravi. Tunc Dæmon in me veluti me occisurus insurrexit; sed ego Divino innixa auxilio, non timeo (illi dixi) furorem tuum; ideoque promitto, quòd tibi semper ero contraria, tuisque aggressionibus præparata vivam, Deo serviens corde, & ex corde; quæ ipse audiens ejulans, & fremens: Heu, respondit, numquam nata esses, meæ calamitatis auctrix; atque ita se ipsum in inferni præcipitavit centro.

ADNOTATIO.

§. X. *Quando precisè Episcopo suo Directori ab hac Virgine transmissa sit hæc relatio, ex ipsa patet ad eumdem Epistola, signata de Anno 1711, qui suæ ætatis erat vigesimus septimus: quando nempe accensus a Deo fervebat in ejus corde salutis Animarum zelus. In hac nihil aliud præcipuè notandum video, quàm Dæmonis versutiam, ut hìc legimus, veritates aliquas, ut facilius decipiat, astutis immiscentem mendaciis, cui proinde nil respondendum, sed firmâ, quam ipse timet, voluntate in piis perseverandum operibus.*

§. XI. *Scriptura XXIII talis est:* Scribo, me cogente Obedientia, quòd nocte quadam dum orarem, vidi Patrem Paulum Segneri Junio-

 rem,

rem, qui dulciter, & suaviter quiescebat in immenso Dei sinu; & cognoscebam ad mensuram laborum, quos ipse pertulit, talem Deum eidem indulsisse requiem. Rubebant ejus labia ex immensa cordis charitate; ardebat enim inter ingentes vivi, jucundi, & beatifici Amoris flammas; mihique dixit: Maria Catharina, amas ne tu Deum? Amare me velle respondi, & quòd displicebat mihi, me non usque huc amavisse, ut debebam, quod sine gemitu lacrymarumque profluvio fateri non potui. Addidit ille, quòd in reliquo vitæ meæ majori amarem ardore; quia in Cœlesti Gloria non augetur Amor, nisi ad mensuram cognitionis, quam Comprehensores meritis habent respondentem, quæ veritatis verba stimulos mihi addidere Deum semper ardentius amandi. Ostendit mihi quàm gratum sibi fuerat quod ego N. N. ad laborandum in Dei Vinea animum addidissem, de quo ille infinitæ Divinæ Majestati offerebat preces. Jussit ulterius ut N. dicerem, quòd pro pace & quiete suæ mentis dubium deponeret, quo angebatur, hæsitans, quòd ab ipso dum vivebat, cordialiter non amaretur; sciretque se eumdem sancta, atque perfecta charitate dilexisse, & pura intentione, qua optabat, ut perfectum evaderet sanctitatis exemplar; atque ob id in aliquibus ipsi videbatur adversari. Quibus dictis me benedicens, disparuit, remanente me in magna delectationis suavitate.

ADNOTATIO.

§. XII. *UT de tempore hujus apparitionis aliquid venemur certitudinis, notandum quòd de Anno* 1710 *dictum Patrem Segneri ad Missiones, quas in Lucana fecit Diœcesi, ex obedientia secuta fuit hæc Virgo; post quas Missiones tribus circiter annis supervixit zelans, ille Missionarius, unde cum Mariæ Catharinæ apparuerit post mortem, eruimus quòd eidem apparuit post annum suæ ætatis vigesimum octavum. De hac apparitione alibi loquuti sumus; hic tantùm notare libet aliqua accidentia, quæ secreta erant, sed vera, quæ nos obscuritate tegere prudentia coegit, sed satis ex eorum veritate apparitionis veritas innotescit.*

CAPUT NONUM.

SCRIPTURA VIGESIMAQUARTA, ET VIGESIMAQUINTA USQUE AD TRIGESIMAMSEPTIMAM INCLUSIVE.

§. I. P*Rima ex enumeratis Scripturis, nempe XXIV, est Epistola sequentis tenoris:* Circa id, quod Dominatio Tua Illustrissima mihi significavit, quòd nempe a Sacra Congregatione inhibetur mihi cum aliquo de rebus Spiritualibus loqui, si Tuæ expediens videbitur prudentiæ, respondendum censerem (1), quòd contrarium poscit

(1) *De hoc, & sequentibus in hac Epistola, Vid. infra, Par. 2, Animadvers. 2, §. 4, & 5.*

poſcit Mariæ Catharinæ vocatio, juxtà multorum pietate & doctrinâ inſignium hominum judicium; adeòut omnes, qui cum ea loquuntur, aſſerant, eamdem Deum elegiſſe ad promovendam Divinam in humanis cordibus gloriam; atque ob id ipſam ſcientiæ ditavit Dono, & efficacis eloquentiæ omnium proportionatæ capacitati; unde ſequitur animarum, quæ ſecum loquuntur, univerſalis fructus, ut teſtantur omnes ex ejusdem monitis multos proficere, cùm ipſam videant zelo gloriæ, & honoris Dei, tali incumbere ardore, ut, ſi poſſibile eſſet, ad lucrandam vel unam Animam per ipſas tranſiret Inferni pœnas. Non obſtante autem, quòd ipſa moraliter certa ſit de Divina vocatione ad animas expiſcandas, quando Superiores contrarium ſentirent, ſe tamen Divinæ voluntati in eorum nutu cognitæ, humiliter reſignaret. Optat ejus Spiritus malos bonos reddere, bonos magis ac magis ſanctificare, de quo ſanctè vivit impatiens, absque eò quòd Anima ejus ex his aliquod patiatur vanægloriæ detrimentum; Divino ſiquidem menti ſuo infuſo lumine clarè cognoſcit fructus omnes, quos in Animabus cernit, ex inexhauſta oriri Dei bonitate, nil ex ſuis meritis; qua veritate cognita, tota ſervit Deo cordis humilitate. Scit hæc omnia Dominatio tua Illuſtriſſima; ac proinde te precor, ut eadem tuo apud eos, ad quos attinet, confirmes judicio; videtur enim mihi, quòd hoc petat Dei gloria; alioquin de hoc non loquerer, nihil ex Dei gratia æſtimans gloriam hujus mundi, qui citò, quoad me, tranſibit. Addere etiam poteris, quòd tu me tota dirigis ſolicitudine, & vides quòd ex dictis reſultare ſperas Dei gloriam.

Quoad verò Canonicum Maſcardi, juſtitia me cogit ex certa ſcientia teſtari, Eccleſiaſticum eſſe inſignis ſcientiæ, pietatis, prudentiæ, & in animabus dirigendis experientiæ; quòd pietas oſtendit pœnitentium, quos dirigit. Utiliſſimus inſuper eſt huic Eccleſiæ, propter multa, quæ inſtituit pia, & ſpiritualia exercitia; unde plures proficiunt optimi Sacerdotes; addita etiam ſuorùm morum ædificatione, quàm ſemper dedit, & dat inceſſanter, ſicut omnibus in hac patet Diœceſi. Ipſum elegit Dominatio tua Illuſtriſſima, ut in mea Directione Patri Bonaventuræ in ejus ſenectute auxilio eſſet, utpote mei Spiritus magis conſcium, quippe qui primis quinque mihi adſtitit meæ adoleſcentiæ annis. Certiores facias Superiores, quòd bono procedit ordine animæ meæ directio, firmisque nititur ſpiritus fundamentis; quod ſi fortè contrarium aliquid ex aliorum relatione timerent, id Relatoribus parcendum eſt, qui de his integram non habent notitiam. Totum hoc ſcribo intuens in his, quam ſpero, Dei gloriam; alioquin optarem mihi ipſi ſolitariam vivere, hominum anteponens exiſtimationi verum Dei judicium.

ADNOTATIO.

§. II. *Niſi de hac Epiſtola, quam Epiſcopo ſuo Directori anno ſuæ ætatis Vigeſimo nono confidenter ſcripſiſſe conſtat hanc Virginem, ſatis loco citato dixiſſem, plura hìc eſſent notatu digna, ſufficiat tamen obſervare, quòd dum ejus ad Zenodochia eundi controvertebatur permiſſio, ipſa zelo, Deique ſolicitata inſtinctu, ut Epiſcopo licentiam impetrandi ſtimulos*

eos adderet, hæc omnia ad ejus revocat memoriam. Notetur insuper quòd a præcedenti certior facta Episcopo Naselli, de multis, quæ de ipsa rumor spargebat, mirabilibus, prudenti cautela, jussit Sacra Congregatio, ut nemini eam invisendi daretur accessus. Paruit ipsa; nec nisi de præsentis Episcopi licentia aliquem admittebat, ut constat ex Epistolis, quas in Libro Octavo, Cap. ultimo transcripsimus. De Canonico autem Mascardi pauca addit, ut aliquid calumniantibus, ipsum voluisse, licèt aliorum hujus animæ commendatæ Directioni, se immiscere, pro veritate & justitia respondeat; sed de hoc in Libro Quarto, Animadvers. ultima satis diximus.

§. III. *Sequitur Scriptura Vigesimaquinta, quæ in præsenti Epistola consistit:* Jesus, & Maria nostra sint spes, & nostra via. Dilectissime Pater in Jesu nostro vero, & Unico Bono. Spero quòd Dominatio Tua Illustrissima, juxtà tua sancta desideria, Visitationes hujus Tuæ incœperit Vineæ, cujus Deus te constituit Agricolam; unde tecum gratulor. Audio a Patre N, quod N. Dominationi Tuæ Illustrissimæ renuit scribere, quod ego optabam; sed alia via sataget, ut ad Hospitale Januense me transferam. De hoc te certiorem volui, ut tu cogites quòd circa hoc Dei gloria, & Animarum dictabit zelus, si fortè Sacræ Congregationi scribere opportunum censebis, eandem certificare, si ita prudentiæ Tuæ expedire videbitur (1), de mea Vocatione ad Infirmis serviendum in eodem Xenodochio, pro tempore quod tu judicaveris; & quòd huic meæ Vocationi neque parentes mei se opponunt, neque Directores contradicunt. Gratia Spiritus Sancti semper sit cum Dominatione Tua Illustrissima, cujus Voluntati me subjicio, & subjiciam donec vixero. Te supplico, ut mihi tuam impertiaris benedictionem. Sit semper Jesus in tuo corde. Canonicus Mascardi renuit nobiscum venire ad Ecclesiam Sanctæ Luciæ, ut ibi pro nobis celebret, & Divinum administret Sacramentum, ut in meæ cœcitatis periculo scis quia Votum feci, nisi a Dominatione Tua Illustrissima licentiam habeat. Precor ut eam illi concedas; & te humiliter veneror.

ADNOTATIO.

§. IV. *HÆC secunda est Epistola, quam Anno supradicto, dum differebatur eidem ad Xenodochia se transferendi licentia, suo Episcopo scripsit hæc Virgo. In hac nihil habeo, quod observem, nisi constantiam suæ vocationis: videmus enim quòd eò magis augebatur ejus spes, quò fortior obstabat difficultas, quod, ut alibi diximus, non leve est veræ inspirationis argumentum. Apparet etiam eumdem Canonicum non se in hujus Animæ, ut quidam asserere volunt, directione ultrò ingessisse; dum cum ea recusat etiam pergere ad piam voti solutionem, nisi præcipuam ab Episcopo habeat licentiam.*

§. V. *Scriptura Vigesimasexta, Epistola est ad Episcopum, qua eumdem de aliquibus quas patiebatur tribulationibus, humiliter & ut ejus Filia confidenter solatur. De ista hìc taceo, quia in Lib. 3, Cap. ultimo eamdem transcripsi.*

§. VI.

(1) *Vide etiam de his infra, Animadvers. 2, §. 4. & 5.*

§. VI. *Scriptura Vigesimaseptima, Epistola est, quam annum circiter ætatis Vigesimonono, Episcopo suo Directori ipsa scripsit; ex qua apparet ejusdem jussu ad Moniales S. Claræ in Urbe Massensi se transtulisse. Hanc in Lib. 3, Cap. ultimo jam transcripsimus.*

§. VII. *Scriptura Vigesimaoctava est sequens:* Scribo ad Altissimi & Sapientissimi Dei gloriam quod mihi accidit, dum Sacrosanctum, & ineffabile meditabar Triadis Mysterium (1). In Spiritus excessu rapta fui ad Visionem mirabilium Arcanorum Dei, qui clarà intelligentià, veràque notitià (2) se mihi ostendit sicut est simpliciter in seipso; idest, quòd sua Attributa & perfectiones sunt idem ipse; nec ab eo dividi possunt, aut distingui, cùm Actus sit purissimus, & simplicissimus, in quo nihil est, quod dici valeat primum, vel ultimum, majus, aut minus; & est in omni genere perfectionum consubstantialis, & infinitus. Æternus Pater a se permanens habet Esse, atque Actu in se ipso indivisibili intimè se ipsum, & sua intelligit Attributa, quæ sunt in notitia, & scientia Divina, & increata, sicuti stant in sua identificata Essentia. Jam dictus intelligendi (3) actus Verbum est notitia essentialis, efficax, & substantialis Patris. Non valui concipere, quòd inter eos prioritas esset originis, quia Æternus (4) Pater usque a sua æternitate non habuit intrinsecè cognitionis principium se esse communicabilem, (*Intelligitur per ly Cognitionis principium, quòd in Deo non datur progressus ab uno cognito ad aliud; se etenim, & omnia unico comprehendit actu*) Pater & Verbum se comprehendunt uno simplici intuitu, absque eò quòd illis necessaria sit nova, & distincta notitia. Intellectus, & Voluntas in Deo idem sunt, distincti sunt tamen eorum actus, qui sunt intelligere, & amare. Non est præcedentia, nec ordo objectivus inter intellectum Divinum, & voluntatem; & hæc unitas intelligendi, amandi, atque operandi, æqualis est, atque indivisibilis, cùm sit una simplex incorporea natura, unum Esse veri Dei, in quo stant perfectiones omnes in supremo infinito gradu. Tres Divinæ Personæ vivunt, subsistunt, & existunt realiter, & personaliter in eodem Esse, inter se tamen distinctæ (5), sicut tres Animæ potentiæ vivunt, & subsistunt in Essentia Animæ. Quælibet ex his tribus Divinis Personis Deus est; nec inter se confunduntur, quamvis sint in unitate unius substantiæ; nec possunt dividi personaliter una ab alia, quia eamdem naturam, & substantiam, quam habet una, habet & altera. Sunt inter se distinctæ propter ipsarum relationes, quæ ipsis sunt internæ, intimæ, præsentissimæ, & substantiales, nec in eis deficit quælibet perfecta perfectio, continentes in se ipsis rerum omnium perfectiones. Dispositæ sunt ad sanctificandas, justificandas, & perficiendas creaturas omnes, dummodo peccatorum, & defectuum obstacula torrentem Divinæ

(1) *Vide infra, 2 Parte, Animadvers. 2, §. 7.*
(2) *De hoc vide infra, Par. 2, Animadvers. 2, §. 3.*
(3) *Vide de his omnibus Par. 2, Animadvers. 7, §. 2, & 3; atque Animadvers. 8, §. 3.*
(4) *Vide de hoc Par. 2, Animadvers. 5, §. 4.*
(5) *De hac similitudine vide in Par. 2, Animadvers. 8, §. 5.*

vinæ bonitatis minimè impediant. Amant siquidem hæ tres Divinæ Personæ id, quod ipsis magis immediatum est, extrinsecam nempè, & accidentalem ipsarum gloriam, quam ab omnibus volunt creaturis.

ADNOTATIO.

§. VIII. *Relationem hanc, quæ de rebus Divinis, & Trinitatis mysteria ultima est, & quasi aliarum, quæ supra retulimus, compendium, anno circa Vigesimumoctavum suæ ætatis scripsit hæc Virgo, quando videlicet adulta magis, & annis, & perfectione, ulteriori in suis raptibus Dei fruebatur lumine; ac proinde cæteris est purior, & brevior, paucis verbis multa complectens, quæ longiori fortè egerent interpretatione. Eam tamen nescio quo fundamento totam aliqui respuunt, & sugillant Censores. Si tamen illa, quæ infra in Secunda parte ad cæterarum defensionem de mente Doctorum retulimus, attentè legantur, spero quòd in admirationem evadet censura. Cur autem de his noviter in raptu illuminata sit, si de Divina rationem aliquam venari licet voluntate, reor hoc accidisse ex consueto, & in pluribus observato Animabus, Divinæ Sapientiæ more, quæ, veluti Pictor nova picturas suas arte, & coloribus superinduit, ut stabiliores perseverent (quod de suo fecit Jalyso pictor ille) menti nostræ replicata, quæ semel ostendit, rursus imprimit luce, ut firmiùs in spiritu hæreant. Imò post aliquot annorum cursum eadem hìc compendiosè iterari quæ sæpius ipsa, & longius aliàs dixit, ni fallor, signum est veræ, & animo ejusdem firmiter inhærentis Divinæ communicationis.*

§. IX. *Scriptura Vigesimanona, seu Relatio, verè notabilis, de Purgatorio a se in spiritu viso, imo experto, scripta fuit ab hac Virgine Episcopo suo Directori. Multa continet utilia, sed videri & notari possunt in Lib. quinto, Animadvers. 8, §. 4, , ubi illam longiusculè transcribendam duximus.*

§. X. *Trigesima Scriptura, seu Epistola est eodem Anno ab hac Virgine ad sibi familiarem Religiosum, de Monitis sibi ab eodem datis, humiliter gratias agente. Hanc legere quis poterit in libro tertio, Cap. ultimo.*

§. XI. *Scriptura Trigesimaprima, & Trigesimasecunda Epistolæ sunt, quas ex obedientia anno supracitato scripsit hæc Virgo duabus Personis, quas Deo acquisierat, eas solari studens, de quibusdam tribulationibus, easque ad perfectionem inflammans; quas in Libro Tertio, Cap. ultimo legendas transcripsimus.*

§. XII. *Scriptura trigesimatertia est hujus Virginis relatio, in qua ipsa loquitur de vulnere cordis, sibi a Christo singulari gratia inflicto; quod certè accidit ante annum ætatis suæ trigesimum; habemus enim in relationibus de tempore, quo morata est in Januensi Xenodochio, aliqua, licèt obscura, hujus vulneris indicia, ut alibi diximus. Nobilis est hæc relatio, & mirabile certè continet privilegium; sed hìc ista referre supervacaneum est, cùm relationem totam in Lib. 2, Cap. 6, §. 6, jam transcripserimus; & de hoc vulnere in lib. 4 satis loquuti simus; ubi ea quæ notanda sunt, poterit, qui voluerit, animadvertere.*

§. XIII. *Sequitur Scriptura trigesimaquarta, in qua hæc Virgo refert præcipuum Divini Amoris munus, quo Deus cor ejus abstulit post paucos dies reddi-*

redditurus. *Synthemata ex tali cordis narrat privatione; quibus omnibus ea, quæ modernus Sarzanæ Episcopus proprio testatur charactere, adamussim concordant. Accidit hoc ætatis ejus trigesimo circiter tertio, quando a Januensi redierat Xenodochio, & hanc Lib. V, Animadvers. ultima, §. 4, satis retulimus.*

§. XIV. *Trigesimamquintam Scripturam, in qua refert se ex Dei gratia expertam esse dolores Passionis Jesu Christi, libenter hìc lectori exponerem, nisi in Lib. quinto, Animadvers. ultima, §. 2, eam transcripsissem, ubi legi potest; hæc sequentia tamen addendo, quæ ibi brevitatis gratiâ omisi.*

Dum jam dicta patiebar, Dæmonem vidi, qui ad instar Leonis rugiebat, & mihi dixit: Ergo ne maledicta me persequi non vis desistere, tanto meo dedecore, cùm videant sequaces mei, quòd nihil tecum possum, eò quòd totum, quod est Deus, vincens, & invincibilis tibi adsistat. Respondi ante Divinum protestata conspectum, quòd eum, confidens in Divina gratia, persequi volebam usque ad mortem; confidens in Divina Bonitate, & misericordia, quòd Deum meum semper amabo, eique serviam, ut a me amari, eique ancillari ipse voluerit.

§. XV. *Scriptura Trigesimasexta, in qua hæc Virgo refert modum, quo suum cor, ut diximus, a pectore ejus avulsum restituit Deus, nunc omittitur, quia in Libro quinto, Animadvers. ultima, §. 4, eam retulimus.*

§. XVI. *Scriptura Trigesimaseptima est Epistola, quam ex obedientia personæ sibi familiari, atque ab eadem ad Deum inserviendum vocatæ ipsa scribit; illamque ad tolerantiam suadet, commendans ei Crucis amorem. Hanc in Libro tertio, Cap. ultimo jam transcripsimus. Hic Scripturarum, seu Relationum hujus Virginis, quas de suo habemus charactere finis esto; quas omnes in secunda hujus Sexti Libri parte, si Deus dederit, examini in his quæ dubia suspicari possent, pius Lector subjectas, pro sua judicabit pietate, & prudentia.*

Finis Partis Primæ Libri Sexti.



DE VIRTUTIBUS, ET ACTIONIBUS MARIÆ CATHARINÆ BRONDI, LIBRI SEXTI,

PARS SECUNDA,

In qua examini ſubduntur nonnulla ſcripta Mariæ Catharinæ Brondi, & ab aliquibus æquivocationibus, quæ ſuſpicionem incutere poſſent, vindicantur.

ANIMADVERSIO PRIMA.

Quid de Iiſdem Scriptis generatim ſentiendum ſit, disquiritur.

§. I. D clariorem Operum, quæ Auctores exararunt, intelligentiam, ſimul atque interpretationem, juvat quid, & quare ſcripſerunt, attentiori indagine perſcrutari; ex eorum enim mente, & conſilio, quibus moventibus laborarunt, ut plurimùm vera ſententiarum eruitur interpretatio. Hac igitur Animadverſione legens Mariæ Catharinæ, quas hic explicare geſtio, Intelligentias, diligentiori inſpectione notavi non eſſe illas, nec Revelationes, nec Dogmata. Quòd revelationes non ſint, conſtat ex ipſa revelationum natura, quòd nempè ſint de aliquibus, vel naturaliter non cognoſcibilibus, vel adhuc occultis, quæ Spiritus Sanctus

Sanctus, menti illabens quando vult, revelat; ita asserit D. Thomas (1). In his ergo Scriptis Maria Catharina nihil novi profert, nisi quod omnes jam scimus, & credimus. Loquitur de animabus, de Angelis, de pœnis æternis, & præmiis, de Incarnatione, de Divinis attributis, de Trinitate; sed in his omnibus nihil prorsus addit iis, quæ fide, atque Theologiâ nobis innotescunt; & tota Scriptorum ejus vis, & pulchritudo in hoc sistit, quòd ea quæ jam callemus, fortiori quodam legentibus imprimat stylo, utpote profunditate verborum ita mirabili, ut ex ipsa terminorum proprietate dignoscatur illam clarè, & particulari quodam lumine, quæ spiritualia, & divina scripsit, intellectu conspexisse. Ex quo proficisci potest, atque in animis legentium insidere, clarior quædam, & profundior Divinorum existimatio, simul & amor. Hoc autem totum non pertinere ad revelationes, sed ad simplices illustrationes firmant (2) B. Joannes a Cruce (3), & Card. Bona. Non sunt ergò Revelationes, sed nec sunt Dogmata. Nullum etenim illa docet, sed de se ipsa solummodo loquitur, suique amoris impetus, divinique luminis impressiones, quas in supernaturali irradiatione existimabat se recepisse, describit. Hoc non est dogmatizare, sed suis Directoribus obedienti sinceritate cor suum, ejusque statum, divinasque communicationes, ad evitandum illusionis periculum, aperire. Dicat qui altiora ejus scripta notavit, quid Doctrinæ aliis credendæ, ut magistra proponat; & sciat ea, quæ de ejusdem habemus manu, nil aliud esse, quàm simplices collationes, suique ipsius interni status relationes, quas ad Directores, eorum obsequens voluntati, transmisit. Cùm enim Serzanensis Episcopus, qui sedulò ejus susceperat curam, negotiis suæ Diœcesis præpeditus, sicut & Pater Bonaventura ejusdem Director, utpote ætate jam gravis, ipsam sæpius, quia ferè semper infirma jacebat, adire, illamve commodè audire non possent; timentes ne fortè Dæmonis astu inter illustrationes, quibus fruebatur, aliquis error irreperet, voluere, ut quæ in mentis excessu sibi videbatur cognoscere, calamo patefaceret; hac videlicet intentione, ut ea sub oculis habentes, commodius, & attentius ejus Spiritum valerent examinare. Quæ cùm ita sint, sic mihi liceat ratiocinari. Si scripta hæc dogmatica omninò non sunt, ad quid rigidiori a me notanda sunt censurâ, qua dogmaticè exarata justum esset severè disquirere? Si revelationes essent, adhuc dubia quædam in ipsis deprehendere, satis non foret ad omnia rejicienda; (quod de scriptis S. Catharinæ Senensis, Spalatensis (4) perperam molitus est). Videmus siquidem inter ea, quæ devotis Virginibus revelata miramur, multa legi, & inter se pugnantia, benignaque egentia interpretatione. Cujus rei ratio est, quia non semper mentibus, etiam supernè illustratis, divinum lumen adsistit; ex quo fit, ut aliquando proprio loquantur spiritu, quod Divus observavit Gregorius (5): *Aliquando Prophetæ Sancti ex magno usu prophetandi quædam ex suo Spiritu proferunt, & se ex prophetiæ Spiritu dicere suspicantur*. Hoc

 dixi

(1) 2, 2, qu. 171. (2) *Ascens. ad Mont. Calvar. Lib. 2, c. 24.*
(3) *De discret. spirit. c. 8, & cap. 27.* (4) *In Lib. de Republ.*
(5) *Hom. in Ezechiel.*

dixi etiam si daremus Scripta hæc revelationes esse; sed nec revelationes sunt, nec Dogmata, verùm simplices, obedientialesque, & filiales relationes, quibus ipsa (ut suis Patribus spiritualibus omnes deberent, & maximè ad perfectionem tendentes animæ) ad suos Directores, spiritualia, quæ patiebatur, accidentia, utpotè emendanda, si erraret, sic jussa, transmisit. Unde non mirari non possum, veluti novum, & insolitum, quòd spirituales collationes, quasi suffragia ad condemnandam, non ad emendandam animam usurpentur, & censoriè quis velit expungere, quod Confessarii paternè, si quid erratum videbant, debuerant corrigere. Vices tuas in tali casu dolerem, paupercula Virgo. Scripsisti impellente obedientiâ, & quia scripsisti severâ nimis animadversione vulneraris. Scio utique qua cautione communicata tibi a Divina bonitate charismata, in arcano tui cordis custodiendo, secretum tuum tibi religiosè servaveris; & ab omnibus, exceptis, quibus parere debebas, tuis Directoribus, scrupulosè absconderis; & ob id firmiter credo, quòd harum relationum, quæ filiali confidentia ad eos transmittebas, evulgationem numquam somniaveris; alioquin, si hanc prævidisses, calami libertatem prohibuisset tibi, ut opinor, charitas simul, & humilitas; hæc ne in aliquam spiritui tuo exosam incurreres pietatis famam, illa ne talia, uti assolet, alicui, quod semper tollere nitebaris, parerent ex ignorantia scandalum. Hæc tamen omnia, ut reor, evulgari permisit Deus; partim ut in profundis sensibus, quos tua sæpè proferunt scripta, Divini luminis liberalis participatio, & infinita Dei bonitas, quæ sic se animabus infundit, ad majorem sui laudem, & gloriam dignosceretur; partim ut ex aliquibus a te subobscure, & non ea, qua par erat, nobilitate, dictis, cæteræ, quæ a Deo elevatæ sunt, humiliarentur animæ; videntes exemplo tuo in Divinis etiam, & sublimioribus illustrationibus a Divina Providentia aliquid semper humanæ nostræ ignorantiæ relinqui. Discant, quòd Sanctus Spiritus, qui ubi vult spirat, non est libera nostra possessio, & ob id aliquando lumen donat, aliquando subtrahit, ut notavit prudentissimè Card. Bona: (1) *Non omnes servi Dei verum habent, & purum lumen, nec qui illud habent a Deo semper illustrati loquuntur.*

§. II. Verùm quia scripta hæc, licèt revelationes non sint, neque dogmata, sunt tamen, ut hæc Virgo fatetur, superni Luminis in raptu habitæ Illustrationes, decet ut rem altius inspicientes, videamus an in illis scribendi forma Majestati Divini Spiritus, ipsam intimè illuminantis, conveniat. In quo hæsitavit aliquoties, fateor, mens mea, & fortè dubitarunt nonnulli, quòd, cùm legantur sparsim in hisce scriptis vulgares, ac muliebres similitudines, quibus flores, gemmæ, vernæ amœnitates, & similia infimo describuntur stylo, suspicari potest, non esse hæc, ut dignitati Divini luminis incongrua, cœlitus datas illustrationes, sed imaginarias potius, phantasticaque figmenta. Oppositionem video; cæterum utrum verè rationabilis sit, an ingeniosa nimis, ignoro. Quis enim affirmabit similitudines illas, ut videntur, pueriles, a Divino eidem dictatas lumine, aut verba esse Dei, secum in raptu loquentis? Certè ipsa hoc non dicit, & qui descriptiones ejus attentè perlustrat, cogno-

(1) *De Discret. Spirit. cap. 8, num. 2.*

cognoſcet rerum viſibilium ſimilitudines, & quas affert eorum, quæ vidit ſenſibiles imagines, Majeſtati Divinæ illuſtrationi, ut timetur, impares, non ex Divino inſtinctu, ſed ſuo ſe ingenio, ut clarius ſe exprimeret, faciliusque intelligeretur, ex iis, quæ ut ſimplex ignoransve Virgo naturaliter cognoſcebat, deprompſiſſe. Id autem Animabus, in tali ſtatu a Deo poſitis, quomodo eveniat, ſecretiores declarabunt Myſticorum doctrinæ (1). Duo ſunt diverſa tempora, in quibus ea, quæ elevatæ a Deo mentes noſcunt, ſunt attendenda, cùm varias in ipſis dignoſcamus Divinæ lucis acceptiones. Unum eſt, quando actualiter mens eſt in raptu; aliud, quando poſt raptum Anima ſe recolligit, & ſupernaturales illuſtrationes ecſtaticè habitas, Directoribus adaperiendas vel alia de juſta cauſa ſatagit in memoriam reducere. In primo (ut ſuo loco jam probavi, & iterum fortaſſe demonſtrandum erit) nulla interveniunt phantaſmata, maximè in elevatioribus intelligentiis, in quibus intelligibiles ſpecies Intellectui infundit Deus, ejusque pro illo temporis ſpatio, ad phantaſmata converſionem impedit, ut Angelicus docet (2); atque ideò perdurante raptu nulla eſt in mente dubietas, nulla in lumine obſcuritas. At raptu jam præterito redit denuo Intellectus ad phantasmata, in quibus ea ſpeculetur, quæ vidit; & hoc non ſolùm quia cùm (ut advertit D. Thomas) (3) operari ſine phantaſmatibus Animæ in hac Vita naturale non ſit, ratio poſcit, ut finito raptu ad ſibi congruum reddatur ſtatum; ſed etiam quia (ut benè reflectit P. Gravina (4) in ſuo Lapide Lydio) absque phantasmatibus nec ordinare poſſet, quæ cupit referre, nec ſcribere; unde accidit, quòd lux accepta, utpote phantaſiæ quodammodo admiſta, nec ita limpida ſit, & pura, ac in prima effulgebat mentis elevatione. Non eſt ergò eadem omninò lux in raptu, & poſt raptum; ibi magis limpida, & purior; hìc imaginativè, veluti nebulis adoperta, & obſcurior. Hinc ſequitur, quòd quamvis poſt Raptum quædam remaneant impreſſiones in Anima, hæ tamen ad declarandas illuſtrationes jam habitas non ſemper ſufficiunt; & ob id aliquando Anima, ut clarè ſe exprimat, recurrere cogitur ad phantasmata, jam in theſauro imaginativæ præaccepta. Colligitur hoc totum ex iis, quæ loquens de Raptu Pauli, docet Angelicus (5), & nos ſuo loco apertiùs demonſtrabimus. Si igitur hoc verum eſt, quæ phantasmata, quibus internum ſuum ſenſum apertius exprimeret, habere poterat ignorans Virguncula, quàm florum, amœnitatum radiantis Solis, & ſimilium quæ viderat? Hæc tamen ut puerilia ſpernere velle, timerem utique Apocalypſi, & Sacris Canticis cenſuram incutere. Videmus etiam in Prophetis, ſublimibus intelligentiis aliqua humiliora Divinum Spiritum ſæpe immiſcere; & idipſum ſcripta hujus Animæ accuratè legentibus patebit, ſi obſerventur benigniori Animadverſione inter vulgares ſimilitudines profundos quoſdam ex improviſo elucere ſenſus; & reconditas, quaſi laconicè, inſeri veritates. Evidens argumentum, ni fallor, quòd hæ ex relictis in

(1) *D. Th. apud Card. Bona, de diſcret. Spirit. c. 17. num. 3.*
(2) 2, 2, *q.* 175, *a.* 6. (3) *Id. Ibid,* (4) *Lib.* 2, *c.* 8.
(5) 2, 2, *q.* 175, *a.* 4.

in mente Divinis oriuntur impressionibus; illa, ut clarius præhabitas suis Directoribus patefaciat ecstases, ex propriis ipsa eruit Phantasmatibus.

§. III. Si humilia, quæ scribit aliquam peperere suspicionem, sublimia, quæ legi, e contra dubium mihi auxere. Observantur enim in his Relationibus profundiores, quàm a fœmina expectari possint, Sententiæ; & qui in iisdem legunt Theologicos, quos profert dicendi modos, ampullosa quædam Adjectiva, & Adverbia, quibus in scribendo utitur; Latinas insuper & a Sacris Libris decerptas sententias, quas suis scriptis interserit, suspicari posset hæc non esse Dei lumen, aut mulierculæ stylum; sed Sacerdotum, cum quibus sæpe versabatur, documenta, Doctorumque sibi adsistentium, suggestionem redolere. Non inficior me talia in horum lectione demiratum; multiplicesque, quas hausi, ex his suspiciones, multiplici pariter Animadversione superasse. Circa enim sententias, quas Latino, & sine errore, licèt ejus esset ignara, profert idiomate; novum ne quæso est, quòd Spiritus Sanctus, quibus vult, sua Dona impertiatur, inter quæ genera enumerantur Linguarum, ut testatur Apostolus? Aut quia Latinè, licèt Grammaticæ nescia, aliqua in eis interponit, Scripta hæc, ut ab aliis artificiosè dictata, rejicientur vel ficta? Si argumentum hoc valet, explodantur Sanctæ Theresiæ Opera, Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis Revelationes, in quibus nonnulla Latinè exarata leguntur; falsumque erit, quòd jam citata Carmeli Seraphica Virgo testatur, quòd scilicet in oratione Quietis, ita Deus Animæ mentem illuminat, ut Psalmorum Versiculos, quos prius ignorabat, superiori illustratione Divinæ lucis intelligat. Si verò de loquendi terminis excedentibus, ut apparet, & turgidis, loquamur; notemus in primis hoc adamussim esse hæretici Dallæi argumentum, quo opera Areopagitæ, ut expressionibus ampullosis, & barbaris referta, explodere nititur; cui benè respondit Carthusianus, Mystica quidem, ut captum nostrum transcendentia, non vulgaribus, sed insolitis, & novis verbis esse depingenda; cui suffragatur Cardin. Bona, docens, quòd Animæ ut plurimum de illustrationibus sibi a Deo concessis loqui compulsæ, novis uti debent vocabulis (1): *Necessè est ut nova vocabula, novasque Phrases fingat, ut Dei Dona concessa manifestet; quas sanè voces carnales homines non percipientes, veluti erroneas damnare solent*. Ut autem firmius ab ampullositatis notâ hæc dicta vindicemus, notandum est de quibus ipsa loquatur. De Anima nempe in gratia constituta, quæ omnium visibilium rerum pretium, pulchritudinemque transcendit. De Angelis, qui cùm specula singularia sint, in quibus elucet Divina Majestas, Intellectus nostri aciem nimio splendore reverberant. De Beatitudine, quæ cogitationes nostras, & desideria superat, dicente Apostolo: *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se*. De Divinis operibus tandem, atque Attributis, de quibus ipsa Fides, quidquid Intellectus concipere potest, nimis justo, minus esse fatetur. Et nos de his scribenti, modos loquendi, ut superexcedentes, & ampullosos opponepone-

(1) *De Discret. Spir. cap. 20, num. 5, sub num. 5.*

ponemus? Non certè; & qui de hoc hæsitaret, suo convinceretur dubio non bene, de quibus ipsa loquitur, animadvertisse. Transeamus tandem ad modos & Phrases, quas, ut scholasticas aliqui, ac proinde, si a non proprio studio, a suis saltem Directoribus, non a Divina luce haustas, quis forsitan auderet suspicari. Sed videamus quo fundamento. Et quidem de ejus studio, hoc omnino est impossibile; nec etenim in voluntaria sua paupertate libros, nec in assidua contemplatione, ac laboribus pro salute proximorum susceptis, legendi tempus habebat. Quòd verò hæc a suis Directoribus, vel Sacerdotum collatione ei suggesta sint, minus videtur credibile. Canonicus siquidem Mascardi doctrinâ pollet, non inficior; sed huic Animæ per primum solummodo suæ vitæ Spiritualis quinquennium adstitit, quo tempore illa meditationi, & mortificationi, vitæquæ purgativæ addicta, nihil scripsit, nec poterat; in posterum verò ab ejusdem directione penitus abstinuit, ut alibi ex certis adnotavimus documentis. Pater autem Bonaventura erat quidem in Theologicis scientiis eruditus, easque in sua Religione publicè professus; sed tum quia naturaliter in se clausus, pauca, & solummodò ad perfectionem necessaria loquebatur; tum quia senio confectus eamdem raro, & pro brevi temporis spatio adibat, hoc suspicari non possumus, & maximè ex eo quòd scripta hujus Virginis ad mentem, & scholam accedunt (ut videbimus) D. Thomæ, non Scoti, cujus doctrinam, sicut Religiosus ille, utpote de Strictiori Observantia, tueri tenetur, sic infallibiliter tradidisset. De Sarzanensi Episcopo, qui hanc Virginem ultimo direxit decennio, & cui transmissa, ut plurimum, fuere hæc scripta, tale facinus, animique duplicitatem, vel imaginari impium judicarem. De aliis paucis Sacerdotibus, qui raro, & solummodò de Episcopi licentia, cum hac Virgine ex sola propriæ perfectionis spe, loquebantur, non est dubium; quippe qui, licèt satis docti, non ea tamen profundiori pollent scientiâ, ut rebus tam sublimibus manum auderent admovere. Quis ergo eam docuit? Clarè dicam. Spiritus ille Divinus, qui Sanctæ Virgini Ildegardi miram Sacrarum Scripturarum communicavit notitiam; Sanctæ Theresiæ, Sanctæ Catharinæ Senensi, Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis, Sanctæ Gertrudi, plurimisque aliis, profunda, quæ in earum Voluminibus veneramur, dictavit; Sancto Antonio Abbati, licèt literarum ignaro, talem indidit scientiam, ut de ea Divus miretur Athanasius (1): *Hoc in se mirabile habebat, quia cùm literas non didicisset, ingeniosissimus, & prudentissimus erat.* Sed cur in depellenda tam despicabili frustrà immoror suspicione? Quàm futile sit hoc argumentum, id apertè demonstrat, quòd scilicet Sancta Catharina Senensis Directorem habuit ex Pontificio Indulto ferè continuum Beatum Raymundum, in scientiis eruditissimum; Sancta Theresia cum viris doctis, ut ipsa fatetur, sæpissimè communicabat; & tamen nullus, qui pietatem colat, ausus est asserere non ex Divino lumine, sed ex Directorum doctrina, aut dictatis, ea prodiisse, quæ sublimia scripsere.

§. IV.

(1) *In Vita S. Ant. cap. 43.*

§. IV. Remanet adhuc unum de dubiis, quibus generatim in observandis Mariæ Catharinæ relationibus, mea ſcrupuloſius mens hæſit. Quòd videlicet in eis aliqua ita obſcura & dubia primò apparent obtutu, ut credi vix poſſit eadem ex Divina prodiiſſe illuſtratione, cùm ſupernaturale lumen perplexitatis excludat caliginem, & clarè in mentibus, maximè in Raptu illuminatis, reſplendeat. Fateor ingenuè ſcriptis hujus Virginis, aliqua, ſed pauca, ambigua quidem, & ſubobſcura reperiri; quæ tamen ad cæterorum, quæ ſcripſit contextum animadvertendo, benignam, & catholico ſenſui accomodatam interpretationem facilè admittunt; ſed nego ex hiſce pauculis cæterorum auctoritatem infringi. Ad hujus ergo dubietatis ſolutionem, ea ſufficere arbitror, quæ hic in ſecundo jam dixi Paragrapho; quòd ſcilicet in Raptu infuſum lumen, prout vult Deus, & Fidei patitur velamen, clarum eſt, & ferè nullam ſubſtineat ambiguitatem: at poſt Raptum diminutâ lucis affluentiâ, mens cupiens referre quod intellexit, quodammodo caligat. Unde ſequitur, quòd diverſitate quadam viſa & relata non ſemper adamuſſim conſonent; ideſt eadem, quæ in mentis elevatione apprehendebantur ut clara, in ejusdem deſcenſu obſcuritate quadam involuta ſcribantur. Qui de hac veritate hæſitaret, legat in Vita Sanctæ Thereſiæ (1), quod ipſa affirmat: *Non poſſe nempe potentias poſt raptum probè formare, quod tunc Deus illis propoſuit, & voluit ut eo fruerentur.* Imò legat in Vita S. Catharinæ Senenſis (2) piam querimoniam, qua, coacta B. Raimundo ſuo Confeſſario referre, ea quæ alienata a ſenſibus intellexerat, ſic ait: *Tanta eſt differentia inter ea, quæ intellectus a Deo raptus illuſtratus, & conſortatus intelligit, & ea quæ verbis valet exprimere, ut videantur ferè contraria.* Non eſt igitur rationabile hoc argumentum: in ſcriptis Mariæ Catharinæ aliqua ſunt obſcura, & ambigua, non ſunt ergò a ſupernaturali luce eidem communicatæ intelligentiæ. Reſponderi enim poterit quòd, quamvis remaneant in anima impreſſiones aliquæ eorum, quæ in raptu cognovit, poſt raptum tamen Irradiationes in phantaſia impreſſæ, ad hoc, ut viſa referre poſſit, non ſunt ita perſpicuæ, ut quando ſoli, & elevato communicabantur intellectui; ac proindè nomina, & verba ab imaginativa ad ſcribendum ſubminiſtrata, exeunt ambigua, nec omninò aliquando præhabitis Intelligentiis reſpondent. Quarè autem hoc Divina providentia permittat, præter cauſas, quas ſuprà attigi (licèt non ſim Dei conſiliarius, qui ejus arcana judicia audeam inveſtigare) hanc tamen humiliter afferre libet (& valeat quanti valere poteſt) congruentiam. Quòd videlicet in hiſce Relationibus ſumma infimis Deus paſſus eſt conjungi, ut qui legunt, demirantes ex una parte Divinam miſericordiam, ex altera humanam infirmitatem, quas providentia, noſtræ conſulens humilitati, ſæpeſæpius unit, ex ſublimioribus, quæ ipſa crebrò profert, ſupernaturale lumen; ex levioribus, quæ raró commiſcet, fœmineam compatiantur ſimplicitatem. Quidquid tamen ſit, ſufficit mihi demonſtraſſe dubia, quæ generaliter hujus Virginis ſcriptis mea mens fortè conciperet, tanti non eſſe ponderis, ut iis convicti eadem velut apocri-

(1) C. 36. (2) P. 2, c. 6.

cripha, & commentitia debeamus explodere; memores, quòd ea, quæ scribuntur, quò plus habent elevationis, majori subduntur difficultati, ut ait Seneca (1): *Nulla est sinè difficultate subtilitas*. Transeo igitur ad ea, quæ in particulari de his scriptis examinanda censeo; & ut aliquo procedam ordine, qui confusionem vitet, ea quæ in ipsis dubia collegi, trifariam dividentur. Alia sunt, in quibus nonnulli exaggerationis, jactantiæque notam suspicantur; alia quæ a Theologiæ, Fideique veritate timentur aliena; alia tandem, quæ damnatis circa contemplationem opinionibus favere, aliquibus primo aspectu videntur. Hæc omnia attentiori examine, prout vires meæ patientur, ponderabo; ne mihi judicium sine animadversione præcipitanti, exprobret Divinus Spiritus (2): *Prius quàm interroges, ne vituperes*; legit Vatablus; *ne quid reprehendas prius quàm exploraveris*.

ANIMADVERSIO II.

In relationibus, in quibus hæc Virgo de semetipsa loquitur, exaggeratio aut jactantia objici rationabiliter non potest.

§. I. Locuturo de iis, quæ in Relationibus Mariæ Catharinæ suspecta haberi possent, primo loco se mihi offert exaggerationis, vel jactantiæ periculum, quod mihi ipsi & aliis fortè eadem legentibus primâ se obtulit fronte. Ad hoc igitur examini subjiciendum, testor me sincerè in his Animadversionibus allaturum dicta istius Virginis, quæ sicut hujus, sic cæterarum suspicionum caussam dare possunt, ut clarè transcripta, clariùs judicentur. Primò igitur vanæ gloriæ, ampullositatique posset adscribi, quod de spiritualibus in ecstasi, & raptu sibi communicatis delectationibus, videtur ampliori quadam descriptione gloriari. Ad hoc autem ritè examinandum, præmittere debemus, juxtà sensum Divæ Theresiæ, & Sancti Gregorii, contemplationem infusam, & maximè in ecstasi, & raptu, sine intimo maximoque Spiritûs gaudio, evenire non posse, quod in libro Quinto, satis, ut reor, loquentes de *Infusa*, jam demonstravimus. Cujus rei ratio est; quia, cùm intellectus absorbetur a supernaturali luce veritatis, quæ ejus est satietas, & veluti initiata beatitudo, atque simul voluntas alis amoris elevetur in Deum, eoque intentionaliter, idest firma spe, quodammodo fruatur, necesse est, ut istæ duæ superiores potentiæ summopere gaudeant, ut insignis authumat Mysticus, (3) de quarum gaudio lætitia quædam, sensibilisque dulcedo in inferiores etiam redundat; unde de se fatetur D. Bernardus (4): *Saporem sentio dulcem a Deo, ut si perficeretur in me, nihil ultrà quærerem*. Qui sapor non inhi-

D d betur

(1) *Ep.* 59. [2] *Ecli.* 11, 7. (3) *Rusbrocbius in Orn. Nupt. lib.* 1, *c.* 36.
(4) *De Am. Dei*, *c.* 9.

betur Animæ, nec a Cardinali Bona (1), nec a Beato Joanne a Cruce [2], qui licèt in explodenda sensibili consolatione appareat aliquantisper severus, eam tamen aliquando concedit, dummodo spiritualis gulæ vitio, non anxiæ præoptetur; nec in ea quiescat Anima; imo ascendendo ad Dei bonitatem, immeritis etiam talia largientem, illâ ad laudem donantis, propriamque humilitatem utatur. Idem sentiunt & Gerson, & Divus Gregorius, ex jam dictis internis consolationibus, gaudiisque spiritualibus, veras Animæ, & ecstaticas elevationes metientes. Primus siquidem eas [ut alibi vidimus] veri raptus, mysticæque elevationis, veluti testes habet; addit secundus (3), quòd *Sancti inter visiones intimo quodam sapore discernunt*. His prætactis videamus quid hæc Virgo in hisce internis saporibus, Directorum jussu referendis, scribat, quod jactantiam, vanamque amplificationem redoleat. Dicit equidem [4] *Se Deum exorasse, ut talibus gratiis modum imponeret; videbatur enim sibi præ nimia, angustias sui cordis trascendente, dulcedine mori*. Si hoc exaggerationis nota laborare credimus, idem censendum erit de Diva Theresia, quæ in suis operibus sæpissimè in hoc sensu loquitur; & de Divo Francisco Xaverio, qui Divinorum Charismatum, quasi impatiens exclamabat: *Satis est, Domine, satis*; sicuti de Divo Philippo Nerio, qui divinarum consolationum pondus substinendo impar orabat: *Contine Domine undas gratiæ tuæ, quia non possum substinere multitudinem dulcedinis tuæ* (5). Scribit insuper [6] se *magnitudinem delectationis infusæ enarrare non posse*. Eadem prorsus methodo de iisdem fari legimus Divum Hieronymum; qui de quodam suo raptu sic ait [7]: *Quid tibi manens felicitatis habuerim, quid inenarrabiliter delectationis sentiebam, testis est ipsa Trinitas, quam cernebam, nescio quo intuitu*. Divum etiam Bonaventuram, qui glossando illud Sapientiæ (8): O *quàm suavis est, Domine, Spiritus tuus*, sic ait: *Exclamatio est innuens insufficientiam loquentis ad exprimendum, quasi dicat, non valeo dicere quantum*. Addit (9) ipsa, quòd raptùs tempore *singulari gratia faciebat Deus animam suam unum secum Spiritum; unde submersa remanebat in pacis oceano, liquefacta dulcedine simul, & amore*. Condemnare non possum exaggerationis hæc verba, ni velim eadem nota proscribere, quæ authumat Carthusianus (10): O *quàm benè, & optimè est tunc Anima amorosè contemplantis; quàm serena, quàm jucunda, quàm Cœliformia, & tranquilla sunt omnia! Nulla tunc nebula visitur, nulli turbines passionum, nullæ involutiones phantasmatum; a præsentia Solis justitiæ, & ardore fulgoris sapientiæ fugiunt omnia illa*. Affirmat etiam hæc Virgo (11), quòd in tali statu Spiritus ejus se dilatabat lætitiæ sensu; naufragabat in quodam dulcedinis mare; fixus remanens, & immobilis in admirabilis veritatis pelago, ubi tranquillissimo fruebatur silentio. Si hæc nimia præ-

(1) *De Discret. Spirit. cap.* 12, *num.* 4. (2) *Ascensu ad Montem Carm. lib.* 2, *c.* 7. (3) *Lib.* 5 *Moral. c.* 16. (4) *Sup. Par.* 1, *cap.* 1, §. 1; & *cap.* 3, §. 2. (5) *In ejus Vita, lib.* 2, *c.* 1.
(6) *Sup. Par.* 1, *cap.* 1, §. 1. (7) *Ep. ad Virg.* (8) *Apud Mans. in Bibliot. Mor. Tract.* 16, *disc.* 2. [9] *Sup. Par.* 1, *Cap.* 5, §. 3.
(10) *De Fonte lucis*, *c.* 13. (11) *Sup. Par.* 1, *cap.* 5, §. 3.

præfidentia, aut tumore dicta suspicabor, quid dicam de iis, quæ altiori stylo, loquens de Infusa contemplatione, profert Carthusianus [1]; *Præ admiratione, & amore deficit Anima a se ipsa; gaudiosè, & dulciter absorbetur, & quiescit super dilectissimo Deo, Creatore, Salvatore, & miseratore, imò super piissimo suo Sponso, totius beatitudinis suæ fonte, omnipotentissima, & liberalissima sua causa.* Cæteras ejusdem Virginis in hac materia scribendi formulas inutile duxi largius transcribere; quia ex jam allatis, & mox afferendis Sanctorum dictis satis, ut opinor, interpretari possunt. Unam tantummodò, quæ mihi admirationem peperit, clausulam non tacebo. Et hæc est, quòd in elevatioribus quibusdam Raptibus, ex Obedientia describendis, sic loquitur (2): *Remanens juxtà capacitatem meam perfectè plena, fruebar Abysso quodam delitiarum, gaudii, ineffabilissimæ, supernaturalis, jucundissimæ & fœlicissimæ beatitudinis.* Quod idem postea altius exprimit, addens (3): *Implevit Deus intimè Animam meam, faciens illi dulciter, tranquillaque requie prægustare specimen quoddam beatæ fruitionis, quam in pulcherrimo suo communicat Paradiso.* De turgidioris Emphasis reatu hæc dicta non condemnabo, si Opera legam Divæ Theresiæ (4), & maximè in Castro Interiori, ubi docet impertiri Animæ a Deo in tali statu experientiam quamdam eorum, quæ ipsi destinavit in Cœlo: si horum notitiam hausero a Divo Bernardo, dum (5) de Spiritu loquens a Deo taliter elevato, ait: *Æternæ beatitudinis gaudia degustans;* si meminero insinuari similia a Carthusiano, authumante de Mystica Theologia (6): *Ipsa consolatio in præsenti experta, quid est aliud, quàm gaudii cœlestis prælibatio quædam?* & alibi (7): *Ista dulcedo est quoddam præambulum futuræ dulcedinis Beatorum.* Dum ergo tali stylo apertè loquuntur Sancti, cur ego experientiâ carens, similia in hac Virguncula calumniabor? Heu, fateor, incredibilia mihi fortè videntur, quia Virtute, & mortificatione ducibus, eadem experiri non mereor. Credamus, credamus igitur in hac etiam vita adimpleri posse in nobis, si volumus, ea, quæ Divina promisit Bonitas (8): *Ecce ego reclinabo super eam fluvium pacis. Ad ubera portabimini, & super genua blandietur vobis.* Conemur promereri consolationes illas, quibus onera pro sui gloria laborantium allevat, & dulcia reddit Divina Charitas; non potans illos solummodò, sed submergens delitiarum inundatione, ut cecinit Psalmista (9): *Torrente voluptatis tuæ potabis eos;* ad quæ verba respiciens Angelicus, ait (10): *Torrens voluptatis Spiritus Sanctus, qui irrigat omnem Animam Spiritualibus fluentis.* Hæc ab Animarum Deo servientium relationibus addiscere satius esset, quàm illa censorio criterio, suspicionis ergo, subjicere. Unde mihi sanè mirum non est, quòd Maria Catharina delectationes, quas, Deo donante, in Spiritus elevatione experta est, grandiusculo quidem, sed minori tamen, quàm postulet rei veritas, stylo referat. Etsi enim Dei Dona in se aliquali laudaret impetu, veniam attamen impertiri deberemus Animæ extra se

 raptæ;

(1) *Loco supracitato.* (2) *Sup. Par.* 1, *Cap.* 4, §. 5. (3) *Ibid.*
(4) *Mans.* 5. (5) *De Scala Claustrali.* (6) *In Ps.* 4. (7) *Apud Mans. Bibl. Mor. Tract.* 16, *Disc.* 2. (8) *Is.* 66, 12. (9) *Ps.* 35, 9.
(10) *In Ep. ad Gal.* 5, 2.

raptæ; cùm dicat Richardus a Sancto Victore hoc moris esse omnium, qui Divinæ communicationis memores, earum admiratione, & jubilo, extrà se rapiuntur (1): *Quàm assidua recordatione, quàm jucunda admiratione credimus inspectam claritatem retractare*.

§. II. De Divina Charitate non sentit, ut par est, qui Spirituales delicias a Deo, ut suum jugum suave reddat, Animabus, quæ eidem voluntariè colla subdunt, sæpesæpius infusas, scrupuloso negant rigore; & pariter non attentè recogitat de bonitate, qua cœlestis Amor in iisdem deliciari dignatur, qui blanditias quasdam, quibus ad alliciendam sacrarum maximè Virginum in se dilectionem, in internis allocutionibus aliquando utitur Deus, veluti imaginarias, & a serietate Divinitati alloquenti debitâ alienas, respuit. Has igitur in hisce relationibus aliquoties repetitas prima fronte quasi nauseabundus admirans, tandem me ipsum reprehendi, considerans quòd reminisci non possumus jubere Deum adorari a nobis reverentiali timore ut Dominum; sed simul diligi filiali confidentia ut Patrem, ut Amicum, ut Sponsum: quin amatoria quædam verba a Majestate, se pro sua dignatione humiliante, ad cor devotarum sibi Virginum prolata, & de quibus Ecclesiasticæ Historiæ pluries nos docent, ut Mysticas Divinæ benignitatis, Animas ad se trahentis, illecebras veneremur. Hinc nonnisi ægrè ferre possem rigidum nimis eorum (si qui essent) supercilium, qui blandientia aliqua verba, quæ Maria Catharina ab Æterno Patre, sive a Christo, interius sibi dicta, in suis relationibus ex Obedientia testatur, ac si superba essent figmenta, indignatione prosequerentur. Hæc igitur, ut vera, canonica, & non phantastica, aut commentitia esse, probabiliter saltem, mihi ipsi suadeam, in tres considerationes reor distinguenda. Prima, an nomina illa, quibus ipsam aliquoties (2), *Columbam speciosam*, *Lilium puritatis*, *Amicam comiter appellavit*, Majestati immensæ, sed amanti conveniant. Secunda, an salva fide possit admitti, quod Deum, illam intimè, & in Ecstasi alloquentem, dixisse refert (3). Quòd videlicet *in ejus Anima, facta a se suo Throno, Divina resideret Majestas*; addens ad ejusdem sublevandam, qua ex humilitate premebatur, pusillanimitatem: *Animam ejus, mediante Divinâ, actuali, & habituali gratiâ, qua ad ipsum effectivè amandum promovebatur, Sole splendidiorem, niveque candidiorem esse*. Quibus in verbis hoc captu difficile apparet, quomodo eam Deus de sua gratia certiorem reddat, quando Divino Spiritu docente didicimus, quòd *Nemo scit utrùm Amore, vel odio dignus sit*. Tertia tandem, quòd ipsa refert audivisse se in Raptu Æternum Patrem sibi dicentem (4): *Misisse Filium Unigenitum in terris ad hoc, ut Animæ ejusdem tot communicaret Charismata*; ubi existimasse videtur pro se sola incarnatum esse Dei Filium, quæ quidem intolerabilis esset jactantia. Omnia hæc clarè exponere non renui, ut cognoscatur me eorum, quæ gignere suspicionem possunt, ea quam debeo sinceritate, nihil abscondere. Deveniamus modò ad hæc, ex Sacrarum Scripturarum sensu,

(1) *In Beniamin. Maj. lib.* 4, *c.* 7. (2) *Sup. Par.* 1, *cap.* 1, §. 1; & *c.* 2, §. 1; & *cap.* 9, §. 13. (3) *Sup. Par.* 1, *c.* 3, §. 2. (4) *Sup. Par.* 1, *Cap.* 3, §. 2.

sensu, Sanctorumque auctoritate, & exemplis interpretanda. Et circa primam de nominibus considerationem, quibus illam in Raptu blandè, amanterque allocutus est Deus, animadverto ad dictum illud, de quo Sancta stupebat Theresia: *Delitiæ meæ esse cum filiis hominum*. Recogito quòd Deus in Sacris Voluminibus, Charitatis magis, quàm Majestatis memor, sæpissimè se Patrem, Matrem, Nutricem, erga nos protestatur. His perspectis, quomodo suspicari valeam infinitæ celsitudinis, at æqualis Bonitatis Deum nos tenellos suos puerulos his blanditiis alloqui non debere? atque talia, ceu pueriles illecebras, Divinam auctoritatem, seriò semper, & inter fulmina, ut in Scripturis habemus, alloquentem, non decere? Possem utique ad me, si hoc sentirem, evincendum hic afferre vel ea, quæ mirabili affabilitate sibi sæpius a Deo dicta in suis Revelationibus Sancta refert Birgitta; vel illa verba tenerâ quadam comitate plena, quibus a Christo aliquoties se amanter illectam Sancta testatur Theresia; vel familiares illas allocutiones, suavissimaque blandimenta, de quibus quamplurima in Vita Sanctæ Gertrudis, per eruditissimum Lanspergium exarata, leguntur. Multa adderem hujus generis, ex Ecclesiasticis Annalibus deprompta, & probè notaiis, qui altioribus Theologiæ studiis aliqua de Actibus Sanctorum admiscere non dedignantur; quibus omnibus accederet mysterio non vacans Ecclesiæ mos pulchritudinis laude, Sponsaliumque utentis memoria in Officiis Sanctarum Virginum; imò (quod sæpè demiratus sum) in Festivitate Sanctæ Agnetis Mystica, altiusque quàm sonent, canentis blandimenta. Sed hæc libens omitto, sciens exemplis Divinam auctoritatem esse anteponendam. Constans est Sacrorum Interpretum sensus, Spiritum Sanctum Cantica Canticorum dictasse in ostensionem præcipuæ, ardentisque Charitatis, non solummodò erga Sanctissimam Virginem, Sanctamque Ecclesiam, sed etiam erga Animas quaslibet sibi devotas, ipsique digno fervore servientes. Videantur de hoc Origenes, Bellarminus in Canticorum expositione, Divus Thomas, aliique multi apud Cornelium a Lapide (1), qui versus omnes dicti Cantici de quolibet vero Dei amatore fusius explicat; quod idem faciunt ab eodem citati, Rupertus Abbas, Ugo de Sancto Victore, & Divus Gregorius. Quod si verum est, hoc uti mihi licet argumento. Si ea, quæ Directorum imperio coacta, blandientia verba, sibi interius in ecstasi a Deo insinuata, hæc Virgo conscripsit, majora sint, quàm quæ Paraclitus suæ Charitatis ostendendæ causâ dictavit; illa utique libenter respuam. Sin autem invicem collata, multò inveniuntur modestiora; qua ratione ut commentitia præscribenda sint, fateor, prorsus ignoro. Ad secundam igitur transeamus considerationem, quæ in eo sita est, quòd hæc Virgo scripsit, ut supra memoravimus, dictum sibi interna loquutione a Deo, quòd Anima ejus facta esset, Divina gratia operante, Divinitatis Thronus; quòdque eadem candida esset, & splendens. Hic, ut reor, dubium non est de Throno Divinæ Majestatis, aut de Gratiæ candore; hæc etenim vel difficultatem non involvunt, vel de iisdem sequenti loquemur Paragrapho. Hæsitatio tota esse potest, quòd hac loquendi for-

(1) *Prolegom. in Cant.*

formula videatur illam Deus certiorem reddere de statu innocentiæ, & gratiæ, quod sanæ repugnaret Theologiæ. Hanc dubitationem fas mihi sit resolvere cum D. Thoma; qui quærens, an quis scire possit se esse in gratia, respondet, quòd firma certitudine, seclusa Divina revelatione, hoc est impossibile, non autem probabili quadam conjectura, quòd scilicet homo sentiat se Deum, ejusque gloriam intimè diligere, operibusque hanc dilectionem præceptis, & consiliis obediendo, pro viribus exercere. Verum tamen est, quòd Divina Bonitas, hoc Animabus aliquando revelat, & maximè ad heroicas actiones, magnosque labores a sua Providentia destinatis, ut facilius, & fortius ea, quæ agere, vel pati debent, spei vigore substineant (1): *Revelat Deus hoc aliquando aliquibus ex speciali privilegio, ut securitatis gaudium etiam in hac vita in eis incipiat, & confidentius & fortius magnifica opera prosequantur, & mala præsentis vitæ substineant*. Si igitur de prædicta Divinæ Gratiæ manifestatione, & per consequens, de attestato Animæ candore, non demiratur Angelicus, cur quæso simile privilegium obstinatè negemus possibile in hac Virgine, ad præcipuum Amorem, ad labores, ad tentationes, ad infirmitates, doloresque quasi continuos, a Deo, ut jam vidimus, electam? Aliam tamen congruentiam addere liceat, quòd videlicet eo tempore, quo Divina Bonitas eam de statu Charitatis securam reddidit, laborabat illa super multis, quæ passuram sibi Dominus revelaverat, fragilis cordis naturali repugnantia, suorumque defectuum pusillanimi quadam cognitione; & ob id in ecstatico cum Divino Verbo secum colloquente Dialogo, hæc omnia humiliter confitens, dicebat (2): *Quomodo in Anima mea tam vili & deformi tua regnat Majestas?* Cui, ne nimia eam opprimeret humilitas, nil mirum si Divina Bonitas, ut fiduciam foveret, de Animæ suæ candore, & sua gratia certificare dignatus est. Hoc novum non erit, aut incredibile, si memoria recolamus Deum Apostolo humanas lugenti miserias, eodem ferè sensu respondisse: *Sufficit tibi gratia mea*. Paragraphum claudamus, tertium dubium breviter dissolvendo. Fundatur equidem hoc in rigorosa nimium interpretatione dicti unius, quo ipsa refert dixisse sibi in Raptu Æternum Patrem (3): *Misisse se Filium suum Unigenitum in terris, ut eidem tot impertiretur Charismata*. Ubi causare possent nonnulli in hac periodo apertam reperiri jactantiam; quasi glorietur pro se præcipuè Incarnationis destinatum Mysterium. Huic (si alicujus ingenio irreperet) suspicioni, opponerem solummodò quod de se ait Apostolus (4): *Dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*. Quæ verba commentaturus nobis insinuatur Chrisostomus, eadem nos teneri gratitudine, amorisque Divini admiratione, ac si pro unoquoque nostrum, solummodò, & privatim operatus, & passus esset Jesus, quod pro omnium facere, & perpeti dignatus est salute; eâdem enim prorsus Charitate singulos Deus, qua omnes, prosequitur (5): *Neque recusaturus fuisset vel ob unam tantùm Animam exhibere dignationem, adeò singulum quemque hominem pari Charitatis modo diligit; quo diligit Mundum universum*. Quod idem in suis

(1) 1, 2, q. 112, a. 5. (2) Sup. Par. 1, Cap. 3, §. 2.
(3) Sup. Par. 1, Cap. 3, §. 2. (4) Gal. 2, 10. (5) In Ep. ad Gal. loco cit.

suis Soliloquiis D. meditatur Augustinus; atque ob id in Raptu audire potuit hæc Virgo similia iis, quæ Sanctæ Gertrudi recogitare mandavit Christus, in evidentiorem Divini sui Amoris ostensionem, sic cum ea loquendo (1): *Si tua expediret saluti, vellem pro te sola omnia tolerare, quæ toleravi pro toto Mundo.*

§. III. Esto (dixi adhuc dubitans intra me ipsum) Esto mirabiles sint in contemplativis Divini amoris deliciæ, & ex immensa Dei charitate ad animas sibi devinciendas, allicientia quædam, & insolita aliquando verba prodeant; sed ad quid ista evulgare? videbatur enim mihi audiri non posse sine nausea muliercula dicens (2): *Se deificatam cum Deo unione simplicissimi, purissimi, & perfectissimi amoris: Se elevatam in spiritu usque ad cælestem Hierusalem, ad legendum in libro Divinæ sapientiæ arcana Dei: & absortam a Pelago Divinitatis: sublevatam ad Cœlum Empireum, ubi vidit Divinam Essentiam: Attraxitque eam Deus ad suam nudam, & simplicissimam unitatem.* Exclamare posset aliquis hæc legens: *En alter Paulus, raptus ad tertium cœlum; imo Paulo major; ille enim se vidisse Divinam Essentiam, dicere non est ausus.* Ad me tamen rediens, & eorum, quæ in sacris historiis sæpius legi, memoria correptus, neminem fore credidi, qui in tam præcipiti rueret Ironia, si animadvertit ea, quæ de his Divinis Visionibus Theologi asserant. Et quidem de horum evulgatione Maria Catharina culpanda non est, uti videbimus; cætera, quæ interpretarentur fortasse ut vanitatis suspecta, propriis examinabimus locis. Nunc de visa a se Divina Essentia, Divinisque arcanis disputandum est. Pro qua difficultate animadvertendum, ex omnium Theologorum, & Mysticorum consensu, triplici modo Divina a nobis videri posse, idest, intellectu conspici, in quo vera visio anthonomaticè ponitur. Fide scilicet, qua Deum obscurè quidem, sed infallibiliter per ejus opera, & fidei mysteria, tamquam per speculum, & in ænigmate cognoscimus; & hic est Viatorum, & maximè eorum, qui meditando, revelatas veritates speculantur. Per species intelligibiles a Deo in intellectu infusas; quibus peculiaris Dei gratia, ab eodem in ecstasi & in raptu, raro, & paucis elargita, Spiritum elevat; & dicitur Visio Abstractiva. Per lumen gloriæ ipso Deo cum intellectu per se, & immediatè concurrente; & hæc Visio est Intuitiva, quæ Electis reservatur in Patria. De primo in primo libro hujus secundæ partis dictum est satis. De tertio, competit nobis spes potius, quàm inquisitio. De secundo quærimus, an scilicet Divinam Essentiam possit quis, Deo dante, abstractivè intueri. Et in hoc non legi usque huc auctorem, qui huic Visioni, si benè intelligatur, se opponat. Hac testatus est Divus Hieronymus se Trinitatem vidisse, scribendo de quodam suo raptu (3): *Testis est ipsa Trinitas, quam cernebam, nescio quo intuitu.* Hac Sancta scribit Theresia (4) se ecstaticè conspexisse quamdam Imaginem Divinitatis in Throno sedentis. Hac Beata Angela a Fulgineo (5) se Sanctissimam Triadem, divinaque multa arcana

[1] *Apud Blosium in Mon. Spirit. de Cruce.* (2) *Sup. Par. 1, Cap. 1, §. 1; Cap. 4, §. 4; & Cap. 5, §. 3.* (3) *Ep. ad Virg.* (4) *Sua Vita, cap. 25.* (5) *In Octava Consol. c. 27.*

cana in mentis elevatione cognovisse fatetur. Et ut dictis Sanctarum Virginum Sacræ Scripturæ testimonia succedant; de hac abstractiva Visione omnes explicant Interpretes, quòd Moyses (1) loquebatur cum Deo *facie ad faciem*; quod de se dixit Job (2): *Nunc oculus meus videt te*; quod scribit Isaias (3): *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum*, ubi probabiliter omnes tres divinas Personas Prophetam vidisse credit Tirinus (4); Intuitiva enim Visio, excepta Beatissima Virgine, & forsitan Apostolo, de quo tamen ambigitur, nulli concessa est in hac vita, juxtà illud, *Non videbit me homo, & vivet*. Sed abstractiva, sensu superius allato, negari prorsus non potest; ita concludunt Alliacensis, Abulensis, Albertus Magnus, Divus Antoninus, & alii multi, cum Scoto (5). Non enim hac Visione Deus cernitur immediatè, ut est in se, sed in quadam intellectuali imagine, quam menti Deus se revelans infundit; quod totum profundè describit Arphius (6): *Porrò lumen istud non est Deus, sed prævia lux quædam intellectualis, quam nec sensus, nec ratio capere valet*. Meæ igitur admirationi, atque hæsitationi aliquantisper compatior; magnum siquidem est aliquid, & auditu arduum, legere in mulierculæ scriptis, se Divinam Essentiam, atque intima quædam Divinitatis intellectûs intuitu conspexisse. Sed quæso, cur hæc mirabilia de intuitiva Visione, quæ omnibus penè in hoc exilio negatur, & non potius de abstractiva ab omnibus Theologis laudata interpretabimur? Eò magis, quò clarius, & pluries ipsa divino intelligentias suas sibi infuso attribuit lumini (7); quod inficiari, idem forte esset, ac Dei liberalitatem nostræ opinionis angustiis velle metiri; imo & Spiritus Sancti dona impugnare, quibus per Intellectum, & Sapientiam, ut in libro secundo hujus partis fusè probavimus, non minus mentem ad sublimiora penetranda elevat, quàm voluntatem ad amorem accendat. Sed de his fortè satis: paucula alia dubia his intelligentiis connexa hic enucleanda notemus. Primum est in modo illo loquendi, quo se affirmat (8) *elevatam ad Divinorum arcanorum manifestationem*; ubi animadvertamus dixisse Redemptorem nostrum Apostolis, imò cæteris suis fidelibus: *Omnia quæ audivi a Patre meo annunciavi vobis*. Et quid, peto, audivit a Patre, nisi suæ Divinitatis arcana? quæ si cunctis annunciavit revelatione fidei, cur ergo mirer eadem Virgini, sibi peculiari amore devinctæ, dignatum manifestare, ecstatica, qua illam ad se attrahebat, Visione? cùm maximè hæc arcanorum Dei manifestatio ab ea, quæ fide nobis est elargita, nisi secundùm magis & minus, idest quoad clariorem, nobilioremque specierum infusionem non discrepet? Cujus utique infusionis alia mensura non datur nisi Omnipotentis voluntas. Secundum dubium est, quòd hæc quidem vera existimari possunt, sed ob superbiæ periculum, legentiumque scandalum, non esse literis exaranda, & multò minus publicè evulganda. Totum hoc generatim fateor; sed non semper, & in casu nostro hæc officit

(1) *Exod.* 33, 11. (2) *Job*, 42, 10. (3) *Is.* 6, 1. (4) *Ibid.*
(5) *In 2 Sentent. Dist.* 3, *q.* 9. (6) *De Myst. Theol. P.* 4, *c.* 61.
(7) *Sup. Par.* 1, *cap.* 4, §. 5; *& ib. cap.* 5, §. 3. (8) *Sup. Par.* 1, *cap.* 4, §. 5.

officit cautela. Non semper; quia aliquando ad majorem Dei, sese immensa charitate animabus communicantis, gloriam, spemque de incomprehensibili bonitate fovendam, hæc sciri est perutile; unde similia non solùm in Sanctorum historiis, sed etiam in Patrum voluminibus memoriæ tradita quotidie legimus. Non in casu nostro; non enim has intelligentias Maria Catharina, ut aliorum manibus evolvendas exaravit; imò nec conservanda quidem somniavit. Scripsit siquidem jussa, sicut ex ferè omnibus ejusdem Relationibus, obedientiæ titulum in fronte gerentibus, apertissimè constat. Scripsit confidenter, & solis suis Directoribus, quibus illius folia solummodo directa legimus; & scripsit filiali simplicitate, ut Spiritus sui arcana, quæ cæteris omnibus religiosâ abscondebat cautelâ, suis Patribus Spiritualibus, vel probanda, vel rejicienda aperiret. Talis est omnium, qui maximè ad perfectionem tendunt, indispensabilis lex, quòd videlicet iis, qui eos dirigunt, interna sui cordis, ni falli velint, non claudant. Cur ergo timeamus jactantiam, ubi sola clarè lucet obedientia? Observemus potius hoc verarum Dei communicationum apud Emin. Bonam (1) argumentum esse, si nempe cunctis cautè taceantur, Animarum verò magistris humiliter revelentur.

§. IV. Soluta forsitan essent hæc dubia, sed ingeniosus mei zeli timor aliud invenit, quod primo aspectu rationabile videtur, & est certitudo quædam de internis a Deo auditis collocutionibus, quæ vanæ gloriæ, vel deceptioni posset adscribi. Transcribamus hic eorum exemplaria, ne videamur suspecta artificiosè reticere. Dicit ergo de suis Imaginariis visionibus: *Securam magis esse, quàm si easdem oculis cerneret* (2): *Quòd in Angeli quadam apparitione certificata remansit de veritate sibi ab Angelo enunciata sine aliquo Divinæ bonitatis dubio* (3): *Quòd inspirata internè a Deo de iis, qui se consulentibus respondere debebat, videbat ea, quæ Animabus eloqui conveniebat majori claritate, quàm Sol in meridie resplendeat*. Quòd sentiens se impulsam a Deo inspiratione eundi ad Hospitalia, in quibus postmodum fuit, proprio Episcopo, hanc rem seriò examinanti, hæc, ut videtur, audacter scripsit, videlicet (4) *Mihi certè videtur absque omni dubio, quòd si ad ea eundi permissio concederetur, multæ resurgerent ad pœnitentiam Animæ*. Et in alia ad eumdem Episcopum Epistola asserit, se scire (5): *Quòd Deus per ipsam vult multas Animas expiscari*. Quæ & alia similia stupens forsitan Lector, & quomodo (dicet), & quomodo sinè jactantiæ aut deceptionis nota, hæc tolerari potest de suis apparentibus revelationibus certitudo? quando Sancta Theresia, & in se ipsa novit, & suas docuit Moniales, de hisce internis timere semper, & securitatem noxiam, imò deceptioni expositam vitare sui ipsius confidentiam. Exempla Seraphicæ hujus Virginis libens suscipe; quippe quæ conceptam a me dubitationem expellunt. Noto etenim hanc Carmeli magistram, licèt timore, de quo sæpe dolet, continuò, ad pleniorem rerum mysticarum cognitionem a

(1) *De Discret. Spir. loco superius cit.* (2) *Super Par.* 1, *Cap.* 5, §. 3.
(3) *Sup. Par.* 1, *C.* 7, §. 1. (4) *Super Par.* 1, *C.* 6, §. 1.
(5) *Super Par.* 1, *C.* 9, §. 1.

Providentia elevatam, securitatem tamen, quæ hic posset opponi ut Divinarum collocutionum, & supernaturalium intelligentiarum testem impensè laudare. Ejusdem opera seriò revolventibus superfluum esset de hac re ejus verba transcribere; attamen quia ad dubium resolvendum apprimè sunt opportuna, aliqua, quæ clariora sunt, breviter ostendam. Dicit ergo in sua Vita, se non potuisse ut plurimùm Confessoribus, de gratiis a se acceptis dubitationem insinuantibus, Deo certitudinem infundente, licèt vellet, parere (1). *Imprimitur notitia tam clara, ut de iis videatur ambigi non posse. Vult enim Deus illa tam profundè imprimi in Anima, ut dubitare non valeat, ceu de re, quam oculis viderit.* Alibi (2) *Perseverat in Anima per aliquod temporis spacium, quòd a Deo sint accepta Gratiæ certitudo tam firma, ut & si multi contrarium sentirent, minimè possit timere.* Ait insuper quòd, etsi multi homines docti ipsam calumniarentur ut deceptam (3), *sentiebat tamen in se stabilem securitatem, quòd res, quas patiebatur, essent Divinæ.* Et ne sermonem longius protraham, incitationibus eorum, quæ in hac certitudine in anima impressa, affirmat hæc Virgo, sufficit animadvertere quod ipsa concludit, divinas nempe operationes judicandas non esse, si Anima de illis incerta remaneat. Cum Sancta Theresia concordant & Card. Lauria (4), qui inter signa, veras a falsis illustrationibus distinguentia, hoc numerat: *Securitas de veritate cognita*; & Suarez (5), qui asserit imprimi a Deo fixam eorum, de quibus Animam illustrat, certitudinem. Eadem docet Richardus a S. Victore (6), scribens, *Quod in Dei lumine cernimus, quod ex ejus revelatione cognoscimus, tanta certitudinis fiducia cognoscimus, ut nulla super hoc ambiguitate pulsari possimus.* His assentitur Angelicus (7) ita concludens; de his, quæ expresse *Propheta per Spiritum Prophetiæ cognoscit* (meminerimus nomine Prophetiæ apud D. Thomam, ut alibi dictum est, Illustrationes omnes innui supernaturales) *maximam certitudinem habet; & pro certo habet, quòd sunt divinitus revelata.* Cujus veritatis Sol ille Theologorum pulcherrimam adducit rationem, quam licèt a nobis alibi tactam, hic, ut dubio, de quo agimus, profuturam, repetere non piget; ait etenim (8): *Sicut per lumen naturale Intellectus redditur certus de his, quæ illo lumine cognoscit; ità de his, quæ supernaturali lumine apprehendit, certitudinem habet.* Tot Sanctorum sententiis edocti, de illata securitate jactantiæ suspicionem haurire, ut credo, non audebimus; si ea, quæ Maria Catharina in raptu vel audivit, vel vidit, ex infusa sibi a Deo luce prodiisse probabiliter perspiciemus. Hoc satis clare, & prout in talibus ferri potest prudens judicium, evincunt & eximiæ virtutes, quas de eadem plures fide digni referunt; & sublimia, quæ de rebus divinis altiori stylo, quàm a Virguncula expectari posset, in suis Relationibus profundè describit; & eventus, qui futura sibi a Deo prædicta verificarunt; quæ omnia ex hucusque a me relatis apertè constant, & satis innuunt Divinum Lumen

(1) *In Vita*, c. 27. (2) *In Castr. Inter. Mans.* 6, 5, 9. (3) *In sua Vita*, c. 23. (4) *De Orat. Opusc.* 7, c. 9. (5) *De Fide*, *Disp.* 3, *Sect.* 8, *Disp.* 8. (6) *In Erud. Hum. Int. Inter.* (7) 2, 2, q. 171, a. 9
(8) *Loco cit.*

Lumen menti hujus Virginis illuxisse. Quod si, ut par est, probabile, concedamus, quis contra Theologorum placita certitudinem, quàm refert, de falsitate, aut jactantia notare audebit? Animadvertamus insuper, quòd illa de auditis in Ecstasi, & visis, de quibus certitudinem videtur asserere, nec inconsultò, nec temerè judicabat. Cuncta enim ne fortè in vacuum curreret, suis Directoribus aperiebat, eorum consilio, & judicio, vel approbarent, vel reprobarent, subjecta, ex quo Relationes, quas habemus, prodiere. Et subjecta tali spiritus indifferentia, ut non obstante certitudine, quam interius sentiebat, prompta, alacrique obedientia eorumdem proprium dictamen simul, & voluntatem, imperio subderet, & judicio. Testantur hoc quæ in duabus Epistolis ad Sarzanensem Episcopum suum Directorem ipsa fatur; dicit etenim (1): *Licèt absque dubio videatur mihi quod si ad Xenodochia prædicta irem, multæ revocarentur a peccatis Animæ, hoc non obstante Divinæ misericordiæ ope ita veraciter tuæ vivo subjecta voluntati, ut in ea Divinam voluntatem venerer; relinquit enim mihi inspiratio hujus itineris firmam, stabilemque obedientiam, quæ me non sinit assentiri, nisi tuæ directioni, & voluntatis oraculis.* Et in alia ad prædictum Episcopum Epistola, quæ legi potest supra Par. 1, c. 9, §. 1, eandem testatur sui spiritus subjectionem. Hæc igitur verba indifferentis resignationis plena sunt ne turgiditatis Spiritus proprio opinantis sensu, an certitudinis a Deo infusæ argumenta? Possumus ne suspicari superbiam, ubi tam clara resplendet resignationis humilitas? non certè; imò bene junguntur & sui ipsius formido, qua Anima ad Patres Spirituales consulendos compellitur, & securitas, quam, mentem interius inspirando, imprimit Deus; de qua securitate legimus apud Divum Thomam (2): *Deus animabus Sanctis loquitur, in quantum eis certitudinem infundit, quæ locutio non solùm attendetur quoad species rerum impressas, sed etiam quantùm ad lumen inditum, quo mens de aliquo certificatur.*

§. V. Et quænam est hæc Humilitas? (instavit mentis meæ scrupulosa formido) Potest ne humilis judicari fœmina, quæ se gloriatur? (3) *Dei esse instrumentum ad salvandas Animas; vocatam se ad peccatorum Conversionem, ac proindè eloquentiâ ac scientiâ ad omnium capacitatem accommodatâ, a Divina Providentia donatam.* Videbantur ergo mihi nescio quid superbiæ hæc redolere dicta; sed re profundiùs perpensa, evanuerunt ambiguitates, a Sanctorum tum placitis tum exemplis evictæ; quas, ut clarius exponam, dubia quæ de hoc oriri possent in duas liceat Classes dividere. Prima; an præsumptioni adscribendum sit, quòd Anima prudenti ratione sibi videatur a Deo, ut proximorum salutis instrumentum, electa. Secundùm; an Jactantiæ tribuendum, quòd aliquis Dei Dona, sibi ad aliorum utilitatem impertita, rationabili de causa testetur. Prius attamen quàm ad hæc enodanda calamum admoveamus, animadvertendum, hæc Mariam Catharinam soli Episcopo suo in Spiritu Patri, filiali scripsisse confidentiâ; & hoc tantummodò, ut ad ejus memoriam reduceret ipsius Vocationem, quam ipse jam pro-

(1) *Sup. Par.* 1, *c.* 6, §. 1. (2) *Loco supracit.* (3) *Sup. Par.* 1, *c.* 6, §. 1; *&* *c.* 9, §. 1.

fundè callebat, & longâ didicerat experientiâ. Unde fisa secreto, quod religiosè servare tenentur Directores, numquam credidit evulganda. Hac igitur cautione ad primum dubium accedamus examinandum, cujus rei gratiâ lectorem precor, ut ad ea, quæ in Lib. III longiusculè demonstravimus, oculos simul, & mentem convertat; videbit etenim illic, quoties Deus huic Virgini internis in Spiritu allocutionibus de Animarum ipsi commendata salute, suam intimaverit Voluntatem; & quot viris doctis, atque in Spirituum directione experientiâ pollentibus, ejusdem Vocatio examinata fuerit, & approbata. His omnibus ritè perspectis, Vocationem ejus ad Xenodochia non propriæ phantasiæ figmentum, sed Dei revelantis lumen fateri cogimur; ac proinde juxtà in superiori Paragrapho jam firmata, de eadem experientiâ ipsâ teste reddebatur secura; & securior Patrum Spiritualium sæpius iterata approbatione, qui Divinæ hujus electionis complementum apud Superiores pro facultate solicitabant. Quomodo igitur eam præsumptioni sistamus ream, si tot fundamentis innixa, se ut peccatorum Conversionis instrumentum a Deo præordinatam esse pro certo habebat? Nonne Prædestinatio non solùm finem, sed & media ad finem præordinat, ut omnes sentiunt Theologi? Novum ne est simplices nonnumquam Virgines ad suæ omnipotentiæ clariorem gloriam, Deum, qui infirma Mundi eligit, ut fortia quæque confundat, gratiarum, quibus nos inundare vult, veluti canales aliquando præelegisse? Talem se apud Lanspergium in ejus Historia Sancta testatur Gertrudes; talem pluries in suis Revelationibus se Sancta dicit Birgitta; & præcipuè in una, in qua scribit sibi interius dictum a cœlesti Sponso (1): *Tu quoque eris Sponsa mea, & Canale meum*. Apage, quòd de Divina ambigamus omnipotentia; tunc maximè, quando Deus accedentibus signis, quæ supra retulimus, suam patefacit voluntatem; his enim argumentis in tali casu ad veritatem discernendam utendum esse, a me alibi citatus docet Pater Gravina (2); & clarius Card. Bona, asserens in eventu, quo Anima ad insolita se vocatam referat, ad discernendum an Dei motu vel proprio impellatur instinctu, hanc servari debere praxim, quæ in hac Virgine ex supradictis verificatam patet, quòd videlicet ab interno veniat spiritualibus donis comitata Vocatio (3); *Impulsus Dei, cùm ad opera grandia, & mirabilia movet, a spiritu interno incipit, replendo illum præclaribus donis, quæ deinde posito solito humilitatis fundamento, extrà prodeunt ad alterum ædificationem*. A solutione hujus primi dubii pendet ad secundum responsio; an scilicet jactantiæ fuerit Episcopo suo Directori ad memoriam revocare dona, sibi a Deo, ut apta esset ad peccatores revocandos, participata. Ad cujus hæsitationem clarius tollendam legatur, oro, qua Spiritûs solicitudine prematur Anima, ferè impatienter optans, ut eventui respondeant ea, quæ sibi Deus revelavit in raptu, quod longiusculè Sancta describit Theresia; cujus verba hìc ferendi, ut ad rem nostram valde conducentia, veniam peto (4): *Nescio* [dicit illa de interius sibi dictis a Deo] *nescio cur Anima tali optet solicitudine, ut verba illa*

---

(1) *In Extravag. c. 47.* (2) *In Lap. Lydio, lib. 2, c. 7.*
(3) *De Discret. Spir. c. 3, num. 12.* (4) *In Castro Inter. Mans. 5.*

illa verificentur, quòd si in mendacio deprehenderetur, non credo, quòd æquali confusione doleret; & subdit posteà: *Magnum est istius Animæ gaudium, quando post multos rerum circuitus, dictis auditis respondet eventus; etiamsi ob hoc multas pati deberet tribulationes, quas potius tolerare vult, quàm non videre effectum sortiri ea, quæ pro certo habet sibi a Deo prædicta. Et hoc jure; cùm etenim loquatur Spiritus Dei, æquum est, ut hæc ei demonstretur fidelitas, quòd nempè falsum non habeatur, quod dixit, cùm sit infinita veritas*. Hac practicâ talis rerum Spiritualium magistræ doctrinâ, metiri possumus Mariæ Catharinæ anxietatem, qua optabat Divinas præditiones sæpius in raptu habitas, atque a suis Directoribus approbatas, de suo ad Hospitalia itinere, præfatum sortiri effectum; ac per consequens, addito ardentissimo Animarum zelo, quo spiritus simul & cordis patiebatur tormenta, dum simul eam impellebat Deus, & permissionis a Superioribus concedendæ retrahebat dilatio, mirari non possumus si tam rationabili ferè æstuans desiderio, suo Episcopo, ut majori rem ageret sedulitate, memoriâ suæ vocationis, & donorum, quæ ad hoc divinitus acceperat, recordationi quædam confidenter addit quasi calcaria, in quo cessat jactantiæ suspicio; non enim ad ea scribenda illam movet inanis sui gloria, sed animarum zelus; quo casu propria laus non est jactantia, sed aliquando debitum, imò Sacrificium, quod Deo, de se loquens, ut aliis prosit, non sinè spiritûs repugnantia offert humilitas. Hoc igitur sensu de se ipsis laudabiliter loquuntur & Sancta Theresia, quæ in suæ Vitæ descriptione, Charismata sibi a Deo enarrans collata, hæc addit [1]: *Tot sunt gratiæ, quibus me Deus cumulavit, ut si ea referre vellem, me tæderet, & alios*; & Sancta Gertrudes [2], quæ ut multis prodesset, Divini Amoris in se expertas delicias enarrare gestiebat. Et Sanctus Hieronymus, qui ut alios ad perfectionem accenderet, altissimas suas Visiones scriptis enarrare non renuit, scribens (3): *Ut meam insipientiam loquar ego homuncio sic abjectus, sic vilis in Domo Domini, vivens in corpore Angelorum Choris interfui, Divinæ virtutis intuitu absortus*. Et Sanctus Vincentius Ferrerius, qui magna de semetipso, ut plures invitaret ad Deum, quod habemus in ejus historia, publicè prædicabat. Erraverunt ne isti jactantiâ ducti? imò erravit ne & Salomon, qui in libro Sapientiæ de se magna loquitur? & Daniel (4) qui dicere non exhorruit in se *Sapientiam esse plusquam in cæteris viventibus?* & tandem Apostolus, qui scribens ad Corinthios, legimus quæ, ut eos ad Evangelii obedientiam alliceret, de suo raptu, de suis laboribus, de sua prædicatione loquatur. Erunt ne omnes isti, & plures alii, de superbia sugillandi? Absit hoc; non erraverunt omnes isti, qui suas virtutes, ut proximorum saluti inservirent, minimè tacuerunt, non inani gloria ducti, sed zelo. Hanc igitur jactantiæ notam delet Sanctus Anselmus (5): *Justi, & perfecti, etiam quando virtutes, quas habent, infirmis loquuntur, reprehensibiles non sunt; quia per suam vitam, quàm referunt, aliorum animas ad vitam quærunt*. Addit Divus Gregorius, æqualis esse Virtutis, bona

(1) C. 36. (2) *Apud Lansperg. in ejus Vita*. (3) *Ep. ad Virg.*
(4) *Dan.* 2, 30. (5) *In* 2, *ad Cor.* 6, 23.

bona propria humilitate tegere; & quando Animarum salus poscat, zelo impellente revelare (1): *Viri Sancti Virtutes, quas habent, & abscondunt, & proferunt; abscondunt, ne magni videantur; proferunt, ut electi invitentur*. Hoc in Maria Catharina liceat demirari. Vidimus siquidem in tribus prioribus Libris, de se ipsa quàm humiliter sentiret, & loqueretur, hoc illi dictabat propriæ vilitatis cognitio; videmus hic quàm liberè de sua vocatione, & Dei scribat Donis, istud ipsi suadebat negocii in proximorum utilitatem tendentis arduitas. Concludamus ergò, quòd laus quæ in ore proprio sordescit, quando in Dei vergit gloriam, superbia non est, sed gratitudo. Cum Divo loquor Cipriano [2]: *Non jactantia esse potest, sed gratitudinis, quidquid non virtuti hominis, sed Dei muneri adscribitur*.

§. VI. Ad integritatem Animadversionis hujus, qua ab hac Virgine mendacii, seu exaggerationis notam repellimus, pauca supersunt, quibus patientiam lectoris exerceam. Scripta enim ejus si quis vellet censoriè cribrare, impingeret forsitan in verbum prima fronte apparens turgidum nimis, quando ipsa elevatiorem, quàm passa erat, ecstasim describens, ait: *Impleverat seipso Deus Sacrarium Animæ meæ*. Hoc Sacrarii nomen, ut superbiæ proximum, si damnosè velimus, nescio quid de amplioribus titulis, quos Animabus in gratia constitutis, apud Sanctos legimus attributos, judicandum erit. Scribit Apostolus animas non solummodò nostras, sed etiam corpora (3) *templa esse Spiritus Sancti*; & alibi (4), *Templum Dei estis vos*; quod perpendens Cornelius a Lapide, ità scribit: *Mansio Dei, Sedes, Templum, & Thronus Dei, & Sanctæ Trinitatis est Anima justi*. Addit Auctor libri de Anima, & Spiritu, de quibusvis loquens justis: *Mens ejus Paradisus est, in quo, quasi in Paradiso voluptatis, Deus deliciatur*. Anima ergò quæcumque in gratia posita, perfectionemque præoptans, Theologorum judicio Divinitatis Templum erit, Thronus, deliciæ, Paradisus; & e contra, hanc hujus Virginis animam, dum àltiori raptu elevatur in Deum [quod sine invisibili Verbi, & Sancti Spiritus missione, secundùm D. Thomam, fieri nequit] *Dei Sacrarium* dici, ut a superbia emanans nomen, criminabimur? Nimis rigorosa hæc est censura, atque ideo ad alias fortè majoris ponderis examinandas, transeamus. Notari posset ut impossibile, ac propterea falsum, quod ipsa in quadam sua Relatione dicit, se scilicet in mentis quodam excessu (5) *Per quatuor horas perseverasse*; & semel etiam *per diem integrum* in altera refert id ei contigisse. Fundamentum hujus oppositionis probè video; & scio mihi objiciendam fore omnium Mysticorum auctoritatem, concludentium brevissimam esse in raptu elevationis moram. Augustini nempe, qui (6) Ecstasim vocat, *momentaneum intelligentiæ*. Gregorii, asserentis non posse mentem diu allucinantem Divini radii splendorem substinere (7): *In suavitate Contemplationis intimæ non diù mens figitur, quia ad semetipsam immensitate luminis reverberata revocatur*. Sanctæ Theresiæ, testantis (8) se vix per horæ dimidium in

(1) *Lib. 4, in prim. Regum*. (2) *Ep. ad Don.* (3) 1 *Cor.* 3, 16.
(4) *Ibi*. (5) *Sup. par.* 1, *c.* 6, §. 1. (6) *Confess. lib.* 9, *c.* 11.
(7) *Lib.* 5 *Mor. c.* 23. (8) *In sua Vita*.

in Visionis elevatione ſtetiſſe. Angelici, authumantis quòd in ſtatu altiſſimæ contemplationis, veluti ſpectata humanæ naturæ fragilitate nimis violento, anima longius perdurare non valet, ac ob id brevis ſemper eſt ecſtatica potentiarum ſuſpenſio (1): *Nulla actio diu durare poteſt in ſui ſummo; ſummum autem eſt, ut attingat ad uniformitatem Divinæ contemplationis, undè quantùm ad hoc contemplatio diu durare non poteſt, licèt quantùm ad alios contemplationis actus poſſit diù durare*. Hæc omnia ex iis, qui Myſticarum rerum non ſunt prorſus ignari, quis neſciat? Verùm allata, & maximè S. Thereſiæ (2), & D. Thomæ, profundiùs perpendenda ſunt Teſtimonia. Diſtinguit illa raptum in duos gradus, alterum, quando ab efficaciore Dei luce omnes abſorbentur Potentiæ; alterum, quando luce remiſſiori (excepta tamen voluntate, quæ ſemper amore devincitur) liberæ aliquæ remanent Animæ vires; in primo brevior eſt ecſtaſis perfectæ mora; in ſecundo verò mente, nunc alienata, nunc ad ſe redeunte, exceſſus amore Spiritum captivante, poteſt perſeverare etiam per dies. Doctrinam hanc illuminatæ rerum myſticarum magiſtræ affirmat Angelicus in authoritate ſupra allata, docens quòd, licet in plena ecſtaſis ſuſpenſione diù Anima perdurare non poſſit, poteſt tamen in remiſſiori ceu in ejus effectu, & quaſi reſiduo; *Quantum ad alios contemplationis actus poteſt diù durare*. In hoc igitur ſenſu dicatur mihi quare interpretari non poſſint Mariæ Catharinæ dicta, aſſerentis in ſuis raptibus elevationem paſſam eſſe per horas, & ſemel per diem; ideſt, a charitate, & Divina luce ejus ſpiritu nunc totaliter abſorto, nunc aliqualiter ſibi relicto, numquam tamen penitus libero? Eſto tamen in ſummitate raptus ejus anima longo temporis moraretur ſpacio. Quid ergo? eſſet ne hoc ſtatim condemnandum ut impoſſibile, ut mendacium, quaſi myſticorum legibus revinctus Deus de illis pro ſua omnipotentia diſpenſare non poſſit; atque Animam, ſibi mentis elevatione unitam quamdiu illi placuerit, retinere? Si menſuram infinitæ ſuæ charitatis limitare audeamus, falſum erit quod Sancta Thereſia (3) (non obſtante quòd ſuſpenſionem ad dimidiam reduxerit horam) per duas integras fruendo Paradiſi deliciis, ſe abſortam ſtetiſſe fatetur. Quod de Beata Angela a Fulgineo (4) per tres Dies in profundo raptu immobilem perſeveraſſe refertur. Quod de Sancta Maria Magdalena de Pazzis narratur (5) ecſtaticam per plures dies remanſiſſe, data ſibi ſolummodo libertate, ut horas canonicas recitaret. Quod Divus Hieronymus de ſe ſcribit per hebdomadas Divinorum intuitu a ſenſibus alienatum fuiſſe [6]. *Per hebdomadas* [ipſe ſcribit] *Divinæ Viſionis intuitu abſortus*. De iſtis, utpote, quorum acta probavit Eccleſia, hoc credere obligatio eſt; de noſtra autem Virgine erit humanitas. Ego autem dicam potius longiorem, quam ipſa deſcribit raptus moram, interpretandam eſſe de ſecundo modo ſupra allato; quòd videlicet perfectus mentis exceſſus brevis erat, longior autem in ecſtaſi admirationis, & amoris, ut in effectibus ab elevatiori raptu in intellectu,

(1) 2, 2, q. 180. (2) *In ejus Vita*, c. 18, & 20. (3) *In ejus Vita*. (4) *In ejus Vita*. (5) *In ejus Revel. nuper impreſſis*. (6) *In Ep. ſuperius & pluries cit.*

ctu, & voluntate relictis; juxtà Gilberti Abbatis mentem: (1) *Etsi momentaneum est, manent tamen reliquiæ cogitationis tam succensæ, tam serenæ, ut diem festum agant in animo recordantis*. Remanet adhuc quædam, &, ut reor, flocci facienda difficultas, non tamen, ut jactantiæ penitus a mea mente eradicetur suspicio, posthabenda. Observo etenim, quòd ipsa de acceptis a Deo Intelligentiis gratias agens, ait sibi communicatas; [2] *Ut ex iis cognoscatur Omnipotens, & omnium Author bonorum* [& alibi addit]; *sublimes illustrationes sibi immeritè datas; sed hoc ut in ejus vili creta Divina promoveatur gloria apud eos, qui eos audierint*. Hæc igitur ego legens, non sine fundamento timui, ne quis de iisdem, quasi muliebri præsumptione plenis, non solùm indignaretur, sed & satyricè luderet exclamando, Papæ; quàm grandis erit hæc Dei gloria si mulierculæ expectari debet a somniis. De hac autem irrisione (si fortè alicujus cogitationi irrepserit) permittatur & mihi ridere, dicenti cum Tertulliano; [3] *Congruit veritati ridere, & lætans de æmulis suis ludere, quia secura est*. Quis enim hanc ludificationem non spernat, qui in operibus Sanctæ Theresiæ legerit, illam in suæ mentis excessibus conscribendis, Divinam gloriam sæpius & quærere, & demirari? Qui animadverterit, quòd omnia propter semetipsum operatus est Deus, ut scilicet in omnibus suis glorificetur operibus, undè cuncta, quæ creavit, quamvis inanimata, ejus prædicant gloriam: (4) *Cæli enarrant gloriam Dei*, & eamdem in Animarum ad se mirabili elevatione audeat inficiari? Qui noverit ex Divo Thoma, hanc a nobis exteriorem gloriam Deum expectare, si videlicet ejus Attributa clarius & patescant, & adorentur? ex quo fatendum est tunc Deum glorificari, quando sua magnalia divini luminis illustratione profundius apprehensa veneramur. His igitur rationibus persuasi Sacri Doctores, in talibus mentis excessibus, divinisque illustrationibus, Deum laudant, & mirabundi infinitam ejus se nobis familiariter communicantis charitatem, dignis celebrant præconiis, quorum exemplaria hìc transcribere, ut de re nimis certa, idem esse, ac tempus frustra terere, duxi. Sed instabit forsitan ingeniosa dubitatio: Quomodo ex his gloriam exiget Deus, si ferè omnibus sunt incognita; & ab aliquibus despiciuntur ut falsa? Sciunt, respondeo, sciunt ista nonnulli, non quidem me evulgante, sed aliis amicitiæ ergò aliqua ex his monumentis propria manu transcripta tradentibus. Credunt his aliqui, tum scientiâ, tum pietate, tum auctoritate eminentes, qui Dei lumen in sermonis profunditate se cognovisse profitentur. Quòd si pauci sunt; meminerimus, paucorum esse Dei gloriam quærere; & paucis, ut testantur Scripturæ, donatum a Deo (quia nempe pauci hoc quærunt) ut Divinam misericordiam in mysticis communicationibus humili venerentur intellectu. Sed quid hoc interest? quia aliqui scientiâ potius, quàm pietate præditi, nescio an charitate dictante, ista non credunt, ob id vera non sunt? Permittatur mihi (longissima tamen debitaque servata proportione, quæ res fidei ab iis, quæ humana tantùm nituntur probabilitate, distant) dicere

(1) *Serm. 6, in Cant.* (2) *Sup. par. 1, c. 2, §. 1.* (3) *In Apologet.*
(4) *Psalm. 18, 1.*

dicere cum Apostolo (1): *Quid enim si quidam non crediderunt, numquid incredulitas eorum fidem* (Dei gloriam dicam ego) *evacuabit?* Credent tamen, ut spero, multi, quando juxtà illud in Evangelio; (2) *Nihil occultum quod non revelabitur*, Divina disponente Providentia hujus Virginis tandem evulgabuntur virtutes, quibus cognitis, cætera, utpotè iisdem consentientia, tam diffamatæ suspicioni non erunt obnoxia. Faxit hoc Deus: at interim ego profunda ejus adorans humilitate judicia, pro coronide hujus Paragraphi causam breviter addam, ex qua reor in scriptis Mariæ Catharinæ jactantiæ, aut mendacii prodiisse rumorem. Hoc ut plurimum in hoc sæculo moris est, mirabiles Dei in animabus operationes, ut deliramenta despicere, nisi vel natalium, vel scientiæ sublimitate fulciantur; quasi personarum acceptor sit Deus, & in sua nobiscum communicatione, aut sexum, aut nobilitatem, doctrinamve respiciat; de quo jure merito dolet Salvianus [3]: *Tam imbecilla sunt Judicia hujus temporis, & planè jam nulla, ut qui legunt, non jam considerent quid legant, sed cujus legant*. Hoc non accidit in primis Ecclesiæ temporibus; quando, [ut ex actibus Apostolicis, aliisque novi Testamenti auctoritatibus eruditis constat] a mulieribus etiam, quamvis nulla terrena claritate fulgentibus, pietate tamen & virtute præditis, Divina responsa, supernaturalesque illustrationes, prudenti, sed pariter simplici non despiciebantur humilitate. Meminerant siquidem prisci illi, & ferventes fidei cultores, dictum jam a Spiritu Sancto; *Cum simplicibus sermocinatio mea*; & a Redemptore Gratias Æterno Patri ex hoc præcipuè redditas, *Quia abscondisti hæc a sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis*.

ANIMADVERSIO III.

Examini subduntur in Scriptis Mariæ Catharinæ primi generis Intelligentiæ. Quæ nimirum, concurrente particulari Dei lumine, erui aliquantisper a phantasmatibus possunt.

§. I. AD altiora, ad intelligentias scilicet, quas Maria Catharina, Deo dante, ecstaticè se habuisse refert, examinandas, atque a suspicionibus vindicandas, progressurus, de duobus prudentem Lectoris benignitatem, ut ea sæpe in iis, quæ dicturus sum, assiduè reminiscatur, exoro. Unum; quòd suprà fusiùs probavi, aliam scilicet esse lucem in Raptu, aliam post Raptum; ac per consequens ea, quæ Divino lumine affulgente videmus ab iis, quæ memoria dictante referimus, longè distare. Alterum; quod aliquoties tetigi, sed hic fusius replicare juvat, non esse videlicet in scriptis, & maxi-

(1) *Rom.* 3, 3. (2) *Matth.* 10, 26. (3) *Ad Eccl. lib.* 1.

maximè mysticis, observandas omnes dictiones, sicut primo intuitu sonare videntur, sed ex contextu, quoad fieri potest, benignè interpretandas. Et re vera hic omnium Sacrorum Interpretum mos est, notare videlicet sedulà diligentià, vel in Sacris literis, vel in Sanctorum voluminibus, non simplicia verba, sed sensum, qui ex aliis Scriptorum dictis satis elucet. Si etenim ea, quæ Apostolus ad Romanos de Gratia & Fide scripsit, nuda, ut jacent, inconsultò sumamus, impingemus fortasse in errorem Calvini, qui inde suam hæresim de voluntatis libertate tollenda, & de bonis operibus negligendis malignè traxit; quia dictum aliquod artificiosè citans, cætera, in quibus Pauli vera mens elucet, vel voluntariè neglexit, vel obstinatè negavit. Et certè si obvio solummodo sensu, nec attento operum contextu, de Authorum opinione judicare possemus, superflua esset Interpretum diligentia, qui ad genuinam eorum, quæ leguntur, intelligentiam, locum unum Sacræ etiam Scripturæ conferentes cum alio, plura atque valde utilia conscripsere volumina. Inficiari siquidem nemo potest inconsultæ esse censuræ, dictionem aliquam fortuitò, & non integrà advertentià, ex calamo Scriptoris elapsam, condemnare, absque eò quòd toto opere inspecto, probè libratum ferri possit judicium. De hoc jure merito dolet Areopagita (1): *Est irrationabile, ut reor, atque absurdum, non vim ipsam instituti spectare, sed dictionibus inhærere*. Quæ explicans verba Chartusianus concludit, hominis non esse docti simul, & pii, non perpensis omnibus, de quibus Scriptor loquitur, & intentione, qua loquitur, eidem de quadam incauta vocabuli improprietate, vel minus diligenti verborum expressione litem movere (2): *Idest non considerare rem significatam, & intentionem loquentis, sed principaliter attendere proprietatem vocabuli*. Hoc igitur intra me ipsum attentè perpendens, vidensque ex una parte utile ac sanctum esse mulierum maximè scripta, (quæ plurima in hoc nostro sæculo irrepsere) censoriis notis expungere, ne videlicet simpliciores Animæ, cum æternæ salutis detrimento, lolium pro frumento comedant; ex alia cavendum, ne zeli æquivocatione quod frumentum est judicetur zizania; quod accideret, si non spectato scriptorum contextu aliquas clausulas, seu terminos, vel obscuros vel ambiguos, in pejorem usurparemur sensum, quos tota spectata scribentium serie, facilè ut Catholicè dictos interpretari possemus; quod idem esset ac ea, quæ utilia esse possent, quia evellenda, apparent zizania, sed triticum sunt, inconsultò eradicare, contra Patris familias præceptum: *Ne simul eradicetis & triticum*. De quo jure doleret Chartusianus (3): *nolunt scire qualiter dictio exponenda sit per terminos ejusdem, vel æqualis, aut certè clarioris significationis*. Hæc inquam ego perpendens, ne in tales laberer errores, ea, quæ in scriptis Mariæ Catharinæ ut ambigua notavi (neque enim in illis aliqua, rarò tamen, æquivoca, & interpretatione egentia, eà, quam debeo, sinceritate reperiri inficior) ad contextum eorum, quæ clarius scripsit, Theologorumque trutinam, quatenus mea patitur capacitas, exponam. Dubia ex ejusdem bene alioquin perpenso sensu explicato; errata si quæ erunt, confiteri non erube-

(1) *De Divin. Nom. c. 4, §. 11.* (2) *Ibi, art. 23.* (3) *Lo. jam cit.*

erubescam. In omnibus siquidem erramus omnes, & solius Dei est omnis scientia. Sciunt eruditi Auctorum mentem non ex calamo accidentaliter labentibus verborum sonis, attendendam esse, sed ex totius operis inspectione esse venandam. Ut enim benè notat Hilarius, verba debent intentioni servire, non intentio verbis; atque ob id illam debemus attentè rimari, non hæc scrupulosè reprehendere (1): *Sermo debet esse rei subjectus, non res sermoni; idcircò dum constat de re, vanum est de sermone cavillari.*

§. II. His ad clariorem dicendorum notitiam prætactis, sicut in primo libro hujus partis, Intelligentias a Deo animabus concessas in tria genera distinguentes, primam, cæterisque inferiorem diximus, quæ ab intellectu agente, Divino tamen lumine, donoque intellectûs confortato, a Phantasmatibus eruitur; & est elevata quædam, & jam ferè ecstasim tangens, apprehensio, de peccato, de præmio, & pœna, atque Jesu Christi, prout consideratur ut Deus homo, Passione, & actionibus; ita censuræ, quæ in hoc primo genere intelligentiarum, quas novit hæc Virgo opponi possent, mihi videntur ante alias omnes examinandæ. Initium sumamus igitur ab illa, qua hæc gravitatem altè penetravit mortalis peccati. Cùm etenim hujus cognitio maximam habeat cum virtutibus, quibus opponitur, relationem, & illarum semina, in natura nostra rationali sint a Deo indita, facilius a Phantasmatibus culpæ fœditatem a Deo Illustrata ratio valet abstrahere. Quæ ergo ista intellexit de malitia lethalis peccati, in Libro primo, c. 8, & alibi jam retulimus, nec alicui suspicioni subjecta lego. Notaretur fortè ab aliquibus, ut indiscreta, & transcendens loquendi vis, qua scribit, *Tentare peccatores usurpare Deo totam suam Divinam substantiam, eumque peccando magis inhonorare, quàm eumdem totus glorificet Paradisus amando.* Quoad primam hujus assertionis partem, nulla est difficultas; omnes etenim Sancti Patres hoc sentiunt, asserentes peccatum, cùm se divinis opponat attributis, quantum in se est, Deum destruere; unde emphatice dixit Tertullianus (2): *Destruit omne quod est Deus.* Et Cornelius a lapide concludit: *Quid est peccatum nisi Christicidium, & Deicidium?* Quoad secundam tandem, quòd videlicet plus a peccatoribus dehonoretur Deus, quàm a toto glorificetur Paradiso; hoc si alicui displiceret, animadvertat cum D. Thoma (3) & Theologis, quòd, cùm peccatum sit aversio a summo bono, ejus malitia, quoad terminum saltem, est infinita; & talis, ut nec ipsi Cherubin valeant gravitatem ejus comprehendere, ut Divus testatur Ambrosius (4). Cujus rei ratio est, quia, ut notat Divus Thomas, proportione quadam ex magnitudine injuriam passi augetur injuriantis reatus; & ob id bene Divus ait Bonaventura (5): *Offensa Dei tantùm ponderanda, quantùm est ipse.* Ex his colligitur sicut Dei dignitatem, ita culpæ magnitudinem, nullam ex creaturis comprehendere; & si comprehendere non valet, quomodo justè compensare? Qua ratione simplex creatura, quantumvis sublimis, suo finito cultu, & amore, offensæ satisfaciet, pro qua verum est satisfa-

(1) *Apud Chartus. loco citato.* (2) *Apud Celad. in Ruth.* §. 101.
(3) 1, 2, q. 87, a. 4. (4) *In Ps.* 18, 13. (5) *In Brevilog. P.*5, c. 3.

ctionem dare non potuisse nisi qui homo simul esset & Deus (1). Verùm quia hæc Virgo illam addit clausulam: *Quàm totus glorificet Paradisus*, posset quis taliter arguere: In Paradiso adest Christus, qui cùm Deus sit, & homo, plus certè Deum glorificat, quàm peccator inhonoret. Huic tamen apprehensioni facilè occurrit ratio, & practicus loquendi modus; quò generatim loquendo particularia non solemus includere; maximè ubi personæ supereminet dignitas. Quis enim de Aulicis loquens, nisi espresse se declaret, intelligitur loquutum esse de Rege? quin immo hoc suspicanti non respondeatur cum Assuero (2): *Non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex?* Est igitur Christus in Paradiso, & ex communicatione Idiomatum infinita est gloria, quàm suæ tribuit divinitati; sed observandum, quòd simul Paradisi est Creator, & Dominus, atque ideò cum cæteris Sanctis non fas est eum gregatim numerare. Et quòd sit hæc vera, non subtilis exceptio, demonstrarent utique, si tempus permitteret, multæ Sanctorum Phrases; unicum tamen addam exemplar. De Laudibus Beatæ Mariæ Virginis scribentes authumant Epiphanius (3): *Solo excepto Deo cunctis natura superior*; Damianus: (4) *Solum opificem opus istud supergredi*; Andreas Cretensis (5): *Solo excepto Deo es omnibus altior*. Ex hisce peto, arguemus fortasse omnes istos somniasse humanitati Christi, Beatissimam Virginem præeminere? Absit; sed quia Christus salva fide concipi non potest, nisi concipiatur simul ut Deus de illo, utpotè cæteris non comparando in dignitatis mensura, tacuerunt. Idem prorsus dicendum crediderim de hac suspecta Maria Catharina periodo. Nomine omnium Paradisi Civium non includendum putavit gregatim Christum, qui Paradisi, non ut cæteri, solummodo incola est, sed quod non cæteri, Imperator, & Dominus. Non erravit ergò illa si rite perpendatur hoc dictum; & placeret utique Deo, ut talis utili meditatione potius apprehenderetur, quàm ociosâ censurâ, notaretur veritas; proficuè siquidem ad profundius concipiendam, imo ad detestandam læthalis peccati nos duceret gravitatem.

§. III. Peccatum sequitur imminens pœna; undè de hoc secundo loco examinandæ succedunt Intelligentiæ, quas de Purgatorio, & Inferno, huic Virgini a Deo communicatas in libro quarto, Animadvers. octava, paragrapho tertio, & quarto, jam retulimus. Et quidem de Purgatorii Visione, nullam lego allatam difficultatem. De Inferni verò Visione multa opponeret fortè aliquis, quæ distintè arbitror perpendenda. Displiceret siquidem relatum ab ea, quòd videlicet (6) *a Sancti Spiritus aura ad Infernum imaginativa Visione contemplandum ducta fuerit*. Quòd ibi audiverit quemdam ex damnatis, Divina voluntate coactum ad *Per totam æternitatem confitendum justissimum, & misericordem esse Deum*. Quòd tandem reprobus ille post talem a se extortam inutilemque Confessionem rabie exagitatus *in puteum igne, & sulphure plenum semetipsum præcipitavit*. Triplex hic, ut timeo, apparere posset illusio; prima; quòd inconveniens sit, atque a pietate nimis alienum, ab aura Divini Spiritus animam ad Infernum deprimi. Secunda, quòd credi non

(1) 3, q. 1, a. 2. (2) *Est.* 15, 13. (3) *Orat. de laud. Deip.*
(4) *Serm. de Assumpt. Virg.* (5) *De Dormit. Deip.* (6) *Sup. p.* 1, *c.* 1, §. 1.

non potest, Reprobum, jam æternis pœnis addictum, Dei laudando justitiam, & misericordiam, pœnitentiæ quasi signa dedisse. Tertia, quòd audiendo animam illam, finita collocutione, sese in destinatum sibi ignem immersisse, concipi posset (quod falsum esset) eandem locutionis tempore a debitis absolutam fuisse tormentis. Quantum igitur ad hanc tertiam censuram, hæc est mera, & arbitraria suspicio, in qua propellenda, immorandum esse non arbitror. Experta enim erat hæc Virgo ex plurimis, quæ sibi acciderant apparitionibus, Dæmonia, animasque damnatas, ubicumque ex Divina voluntate immorentur, suas secum pœnas ferre; nec mirandum quod reprobus in novum quasi ignem se immergat; sicut enim in Beatis accidentalis aliquando augetur beatitudo, sic in dannatis, Divina hoc exigente justitia, sæpesæpius accidentalis augetur pœna, quod omnes fatentur Theologi. Hac igitur posthabita oppositione, ad primam, & secundam, quæ maioris apparent ponderis, perpendendas transeamus. Sciunt omnes nomine *Auræ Sancti Spiritus*, impulsus, seù inspirationes ejusdem innui. Mysticis insuper notum est inter tres motus, quos Areopagita variis contemplationis gradibus adscribit, authoritate etiam Divi Thomæ, illum numerari, qui obliquus dicitur; in quo scilicet Anima Dei impulsu a simplicioribus, altioribusque Divinitatis intelligentiis, ad practicas, & inferiores, idest ab intellectualibus, ad imaginarias utiliter aliquando deprimitur; quod cum Angelico omnes sentiunt Expositores. Quibus ita constitutis, quis mirabitur Paracliti auram, Inspirationem nempè, hujus Virginis mentem a subliniori Divinarum rerum contemplatione, qua tunc fruebatur, ad Inferni imaginatione concipienda supplicia retorsisse? ad hunc videlicet finem, ut ex iis intimum in se conciperet peccati odium, aliisque ad pœnitentiam revocandis, reatus pœnam, ac pœnæ timorem fortius valeret imprimere? Nec novum est, Spiritum Sanctum animabus sæpe suppliciorum timorem incutere; cùm enim de fide sit, sanciatque Concilium Tridentinum Attritionem, quæ metum respicit, ejusdem esse motum, simul, & donum, quis negabit Paracliti auram, quæ Peccatorem utiliter terret, animam quoque sibi devotam ex incomprehensibili suæ Providentiæ judicio (quod etiam Sanctæ contigit Theresiæ) ad infernum contemplandum potuisse movere? Penset qui legit, hæc difficultas quantum habeat momenti; & nos ad tertiam transeamus discutiendam. Apprehendi posset in hac ut Phantasticum, & commentitium, quòd Anima, in æternis pœnis constituta, suæ obstinationis, quasi pœnitens, semetipsam accuset, & Dei justitiam, sicuti & misericordiam, fateatur. Verùm huic dubio, absque eò quòd me, simul & lectorem fatigem, respondebit Angelicus. Docet ille siquidem in damnatis species intelligibiles, spiritualesque cognitiones, quas acquisiere viventes, etiam post mortem permanere; ac proinde auget ipsis tormentum eorum, quæ gesserunt, & sine fructu crediderunt, spiritualis memoria. [1] *Considerabunt mala, quæ gesserunt, & ex quibus damnati sunt, & delectabilia, quæ amiserunt, & ex utroque torquebuntur*. Addit insuper vivere in eis suarum culparum remorsum, qui vermis est immortalis, quò, secun-

(1) *Supplem. q. 98, a. 7.*

secundùm Prophetam, torquentur. (1) *Vermis eorum non moritur; vermis* (explicat Divus Thomas) *Vermis, qui in damnatis ponitur, est conscientiæ remorsus*. A quibus Sanctus hanc trahit consequentiam; esse videlicet in ipsis amaram, rabieque plenam pœnitentiam, qua non dolent de peccatis, quæ adhuc amant, sed de pœna, quam pro peccatis substinent; & in hac suas culpas, ut cruciatus auctrices aversantur [2]: *Mali non pœnitebunt per se loquendo de peccatis, quia voluntas malitiæ peccatis in eis remanent; pœnitebunt autem per accidens, in quantum affligentur de pœna, quam prò eis substinent*. Conjungamus igitur has Angelici doctrinas, atque ita placeat arguere: Si damnati eorum, quæ in vita intellectualiter cognoverunt, sunt memores; si peccatorum, quæ patraverunt, conscientiâ torquentur; si propriæ obstinationi infixi, de illis tamen frustra pœnitent; in quo falsitatis convinci potest Maria Catharina, referens se audivisse animam illam fassam se cogi ad æternaliter confitendum misericordem Dei justitiam, quàm credidit, sed contempsit; inflexibilitatem, qua noluit se ad Deum convertendo æternos vitare cruciatus; atque Divinam bonitatem, qua dum viveret, vocabatur ad pœnitentiam. His certè similia, si non graviora, absque scandalo legimus in Revelationibus Sanctæ Birgittæ, referentis animam in inferno tortam tali loquentem ejulatu (3): *Me miseram, quæ coacta sum confiteri, quòd æternus ille Judex, qui justissimè hic me condemnavit, elegisset potius, nisi divina obstaret Justitia, ad Mundum redire, Crucisque mortem pati, quàm me hisce inferni ignibus addicere, tàm magna est ejus misericordia*. Reprobet ergò Mariæ Catharinæ dicta, qui hujus sanctæ Revelatricis opera spernere audeat; sed sciat hoc adamussim scopum esse Divinæ Justitiæ, ut Reprobi clementiam Dei, quam despexere, ad pœnæ cumulum cognoscant; suæque obstinationis ipsâ plectantur memoriâ, quod in Sapientia legimus; (4) *Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, &c.* justumque Deum suo ipsorum etiam nolente fateantur judicio; dicente Davide, [5] *Ut vincas cùm judicaris*. Et ob id Divus concludit Ambrosius, unumquemque reum ex recto Divinæ Providentiæ consilio, tormento coactum conscientiæ sui ipsius fieri accusatorem. (6) *Hoc Sacrilegi solet esse judicium, ut conscius facti ipse se condemnet*.

§. IV. Cedant tandem hæc levioris momenti dubia; & ponderosioribus evincendis manum admoveamus, & mentem; quod fiet ad examen revocando altiora, quæ eò subtilius examinanda sunt, quò sublimiores sunt hujus Virginis intellectuales Visiones; crescente siquidem ex novitate dissensu, cum crescunt charismata; quorum tantò difficilior sæpesæpius est credulitas, quantò longior abest experientia. Videbitur igitur, ut timeo, audax nimis, quod Maria Catharina in suis Relationibus scribit: (7) *Elevatam se spiritu ad Paradisum, ut ibi Divinam Essentiam, Deique contemplaretur arcana*. Qua autem de causa istiusmodi elevationes, Spiritu Divino ad se Animam trahente, ut fœminilia aspernari quis velit figmenta non video, cùm similia in Sanctorum historiis assiduè

---

[1] *Supplem. q. 97, a. 2.* [2] *Supplem. q. 98, a. 2.* [3] *In ejus Vita, lib. 3, c. 3.* [4] *Sap. 5, 4.* [5] *Ps. 5, 60.* [6] *Ibi.* [7] *Sup. par. 1, c. 5, §. 3, & alibi.*

assiduè narrata miremur, ut jam diximus horum modum, & causam describentes, in libro primo, Animadversione octava, decima, & undecima. Cur similitudines quasdam Argenti, Gemmarum, Solis, Florum, & similium, quibus ad describendam Beatitudinis accidentalis magnitudinem utitur, ut vulgares nimium derideantur, nescio. Qui enim de his scandalum sumeret, scandalizaretur etiam legendo in Apocalipsi Aurum, Chrystallum, Margaritas, quibus Spiritus Sanctus nostræ se accommodans imbecillitati, cœlestem depingit Hierusalem; hoc divino utique consilio, ut sicut Divus scribit Gregorius: (1) *Intellectus noster, Per ea, quæ novit, surgat ad incognita, quæ non novit*. Quare Divinæ Essentiæ Visiones, abstractivas tamen, quas hæc Virgo suis Directoribus se habuisse fatetur, contemnere debeam, fateor, quòd nescio; cùm sublimes hujuscemodi intelligentias, quamplurimis servis suis a Deo per species infusas impertiri, & Ecclesiasticæ Historiæ, & Sacri Doctores, & Sanctæ nobis narrent Scripturæ, ut jam in lib. 5, Animadvers. decima longiuscula dissertatione probavimus. Hæc utique dubia, ex locis citatis, soluta satis arbitror; relinquitur tamen ut ironicæ satisfaciamus exclamationi, quam alibi retulimus, sed eidem ad alia properantes non satisfecimus, nempè: *En alter Paulus, imo Paulo major; ille siquidem ad Cœlum se raptum fatetur, sed affirmare quòd Divinam Essentiam viderit, non audet*. De lepido hoc scommate, quo assertæ rumor est quemdam illusisse Visioni, & mihi ridere fas esto. Scimus enim, ut probè in secunda secundæ de raptu agens Apostoli observat Angelicus, Divinam illum vidisse Essentiam. An verò abstractivè plures hæsitant Theologi. Quòd autem propter hæc Apostolo æquiparare audeamus hanc Virginem, absit. Longissima enim distantia imparem dicimus, & tamen consimili, sed multò obscuriori a Deo donatam fuisse visione, ut audax commentum culpare, quis audeat? Nullus certè, qui animadvertat intellectuales Visiones, quamvis in eadem linea, distingui tamen, tum ob majorem, vel minorem infusi luminis claritatem; tum quia plura vel pauciora contemplanti a Deo manifestantur arcana. Non æquiparat igitur raptui Pauli hujus Virginis raptum, qui piè credit elevatam spiritò ad Cœlum, ut ipsa refert, Divinam contemplasse Essentiam. Fuit enim ille majori infusæ lucis irradiatione hoc multò clarior; fuit ex largiori Divinorum Revelatione isto multò incomparabili sublimitate nobilior. Ludat ergò, qui vult, arguto, quam diximus, Epiphonemate; sed sciat (quod certè se nosse non ambigo) Deum, qui dona sua sapientissimâ elargitur mensurâ, animabus justis, sicut intuitivè in Patria, sic abstractivè in hoc exilio, se idem certè objectum, non autem eadem claritate revelare; quod omnes Mystici docent, & Theologi. Ac proinde sicut per consimiles Visiones, quas plures Contemplativi, ut jam vidimus, experti sunt, nullus eosdem Raptui Pauli adæquare est ausus; sic nos per hoc Mariam Catharinam Apostolo assimilare nefas duceremus, authumantes eumdem fuisse raptum in genere, sed toto Cœlo distantem in specie.

§. V. Divina ipsam altius elevavit misericordia, dum a Paradisi prægu-

(1) *Hom. 11, in Evang.*

prægustatis deliciis, ad ejusdem vocans Auctorem, sæpesæpius Pueri Jesu imaginariis primùm, exteriori postmodum circa finem vitæ miris Visionibus ad sui amorem illexit, de quibus variis in locis abundè diximus; & censuram, qua notare possent aliqui, quòd in Divinæ humanitatis descriptione fœmineo quodam ejus pulchritudinem stylo depingat, exemplis, & Canticorum auctoritate refellimus. Nunc autem majoris ponderis dubia, quæ in Relationibus de Christi Domini apparitione ex obedientia ab eadem conscriptis, ingeniosè forsitan apprehenduntur, examini subjicienda censeo. Cavendum tamen est non esse consilii mei, ut pluries dixi, omnes istius Virginis dictiones, & verba, a quovis æquivocationis, seu improprietatis nævo prorsus vindicare; imò libentissimè, & sincerè fateor, illam aliquando, calamo non advertente, in aliqua, sed pauca verba prolapsam esse, quæ ambiguitatem redolere possent. Dico tamen, quòd si quæ æquivoca apparent, erronea non sunt; sed ad fidem, & Theologiam, si spectato contextu benignè interpretentur, facilè reducibilia; quod ex his defensionibus, Sanctis Patribus, ac præcipuè Divo Thoma annuentibus, ut spero apertè constabit. Primum igitur, quod & ipse notavi, est accidentale dictum, quo Maria Catharina Redemptorem, quem imaginariè viderat, humiliter exorans, illum hoc salutat nomine: (1) *Caput omnium Sanctorum, & Prædestinatorum*. Non credo quòd usurpabitur adjectivum hoc, quasi assentiatur quodammodo hæreticæ illorum opinioni, qui asserebant Christum non caput totius Ecclesiæ, sed Sanctorum solummodo esse. Sensus iste nimis esset oppositus cæteris ejus scriptis; cùm ipsa sæpius in suis Relationibus, ut in eis inspici posset, contrarium dicat. Certum siquidem apud Logicos est propositionem unam affirmativam non esse alterius negativam, quando ambarum propositionum extrema non opponuntur: Scribit igitur hæc Virgo, Christum *Caput esse omnium Prædestinatorum*, sed non ob id negat caput esse cæterorum, dum vivunt; imo jure merito hoc scribit, quia laus, quam ipso divino suo Amori dare cupit, sumitur semper per Anthonomasiam a potiori parte; nec de majori prærogativa qui loquitur, cæteras inficiatur: sicut enim cum Martyrem de fortitudine prædicamus, non ob id negamus pietatem; sic cùm laudatur Jesus, ut Caput Sanctorum, non contradicitur veritati, docenti esse totius Ecclesiæ Caput; illud quia præclarius ponitur, hoc ut de fide non tollitur. Si hæc interpretandi displicet ratio, respondeatur mihi quo sensu intelligenda sint Apostoli verba, scribentis (2) Redemptorem nostrum esse Caput omnis *Principatus & Potestatis*. Juxtà etenim hoc rigorosum dubium, Caput alterius cujusvis Hierarchiæ non esset, quia Seraphim & Cherubim, aliosque Angelos Paulus tacet. Irrationabilis ergò hæc esset illatio; quia laudem sumere a præclarioribus est figura, non error. Quod autem prædicabilius sit de Christo esse particulatim Sanctorum Caput, quàm generatim totius constantis ex membris etiam putridis mystici corporis, satis ipse Doctor gentium demonstrat, cùm asserit (3): *Salvatorem esse omnium hominum, sed maximè Fidelium*. Est ergò omnium Salvator, & Caput (idem enim hæc duo sonant

(1) *Sup. par. 1, c. 7, §. 1.* (2) *Colossen. 2.* (3) *Thim. 4.*

sonant apud Angelicum (1)] sed fidelium maximè, ex quo sequitur fas fuisse huic Virgini cætera non negando, sed reticendo, excellentiora, & quæ maxima sunt, rememorari. Intelligenda siquidem est hoc idem scripsisse, quod Divus docuit Thomas, videlicet, Salvatorem esse Caput omnium, sed singularitate quadam, & præcipui nominis gloria, dicendum esse eorum, qui sibi nunc copulantur per gratiam, vel æternaliter unientur per gloriam. (2) *Primò* [ait Angelicus doctor] *Primò, & principaliter est caput eorum, qui actu uniuntur sibi per gloriam*.

§. VI. Facilis est igitur hujus primæ dubietatis solutio; sed perplexa magis apparet secunda, qua legimus Mariam Catharinam aliquando tentationibus appetitam, & ob id humili prece a Divina Christi humanitate auxilium poscentem, addidisse: (3) *In qua Beati omnes vident æternitatem Divinæ Essentiæ, & ipsius sapientiæ & scientiæ thesauros*. Quibus verbis sensum fidei reluctantem aucupantes fortè nonnulli sic arguent: Si Beati vident Divinam Essentiam in Christi humanitate, ergò vident in speculo, quod est diametraliter oppositum promissioni Apostoli docentis, quòd in Patria videbitur Deus *Facie ad faciem*. Hoc dubium plures patitur responsiones, quas hic referre non piget. In sensu igitur rigoroso difficultatem moventium (quamvis si attendamus locutionis hujus Virginis proprietatem, reperiemus ipsam non affirmare Beatos in Christo videre Essentiam, *sed æternitatem*, *& scientiæ Thesauros*, quod est attributa abstractivè videre, de quo loquemur postea) dico quòd adhuc si de Essentia scrupulosè interpretari velimus juxta fidem ejus possent dicta interpretari, quod sic demonstro. Statuamus, quòd omnes fatentur Mystici, mediante Jesu humanitate elevari Contemplativos omnes ad abstractivam Divinitatis Visionem, cùm apertè ipse docuerit: *Nemo venit ad Patrem nisi per me*. Quo innixus fundamento sic argumentari non vereor: Si per medium Divinæ humanitatis in hac vita abstractivè Deum mihi videre licet, cur a pari altiori tamen modo, per idem humanitatis medium Dei Attributa videre non sperem? Nec tamen id erit videre per speculum, quòd hac similitudine, ut sensus meæ mentis clarius dignoscatur, me demonstrare Lectoris patientia non renuat. Includatur in quodam Cryßtallino, perlucidoque vase accensum lumen; tunc ego lumen illud cernens, dicar ne intuitivè non videre, quia simul, & vitreum vas video? Non certè, quia in vase quidem illo video, non in speculo. Ita prorsus, cùm de fide sit esse Christum quoddam præclarissimum totius Divinitatis Vas (dicam cùm Apostolo (4) *In quo inhabitat tota plenitudo Divinitatis corporaliter*; imo cum Redemptor ipse in Evangelio promiserit Animas, quæ in ipso ingredientur, idest, hypostaticè sibi unitam penetraverint *Divinitatem*, (quod subobscurè notavit hæc Virgo, cùm *Divinizatam* hìc dixerit *humanitatem*) pascua inventuras. Quis inquam negabit in Christo, qui Deus est & homo, a cœlitibus intima ejusdem beato lumine penetrantibus, Divinam Essentiam videri posse; ita tamen ut intuitiva remaneat, quamvis per humanitatem, hæc Visio? Non enim, sicut in dato exemplo, Sanctissima

 Huma-

(1) 3, *q.* 8, *a.* 3. (2) *Loco sup. cit.* (3) *Sup. par.* 1, *c.* 1, §. 1.
(4) *Colos.* 2, 3.

Humanitas speculum erit, sed veluti instrumentum, per quod Divinitas cernitur. Quid habeat contra fidem hic sensus, mea ignorantia non cognoscit; crediderim potiùs pietati jucundum opinari, quòd in Christo, qui eorum caput est, de ejus Divinitate gaudeant Electi, qui per totam æternitatem ejus peculiariter erunt membra; ac insuper ardentiorem erga Jesum charitatem fore, ut corda nostra concipiant, si in ipso, cum ipso, & per ipsum, nos Deo, qui ipse est, frui tandem posse speramus. Firmare nihilominus volo hanc meam opinionem, quæ pia fortè videretur speculatio, Sacrarum Scripturarum auctoritate, in quibus, ut notant Interpretes particula *In* idem sonat ac *Per*. Ita in Genesis initio legitur *In principio*, vertunt Doctores *Per principium*; innuentes, quòd per verbum omnia creata sunt. In tali pariter sensu particulam *In* interpretatur Bellarminus. Explicant siquidem dictum illud in Evangelio, *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine;* necnon alias Apostoli auctoritates; *Christus propitiator in Sanguine suo; &, qui eramus procul, facti sumus prope in sanguine ejus;* asserit ly *In* idem significare ac *Per*; idest, quòd sanguis Christi causa sit instrumentalis nostræ sanctificationis, ut justificari *in illo* idem sit, ac justificari *per illum*. *In* [concludit eruditissimus ille Purpuratus (1)] *In significare causam Instrumentalem; est enim loco, Per*. Unde paritate eadem interpretari deberet quod hæc Virgo dicit, in Christi humanitate, videlicet videri divinam Essentiam; idest *Per* humanitatem, quod idem est ac affirmare, ut in allata tetigi similitudine, esse videlicet Sacram humanitatem veluti instrumentalem causam nostræ beatificæ & intuitivæ Visionis; non speculum, in quo videatur Dei Essentia. Genuina, ut mihi videtur, hæc est interpretatio, qua intelligere possimus Idiotæ sententiam, scribentis [2]: *Felicitas nostra completur in visione humanitatis Christi*. Addam nihilominus, qua potero brevitate, aliam prædictæ hæsitationis solutionem, quæ facilior erit, &, ut reor, totam excludere poterit difficultatem, hanc mihi Angelicus suggerit; observans etenim in beatis duas Visiones, unam substantialem, in qua beatitudo essentialis illorum consistit, & est Divinæ Essentiæ absque infusa specie contemplatio, ubi Deus in se, & per se, ut objectum, immediatè cum intellectu concurrit; alteram accidentalem, qua fruuntur Electi, dum reflexa, ut ita dicam, Divina attributa, divinamque gloriam, in corporibus beatis, & præcipuè in triumphali Jesu humanitate, contemplantur. Quædam enim ineffabilis claritas, & pulchritudo in his ita effulget, ut Divinam supereminentem Dei magnitudinem, per quasdam mirabiles species, non solùm intellectui, sed & oculis Electorum, quando corpori uniti erunt, delectabiliter repræsentent; ac proinde beata divinorum Attributorum substantia in mente primùm Animam replebit, secundariò claritas ipsa & pulchritudo corporum Beatorum phantasiam beatificabit, & sensus. Quapropter duplex erit in Sanctis beatitudo; major in immediata Dei contemplatione, minor in attributorum Dei quadam per sensus experientia; semper tamen in Deo delectabuntur contemplantes Dei gloriam, in Dei Essentia primariò, secundariò verò in Sanctorum, dotibus gloriæ

(1) *Contro vers. T. 3, de Sacr. Eucharist. lib. 1, c. 11.* (2) *In Ps. 15, 20.*

gloriæ præditorum, corporibus. Totum hoc ex Angelico traxi, asserente (1): *Ex parte una visus corporalis tantam Dei gloriam inspiciet in corporibus gloriosis, & maximè in corpore Christi; ex parte altera intellectus clarè Deum videbit: Quamvis autem tunc non videat Deum ex creaturis, tamen videbit Deum in creaturis corporaliter visis*. Hoc totum rationabiliter credi debet, si consideremus in Electis post resurrectionem ad beatitudinis complementum pertinere, quòd in ipsis, quæ remanebunt, Phantasiam, intellectusque agentis ad abstrahendas e Phantasmatibus species potentiam, otiosas deseri Beatitudinis perfectio non patitur; sed petit, ut in pulchritudine corporum Beatorum illa delectetur, hæc eruendi ex præacceptis Sanctorum dotibus, quasi naturaliter intelligibiles Divinæ gloriæ species facultate gaudeat: neque hæc secunda superflua erit, cùm utroque operante naturali, & supernaturali lumine, tota perfectius beatificatur Anima. His prætactis, quæro, cur de hac secunda, atque accidentali beatitudine dictum Mariæ Catharinæ commodè interpretari non possit? quòd scilicet intellexerit illa, in Christi humanitate videre Beatos Divinitatis gloriam, quatenus in eâ spectant ita superexcellentem beatificatæ humanitatis majestatem, & pulchritudinem, ut ex iis aliqualem, & si abstractivam, eruant Divinæ amabilitatis, magnitudinis, & Attributorum delectabilem cognitionem. Sensus iste malè suspectæ periodi germanus est, ni fallor. Non enim ipsa scripsit videre Beatos in Jesu humanitate Essentiam, sed aliquid innuens Essentiæ, *Æternitatem nempe, & scientiæ atque sapientiæ thesauros*. Quod est idem ac dicere, non vident verè in humanitate Divinitatem, sed vident in Jesu glorificato relucere gloriam Divinitatis; & hoc, quod absurdum non sit, patet ex Divo Thoma (2): *Quædam beatitudo corporis erit, in quantum Deum videbit in sensibilibus creaturis, & præcipuè in corpore Christi*.

§. VII. Hanc Animadversionem claudet duobus dubiis circa ab hac Virgine imaginariè visam Christi humanitatem, quoad potero brevis responsio. Prima censura est in ejus quadam periodo referenti se in raptu vidisse Christum *In sinu Patris*. Si hoc de Divino intelligeretur Verbo, cessaret utique omnis dubitandi ratio. Eodem etenim prorsus loquendi modo Sancta utitur Theresia de quadam sua Ecstasi, ita referens (3): *Admirabili, clarâque notitiâ vidi consistere Divinum Verbum in sinu Patris*. Eodem methodo nos docet Ecclesia sic orare (4): *Domine Jesu Christe, qui de Cœlis ad Terram de sinu Patris descendisti*. Eodem Stylo loquitur Evangelista (5) ita scribens: *Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse nobis enarravit*. Sed quia videtur Maria Catharina de ipsamet humanitate loqui, dubitaret nescio quis, an illam videre in sinu Patris consonet fidei, quæ Christi jam triumphantis sessionem ad dexteram Patris proponit. Pro quo animadvertamus sumendum esse hoc hujus Virginis dictum in sensu figurativo, & Mystico, non autem rigoroso, seu proprio, quod, ut mei moris est, præmissâ explicabo Sacrorum Interpretum doctrinâ. Vulgare est apud Catholicos, quòd ly *Sedere Christum*

(1) *In Suplem. q. 92, a. 2.* (2) *Loco supra cit. ad 6.* (3) *Sua Vita, c. 23.*
(4) *In Miss. de Pass.* (5) *1 Jo. 14, 18.*

sum ad Patris dexteram, usurpandum non est pro quadam sensibili loci diversitate: cùm enim Deus, qui totus est in toto, dexteram & sinistram non habet id materialiter sumendum non est, sed spiritaliter; in quantum videlicet ad dexteram sessio, gloriam, majestatem significet, & potestatem, Christo, etiam ut homini collatam, de qua ipse dixit: *Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in terra*. Sic interpretantur Theodoretus, Hieronymus apud Tirinum (1); ita hoc explicatum legimus & a Divo Augustino (2): *Ipsam dexteram intellige potestatem, quam accepit ille homo a Deo*; & a Damasceno (3): *Dexteram Patris dicimus gloriam, & honorem Divinitatis*; & a Divo Thoma (4): *Sedere ad dexteram Patris nihil aliud est, quàm simul cum Patre habere gloriam Divinitatis, & beatitudinem, & judiciariam potestatem*. His igitur Sanctorum sententiis innixus, quî taceam illationem, quam ad rejicienda ea, quæ hìc suspicionem gignunt, opportunam non despero? Si per Patris dexteram cognoscunt Doctores eam, quæ Christo donata est etiam ut homini, potestatem, & gloriam, quia in dextera positi præsignatur honor; cur consimili prorsus allegoriâ per sinum complacentia non notetur, & amor? Sinum etenim respicit dilectio; & quos præcipuè amamus, sinu libenter complectimur. Vel rationabili distinctione respondeatur mihi, quomodo illa magis conveniat, quàm ista; vel concedatur quòd, sicut optimè per dexteram innuitur communicata Christo, etiam ut homini, gloria; ita huic Virgini per sinum ostensa fuit ejusdem Christi, etiam ut hominis, Æterni Patris dilectio. Idem verò existimare ausim sinum, & dexteram, quia communicata humanato Verbo potestas, & gloria, fuit in Patre, cujus Amor effectivus est, & quia ei velle est idem ac facere, donum simul & charitas. Non igitur condemnanda hæc Jesu in paterno sinu contemplati intelligentia; cùm ex hac ipsa didicerit, quod postea scripsit; idest (5): *Hanc Divinam humanitatem Patris esse gemmam omni superiorem pretio, & ejusdem lucem, splendorem, atque floridum hortum, continentem indicibiles, ineffabiles, pinguedinosasque suarum deliciarum amœnitates*. Verba quidem exprimentia incomprehensibilem amorem, quo Jesu humanitatem diligens Æternus Pater, eam in sinu fovet, sibi in ipsa complacens ineffabili charitate, qua dixit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*.

§. VIII. Ad secundum pro coronide hujus Animadversionis transeamus dubium, quod rationabile non inficior. Notatur etenim (nec fateri recuso) in hac Virgine verum calami lapsum, dum loquendo de Christi humanitate, terminum a Theologia alienum ponit *adoptatam*, videlicet, scribens, [6] *Quiescit in sinu Patris per adoptionem*. Esto, reprehensibilis sit, Theologisque invisus hic loquendi modus [erraffe enim in aliquibus, sed paucis, Virginis istius nativam simplicitatem fateri non erubesco] nego tamen ignorantiæ inadvertentiam contra fidem plectendam esse reatu. Sit inscia, sit incauta, non renuo; non tamen sistatur ut hæretica: primum enim, ex dictis permissa a Deo Divini luminis esset caligatio; secundum esset, intollerabilis deceptæ mentis cæci-

(1) *In Ps.* 109. (2) *Lib.* 2, *de Symb.* (3) *Lib.* 4, *Hortod. fid. c.* 12.
(4) 3, *q.* 58, *a.* 2. (5) *Sup. par.* 1, *c.* 3, §. 2. (6) *ubi sup.*

cæcitas. Nollem igitur ut improprietas dictionis ad injuriam transferretur Fidei; hoc nimis rigoroso incautum dictum confodientes argumento. Adoptio, sicut & filiatio ex Divo Thoma prædicari non possunt de abstracto, idest de humanitate, sed de concreto, videlicet de toto supposito; si ergò humanitas Christi adoptata dicitur, jam duo innuuntur in ipsa supposita, Divinum nempè, & humanum, quod est contra fidem. Vera certè sequela si conveniendus esset Theologus, rigorosa nimis, si emendanda Virguncula; in illo damnandus error, in hac compassione donandus inscitiæ lapsus. Sed quid hucusque dixi? nimium fortè suspicioni concessi, non attendens, quòd in Theologis ipsis aliquando inconsulto e calamo aliqua cadunt, quæ aut veniâ, aut interpretatione condonanda sunt verba. Et quod hoc verum sit, Sanctus utique Hilarius (de sana cujus doctrina Divus affirmat Hieronymus; (1) *Hilarii libros inoffenso decurras pede*); de Humanitate loquens Christi eumdem posuit, quem nimis non debemus perstringere zelo, Adoptionis terminum, sic asserens (2): *Potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humanitas adoptatur*. Ubi non admittit hunc improprium loquendi modum Angelicus; non tamen Hilarium per hoc de errore contra fidem audet culpare, sed benignè improvidum *Adoptionis* verbum in aliud, quod certè in mente sacri Doctoris fuit, quamvis non in scripto, permutat, videlicet, *Assumptionis*. Theologiæ audiamus Solem, de hoc Hilarii termino, sic discretè loquentem: *Cùm dicitur quòd Carnis humanitas adoptatur, impropria est loquutio, & accipitur ibi adoptatio pro unione humanæ naturæ ad personam Filii*. Scio equidem quòd Lector Hilarium de hæresi convenire noluerit; ac proinde contra Mariam Catharinam a tam rigida abstinens sequela, ne unum lædat, alteri parcet, & cum Divo Thoma improprietatem loquendi excusabit; ut enim suprà, & sæpius demonstravi, Divinum mentibus affulgens lumen, non semper omnes inadvertentiæ discutit nebulas; unde mirum non est, quòd inter profundiores illustrationum, quas ipsa Directoribus enarrare debuit, sensus, aliqua (quod etiam in doctiorum experimur voluminibus) è manibus lapsa sit, non benè perpensa improprietas. Taceo hic quod ad defensionem validius afferre poteram; hanc scilicet opinionem de *Adoptione* carnis Christi a Scoto sustineri, & Durando; ac ob id sinè tantorum Doctorum injuriâ, quasi hæresim sapientem, non explodendam. Id omne libens omitto, vestigiis inhærens D. Thomæ, quem veneror ut Magistrum, cum eadem concludo charitate: interpretandum, non indignatione condemnandum, hoc *Adoptionis* verbum, adeòut. *Accipiatur hìc Adoptio pro unione humanæ naturæ ad personam Filii*.

ANI-

[1] *Ep. ad Eustoch.* [2] *Lib. 2, de Trinit. a medio.*

ANIMADVERSIO IV.

Solvuntur aliquæ difficultates circa Mariæ Catharinæ Intelligentias secundi generis, quæ scilicet per majorem a phantasmatibus remotionem sensibilium veluti negatione percipiuntur.

§. I. ATtollamus & nos cum Maria Catharina à Phantasmatum tumultu cor simul, & mentem; ad hoc ut, sicut ipsa, Divino in altum rapta lumine, Phantasiâ quasi insciâ, quæ supra sensum sunt sæpius, ut ex dictis patet, est contemplata; sic nos, Deo dante, immaterialiora, quæ sola fide per remotionem a sensibilibus cognosci possunt, puriori cernamus intuitu; Animas, scilicet, Angelos, Incarnationis, Divinique Altaris Sacramenti mysterium. De quibus omnibus in præsenti Animadversione agendum nobis est, sedulo perpendentes examine, an inter ejusdem de his Intelligentias, & dicta, aliquid, quod meritò legentes possit offendere, reperiatur admistum. Et quoad de Animabus, quam scribit, cognitionem, timeo ne aliqui hanc notent Periodum (1): *Sunt adeò excellentes, tam ex nativa, quàm ex Gratiæ capacitate, ut Deæ per participationem esse possint: Et gratia mediante super omnes res sublunares absoluta potestate regnare, aliam non habentes arbitrariam subjectionem, nisi quòd in præceptorum executione Divinæ subduntur voluntati.* Quid in his verbis reprehendendum sit, qui legunt judicent. Mirabitur quis forsitan, quòd ipsa dicit Animas tanta esse creatas dignitate ut Deæ possint evadere? Sed observemus juxtà Angelici Doctrinam, præparare semper Deum etiam naturæ communicatis dotibus subjecta illa, quæ ad gratiæ sublimitatem elevare præordinavit; ac propterea certum est creasse Animas tantâ naturali etiam nobilitate præditas, quantas par erat disponi Creaturas, quas ad sui participationem præordinabat, & volebat fieri *Divinæ consortes naturæ*; quasve Dei similitudinem extolli cupiebat. *Ego dixi: Dii estis, & filii Excelsi omnes.* Exaggerationis fortè notabuntur sequentia verba, quòd scilicet Animæ absolutâ potestate super omnes res sublunares regnare possint. At animadvertere oportet, quòd ipsa Animas describit, ut a Deo creantur, rerum sensibilium Dominas; non ut propriâ culpâ a Mundi dominio labuntur. In quo sensu quis neget earum potestatem (reservatâ tamen, de qua suprà cavit, quoad Deum obedientiâ) absolutam esse; nulli enim alteri ipsæ subjiciuntur, ipsis subjecta sunt omnia. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus.* Culpabitur ne adjectivum illud, quo subjectionem Animarum Deo *Arbitrariam* dicit? Sed hoc irrationabiliter; quamvis enim Creaturarum ordo, quoad effectus a nostro non pendeat arbitrio, pendet tamen ab eodem, & in illarum usu,

(1) *Sup. par. 1, c. 1, §. 1.*

usu, vel abusu, & in iis, quibus ipsæ ob culpam nobis aversantur, patientia, aut impatientia, culpa, vel merito. Imo ly *Arbitraria* id prorsus sonat, quod omnes verum fatentur, nostram nempe servitutem Deo non placere nisi spontanea sit, non coactâ, non urgente necessitate illi, sed liberâ præstetur voluntate. Non placebunt forte nomina, quæ ipsa Animabus attribuit, dicens, illas esse *Divinitatis Specula*, *Trinitatis imagines*, *æternitatis exemplaria*. Inter hæc Epitheta, secundo non video quid possit opponi; de primo quæramus, & tertio. Et quoad primum. Commune est apud Sanctos Patres non Animas solùm, sed & creaturas omnes specula esse, in quibus Divina nobis magnitudo reflectit. Veritas siquidem hæc est Ethnicis etiam sic apertè nota, ut dixerit Gentilis quispiam apud Marsilium Ficinum [1]: *Unus Dei vultus tribus lucet in speculis, Angelo, Homine, & corpore Mundi*. Circa tertium verò Elogium, laudans *Animas, ut æternitatis exemplaria*, ne æquivocetur, animadvertendum est hoc, quoad nos, non quoad Deum, interpretari debere. Me explico. In hoc mundo, in quo omnia veluti in figura prætereunt, nihil haberemus, quo intellectui daretur facilior, quoad fidem æternitatis, assensus, nisi Anima iis, qui insani non sunt, prudenti etiam judicio appareret æterna. Evincit enim anxia & monumentorum, & honoratæ post mortem memoriæ, cura, aliquid esse in nobis, quod supersit Sepulchro, & gestiat post ultimum fatum adhuc remanere superstes. Ex quo arguit Tertullianus, æternitatem etiam non credentibus Animas ipsas testari. In hoc igitur sensu sumendum est hoc dictum: *Æternitatis exemplaria*. Quòd scilicet ex Anima nostra, quàm æternitatis suæ memorem experimur, æternitatis fides quodam quasi roboretur exemplo.

§. II. Aliud & consideratione dignius ex hac de Animabus intelligentia oriri potest dubium. In quadam enim de earum dignitate scriptura, videtur aliquibus, ut nimium, & ultrà mensuram illarum promoveat excellentiam, sic loquens (2): *Ad majorem Angelis dignitatem eas elevavit Deus nobilitate non naturæ, sed gratiæ; admittens eas ad intimam Divinæ essentiæ unionem, Eucharistico mediante Sacramento*. Hiperboles videretur Lectori, Angelis superiores Animas prædicari; verùm de aliquibus, etsi multæ vellent, de multis, hoc verificari posse, qui Divum Thomam consulit, non hæsitabit. Quæstionem ille movet, an aliqua Anima ad Angelorum superiores Hierarchias elevari possit. Et si loquamur in ordine gratiæ, non naturæ, affirmativè respondet; quia natura quoad ordinem, ut materiale se habet, non ut formale, & ob id ex illa gradus excellentiæ non pendet, sed ex Dei liberalitate, qui manente inferiori natura, potest tale meritum augere in homine, ut cum superioribus Angelis annumeretur Beatitudine, & gratiâ (3): *Quod est ex parte naturæ se habet ut materiale in ratione ordinis; completivum verò id, quod est ex dono gratiæ, quæ dependet ex liberalitate Dei, non ex ordine naturæ; & ideo per donum gratiæ homines mereri possunt tantam gloriam, ut Angelis æquentur, secundùm omnes Angelorum gradus*. Ex quo sequitur aliquas Animas aliquibus Angelis in gloria superiores esse; quod patet

---

[1] *In Areopag. de Div. nom.* [2] *Sup. par. 1, c. 1, §. 1.* [3] *1, q. 108, a. 8.*

patet quia, ut concludit Angelicus, destinatæ sunt Animæ ad replendas sedes, de quibus Angeli cecidere rebelles; sed de omnibus illi ceciderunt etiam Superioribus Hierarchiis, etiam Cherubin, ut Divus affirmat Augustinus (1). Animæ ergò, quæ exigentibus meritis in altiori collocabuntur choro, Angelis minoris Hierarchiæ superiores erunt. Ita nos docet Gregorius (2): *Illuc homines redeunt, undè Apostatæ Angeli superbiendo ceciderunt;* & idem firmat Sanctus Thomas (3): *Aliquæ Animæ Beatorum sunt assumptæ ad superiores ordines Angelorum, & clarius vident Deum, quàm inferiores Angeli.* His verò non acquiescit Angelicus; sed ad propositum nostrum propositionem auget, firmando, quòd non solùm in Patria clariori Dei Visione, sed in hac etiam vita virtutum, & meritorum præeminentia aliqui Viatores Spiritibus illis, licèt comprehensoribus, antecellunt, naturam provehente Gratia (4): *Aliqui homines etiam in statu viæ sunt majores aliquibus Angelis, in quantum videlicet habent charitatem tantæ virtutis, ut possint promereri majorem beatitudinis gradum, quam quidam Angeli habent.* Verificatur ergo illuminatæ hujus Virgunculæ, quæ audax videbatur, propositio. Instabit attamen aliquis & factum concedens de causalitate hæsitabit; idest, non negandum Animas posse Angelis superiores evadere, sed hanc superioritatem ex dignitate Eucharistici convivii, quæ Angelis negata est, ut ipsa scribit, mensurandam non facilè concedendum; eò quòd, licèt Sacra communio major unio sit animæ cum Deo, quàm in hac vita haberi possit, hac tamen unio gloriæ, qua in Paradiso Angeli gaudent, est perfectior. Difficultatem video, sed tanti esse roboris, quanti prima apparet fronte non judico. Dico etenim quòd hæc Virgo in tali periodo non consideravit solummodo Unionem, qua Divinus Cibus Animam Deo conjungit, sed ejusdem unionis in nobis perpendit effectus; atque ideò talis in causalitate vera est propositio. Scimus siquidem Eucharistiam a Sacra Tridentina Synodo hoc insignitam lemmate, *Amor Amorum*, sicut peculiare est, & maximum in hoc exilio Divinæ charitatis munus, sic supra omnia alia Sacramenta, in eam, qua par est, devotione sumentibus, sancti amoris flammas accendere. Cujus veritatis superfluum esset Sanctorum Patrum auctoritates transcribere, cùm rememorari sufficiat, quòd, cùm in hac Auctor ipse suscipiatur gratiæ, qui jam dixit, *Ignem veni mittere in terram; & quid volo, nisi ut accendatur?* de se ipso nos cibans, nisi ei nostra opponeretur glacies, in nobis procul dubio viva excitaret Sanctæ dilectionis incendia. Hoc multis accidisse legimus Sanctis; hoc experta est Maria Catharina, ut alibi vidimus. Quod si verum est; Doctrinæ meminerimus Divi Thomæ, docentis posse aliquam Animam adeò intensum habere charitatis fervorem, ut aliquibus Angelis reddatur superior; & liceat mihi hoc uti argumento. Si Sacrum Convivium per se destinatum est ad augendas in cordibus nostris Divini amoris flammas, quidni multoties ad se accedentes (si devoti accederemus) tanto corda nostra inflammaret igne, ut charitatis mensura aliquibus Angelis evaderemus ardentiores; ac proinde gratiâ, quamvis non naturâ,

(1) *Enchirid. c. 9, & de Civit. Dei, lib. 2, c. 1.* (2) *Lib. 31, Mor. c. 35.*
(3) *1 2, q. 4, a. 5.* (4) *1, q. 117. a. 2, ad 3.*

natura, majoris. Et ecce quomodo Mariæ Catharinæ propositio in sua causalitate interpretata consistit. Quia nempe Animæ Divino dignatæ sunt Cibo, & ob id Angelis majores possunt, si velint, esse, sacro eas elevante amore, qui Seraphim facit, quem tanti operatione Sacramenti Divina comburit flamma; cum Divo concludam Gregorio [1]: *Quid ergo istos nisi Seraphim dixerim? qui ergo ad amorem sui Conditoris inflammati sunt, quo nisi inter Seraphim numerum sortem suæ vocationis acceperunt.*

§. III. Quia de Eucharistico Convivio mentionem fecimus, opportunum videtur, ut hujus Virginis intelligentiam, quam de eodem habuit, & nos in Quinto Libro, Animadversione nona, §. 4. transcripsimus, ad trutinam revocantes, scrupulum quemdam interpretatione tollamus. Legendo siquidem quod in (2): *Sacra Mensa Animas Christus admittit ad intimam unionem cum Divina Essentia, sibi substantialiter unita*; quæri posset, quid per ly *Intima* innuatur; & suspicari an dicendo hanc *unionem intimam* innuere velit indissolubilem, quod error esset contra fidem, & heu nimis, contra experientiam palmaris. Quòd intima sit nullus negabit, qui legerit apud Divum Thomam Gratiam omnem habitualem influere quidem in potentiis Animæ, at non in illis, sed in ejus recipi substantia (3): *Gratia recipitur in substantia Animæ, licet ab ea affluant virtutes in potentiis*. Ac proinde omnis habitualis gratia dici debet *Intima*; nihil enim nobis intimius, quàm quod in nostra fundatur essentia. Si verò omnis Gratia est *Intima*, cùm cæteris omnibus, quæ in aliis conferuntur Sacramentis, ut supra tetigimus, efficacior sit illa, quam à Divino percipimus cibo, ad hoc peculiariter instituto, ut Christus per suam nobis communicatam humanitatem se pastos, sibi hypostaticè unitæ conjungat Divinitati, juxtà votum quod obtulit Patri; *Ut sint unum, sicut ego & Pater unum sumus*. Cùm inquam gratia, in hoc Sacramento collata, cæteris sit major, necesse est etiam, juxta mentem Divi Thomæ, ut præ omnibus aliis in substantia Animæ radicetur profundiùs; ac per consequens non solùm *Intima* sit, sed etiam *intimior*. Non tamen inferendum per hoc, quòd sit indissolubilis; pro quo notandum est, aliud esse, quod in collatione hujus Gratiæ Divina intendit misericordia, aliud, quod humana sortitur fragilitas. Deus etenim voluntate antecedenti, ut sentiunt Theologi, stabilem vult, quam secum nos de se cibando strinxit unionem; separari verò a succedenti culpa permittit Animam, ne liberum, quod donavit, lædat arbitrium. Quærit Angelicus an simul cum gratia infundat Deus Perseverantiam; et si loquamur de finali, apertè negat, affirmat verò, si agamus de quadam habituali perseverantia, qua possumus, si velimus, tentationibus, infuso nobis simul cum gratia fortitudinis dono, resistere, & in bono perseverare (4): *Perseverantia simul cum gratia infunditur sicut & continentia, & cæteræ virtutes*. Ex his patet, quòd Unio Animæ cum Deo, in hoc sacramento, maximè, ex parte Dei, indissolubilis esset, ni redderetur ex parte nostræ inconstantiæ solubilis. Quo posito, si assertione Unionis *intimæ*, aliorumve

(1) *Hom.* 34, *in Evang.* (2) *par.* 1, *c.* 1, §. 1. (3) 1, 2, *q.* 110, *a.* 4. (4) 1, 2, *q.* 109, *a.* 10.

rumve effectuum, quos ex Divino provenientes Sacramento Maria Catharina in supradictis verbis asserit, intelligere præsumamus finalem perseverantiam, hoc ab ejus mente nimis esset alienum; quippe quæ, sicut alibi demonstravimus, de sua semper pavida vivebat salute. Si verò sumamus perseverantiam in Angelici sensu, idest in fortitudine quadam habituali, collata nobis ab Angelico Pane, qua facilius (si tamen pro Deo præliari non renuimus) perseverare possimus in bono, vera sunt quæ de Sacra Mensa loquitur hæc Virgo; concordant enim ferè omnia cum iis, quæ Sanctus Laurentius Justinianus scribit breviori stylo [1], quòd videlicet Anima, hoc enutrita cibo, *Effecta est speciosa, suavis, & ornata vestibus, venusta, & grata in motibus, ignita, & Sancta in desideriis, & sanctificata in cogitationibus*. Qui effectus intimi sunt, &, dummodò turpi ingratitudine ad peccata non redeamus, perseverantes. Ut enim docet Suarez, quamvis calore vitali corruptis speciebus non remaneat in nobis realis divinæ humanitatis præsentia, remanet tamen, nisi illum iteratâ culpâ fugemus, morali præsentia, seu habitudine, Christus influens scilicet in Anima, & conservans dona illa, quæ mystico impertitus est contactu: *Ex eadem* [inquit citatus Doctor], *ex eadem corporali sumptione, & quasi permistione, ut loquuntur Sancti, relinquitur post realem Christi præsentiam moralis quædam habitudo inter Christum, & suscipientem; nam ratione illius contactus speciali titulo censetur ibi esse aliquid Christi*.

§. IV. Juxtà Areopagitæ mentem, asserentis in motu circulari, idest in perfecta contemplatione, gradatim Animam a sui ipsius ad Angelorum speculationem elevari, examinandi hic locus foret intelligentias, quas de Angelis Maria Catharina conscripsit, & nos in Libro Quinto, Animadversione Nona, Paragrapho Tertio retulimus; sed quia in iisdem dubia consideratione digna non reperi, has omnes inobservatas transibo, explicans solummodò, & breviter unicum ejus dictum, quo describens Angelos in Divinitatis absortos oceano, addit (2): *Inde per Angelos emanare in Animas quædam Divinæ Charitatis tela, quibus sauciatæ, veteri homini, idest, proprio moriuntur Amori*. Quòd Angeli, & maximè Custodes, reflectant in nobis, quas hauriunt a beatifica Visione sanctæ dilectionis flammas, dubium non est; scire autem quomodo id fiat, non injucundum legentibus fore censeo. Ambigi quidem potest qua ratione in Animas vel tentando, vel inspirando, Angeli agere possint, & Dæmones; quippe qui in Intellectum, & Voluntatem, Potentias solo Dei motui, nostroque arbitrio reservatis, jus nullum, aut actionem habent. Huic tamen dubio occurrit Angelicus, docens duplici via fieri Angelorum impressiones in Anima; Vel quia in Imaginativa commovent Phantasmata, unde bonæ cogitationes a bonis, malæ immissiones a malis Angelis sæpe sæpiùs derivant; vel quia piis, quò magis pietatem sequuntur, eò magis appropinquant Custodes Spiritùs, malis, quò plus peccant, pius approximant insidiantes Dæmones, hac approximatione Intellectûs agentis lumen aut illustratur, aut obscuratur; ita ut meliores, aut deteriores, quibus practicè utatur, a Phantasmatibus intelligi-

bilés

[1] *Serm. de Euchar.* [2] *Sup. par. 1, c. 5, §. 3.*

biles species abstrahat. Hinc derivantur, quæ bonos exercent, malos seducunt, pravæ quædam, & ex improviso interiùs depictæ imaginationes. Hinc sæpiùs prodit mentis vel illuminatio, vel cæcitas, quia devotis appropinquante Angelo, peccatoribus, & maximè habituatis, approximante Dæmone, Intellectus aut lucem, aut caliginem contrahit. Hoc sæpius loquendo de Angelorum in animas auctoritate inculcat Angelicus, cujus, quia totam doctrinam hic referre longum, & tædiosum esset, pauca, sed sufficientia referam verba (1): *Intellectus inferior confortatur per actionem Intellectûs superioris, & proponuntur intellectui inferiori species intelligibiles, quæ sunt in superiori, ut capi possint ab inferiori.* His ergo curiositatis potius, quàm explicationis cursim prælibatis, mentem attollamus ad altiorem Intelligentiam, quam ultimam in hoc secundo genere habuit hæc Virgo; & fuit de Incarnationis Mysterio. Hanc, ne repetendo quæ dicta sunt, nauseam faciamus legenti, observare qui vult poterit in Libro quinto, Animadversione nona, §. quarto, & notare quas scrutaretur zelus in ejusdem Relatione difficultates; quæ reducuntur ad duas; unam, quòd Maria Catharina, loquens de nimia charitate, quæ Divinum Verbum ad assumendam naturam movit humanam, nescio quid necessitatis Deo videtur imponere, dicens: *A sua immensa, consubstantialique bonitate, quæ torrentis ad instar nescivit se continere in se ipsa, uniens se substantialiter naturæ humanæ, participans Animæ nostræ ipsius Bonitatis effectus, stans in sui Amoris actu ad nos amandos a sua bonitate fuit necessitate compulsus.* Inter tot notatu digna, quæ in hac intelligentia, ab ignoranti Virguncula prodeunte, noscuntur, difficultatem forte moverent verba illa, *necessitate compulsus*, quasi coactè Filium Dei carnem assumpsisse significent. Quid autem habeat roboris hæc superstitiosa suspicio, satis sciunt, qui Sanctos Patres legunt plura stylo premente, transcendentique locutione, de Divina charitate in hoc Mysterio scribentes, non ut Theologicè, sed ut Rethoricè, admirationem Emphasi ipsâ demonstrent. Auctoritates hic non profero, ne legentium eruditionem, aut fatigem, aut lædam; noverunt etenim multa a Sanctis Estro quodam exarata esse, quæ si dogmaticè essent sumenda, cogeremur delere. Dicam attamen in eorum scriptis, sicut in hac relatione necessitatem interpretandam esse non Physicam, sed moralem; quæ tandem nihil est, nisi fortis Divinæ bonitatis inclinatio, qua nostro intelligendi modo, liberam vim fecit sibi ipsi Divinus Amor. Propensio enim ad aliqua vehemens, quamdam voluntariæ necessitatis ad id, ad quod inclinamur, similitudinem sumit; unde solemus dicere, *non possum me cohibere, quin faciam id; ad quod prædominans me passio liberè quidem, sed tamen elicitâ violentiâ me cogit.* In quo sensu hæc spontanea necessitas Divini Amoris non est imperfectio, sed gloria; dicit enim tam ingentem charitatis vehementiam, ut creaturas suas quodammodo non possit non amare; licèt liberè amet, non coactè. Si hæc non admittatur interpretatio, quomodo intelligemus Apostolum, dicentem emphaticè: *Propter nimiam charitatem suam?* Quare in quodam Hymno canet Ecclesia Verbum descendisse in terris, *Impetu amoris actus languidi, mundi*

(1) 1, q. 111, a. 1.

mundi medela facturæ est? Cur scribit Ambrosius [1]: *Charitas non solùm tentavit, sed etiam compulit Deum Patrem, ut Filium suum unigenitum daret?*

§. V. Sed his, ut levioribus omissis, animum transferamus ad id, quod in Intelligentiis, quas secundi generis diximus summum esse, Incarnationis videlicet Mysterium, de quo plura a Divino Verbo internè secum colloquente, se audivisse refert hæc Virgo, quæ a nobis in Libro Quinto, Animadvers. nona, §. quarto jam transcripta legi possunt. Inter cæteras autem de hac re periodos, in una mea mens hæsitavit, qua in raptu audivit sic Deum se docente: [2] *Nos tres Divinæ Personæ concilium inivimus, quam nam ex nobis hominem fieri satius esset. Fœcundissima verò, perfectissima, atque amabilissima Patris mei atque Spiritus Sancti voluntas fuit, ut ego candidissimum, & purissimum Verbum tegere deberem, atque vestire vilissimo humanitatis habitu sublimes, & excellentes Divinitatis splendores, uniens hypostatica unione humanam naturam Divinæ, increabilique naturæ, Divinæ charitatis virtute simul, & gratia*. In hisce verbis plura examini subdenda video. Observo enim primo loco in allato Trinitatis Concilio Patris, & Spiritus Sancti Incarnationis citari sententiam; Verbi verò, quod præcipuo certè nostræ Redemptionis desiderio incarnari voluit, *Tradidit semetipsum pro nobis*, decretum injuriosè taceri. Hoc verò non mirabimur, si ea, quæ in hac Relatione præcedunt, attentè legentes, animadvertamus paulò antè testatum esse Divinum Verbum se ceu Pastorem perditam quærentem Ovem, libero immensi amoris impulsu ad nos descendisse volentem, ut inibi clarissimè apparet; unde opus non erat, ut in Divino Senatu votum jam supra demonstratum repeteret. Stuperet insuper aliquis de Triadis adducto Concilio, quasi de insipido ignorantis fœminæ vaniloquio; at de hoc non indignabimur, si modum loquendi, quo summa, & incomprehensibilis veritas, ut a nobis sensibus obnoxiis sub quodam similitudinum tecta velo, nostræ se accommodat cognitioni, in sanctis Scripturis voluerimus perpendere; quod Sanctus observavit Isidorus [3]: *Ut quia illum non possumus agnoscere sicuti est, nostræ loquutionis more se ipsum nobis insinuet*. Scimus etenim, & sciebat (quod ex ejus scriptis clarè constat) hæc Virgo, quòd in Deo concilium describere non veritas erat, sed figura; quia cùm Concilii usus ordinetur ad eligenda media ad aliquem conducentia finem, ut ait Angelicus, in ipso, ejusque sapientia, quæ puro, eodemque actu, nullaque interveniente discursus imperfectione, media simul comprehendit, & fines, propriè Concilium somniare nefas esset. Attamen hoc sæpe nomine utitur Scriptura, nec idem recusant Interpretes, & maximè in prima hominis Creatione, de qua habetur: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*. In quibus verbis plurali numero, non sinè mysterio positis, *Faciamus*, quoddam veluti concilium de modo hominis condendi in Augustissima Triade describunt; & Nissenus: (4) *Non projecit mandato, sed consilium fuit in Deo; sapiens consulit, artifex meditatur*; & Rupertus Abbas [5]: *In illo Patris, & Filii, & Spi-*

---

(1) *Apud Mansi, Bibl. Mor. Tract. 4, disc. 9.* (2) *Sup. par. 1, c. 3, §. 2.*
(3) *Lib. 1 Sentent. c. 5.* (4) *Hom. super Faciamus.* (5) *Lib. 2, in Gen.*

& Spiritus Sancti; non tàm Senatu, quàm Colloquio venerando, &c. & Divus Ambrosius (1) *Non solùm jubentis sermone, sed concilio Trinitatis creatus est homo.* Concilium igitur in Sanctissimæ Trinitatis consessu pro nostræ capacitatis modulo admittere non est absurdum; ea tamen conditione, ut per hanc similitudinem ad fidei assurgamus veritatem, qua per figuras docemur Deum nihil inconsultò agere, sed incomprehensibili prudentia, atque unico actu sapientissimè quæ vult prædisponere. His ergò præintellectis, hanc conclusionem huic solvendo dubio accommodatam inferre, quis mihi prohibere poterit? Si in primo Adam condendo concilium in Trinitate cognoscere, ut inconveniens non abhorruere Doctores, quare in Adam secundo hoc idem ridiculum erit asserere? Et si creatio novi hominis, veteris creationi respondet, ut docet Angelicus, quare quod in ista admittitur, in illa respuitur?

§. VI. Opponatur mihi aliqua, si adest, notabilis differentia; nos interim transeamus ad perpendendam illationem, quam ex dicta periodo rigorosè nimis inferre quis posset. Si Verbum Carnem fieri Voluntas fuit Spiritus Sancti, ergo a Paraclito missum dicemus; & cùm Missio principium necessariò supponat, a quo Persona mittitur, ex hoc Verbi a Spiritu Sancto intelligemus originem, quod hæreticum est. Parcius precor (sic dicerem hæc suspicanti) Parcius ista tamen fideli, si devotam existimare renuis, Virgunculæ objicienda memento; contra etenim hanc præcipitem illationem pluribus Sanctorum Patrum doctrinis insurgere coactum me video. De fide est, quòd licèt Divinum Verbum solummodò Humanitatem assumpserit, ad Incarnationem tamen, ut opus consideratur ad extrà, omnes tres Divinæ concurrerunt Personæ. Licèt (Divus scribit Bernardus (2): *Eamdem Incarnationem simul fecerint Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, non tamen Pater, & Spiritus Sanctus est Incarnatus, sed solus Filius.* Cujus captui nostro difficillimi quidem Mysterii rationem, & modum aperit D. Thomas. In Divini Verbi missione (ita ipse scribit) aliud est actio, aliud est terminus; illa ut effectus Divinæ Virtutis, quæ in omnibus tribus Personis est eadem, æquè omnibus competit, atque ideo ad eam par omnium debuit esse concursus; hic verò, uti Verbi proprius, ipsi convenit soli, quia solus fuit, ad quem terminata fuit Humanitatis assumptio (3): *Assumptio duo importat, actum assumentis, & terminum assumptionis. Actus autem assumentis procedit ex Divina Virtute, quæ communis est tribus Personis; sed terminus Assumptionis est Persona; & ideò, quod est actionis in Assumptione, commune est tribus Personis; sed id quod pertinet ad rationem termini, convenit ita uni Personæ, quod non alteri.* Si igitur in Incarnatione, ut actio Assumptionis est, omnes Divinæ concurrerunt Personæ, omnes certè eamdem volvere; ac proinde Maria Catharina non errat, scribens sibi demonstratum Verbum incarnari Voluntatem etiam fuisse Spiritus Sancti. Neque per hoc audax vim sumit illatio, quod a Paraclito Verbum Dei ex tali Voluntate præsumatur missum; aliud est enim velle, aliud actualiter mittere; hoc solummodò a Patre, qui est Verbi

(1) *Lib. de Dignit. condit. humanæ.* (2) *Serm. de Septem Signac.*
(3) 3. q. 3. a. 4.

Verbi principium, illud, ut est impetus Amoris, qui tertiæ adscribitur Personæ, Spiritui Sancto convenientissimè aptatur. Corrueret per hoc tota præsumptæ Missionis hæsitatio; verùm ad abundantiam indulgebo, (quo certè plus donare non possum) prædictam Spiritus Sancti de Incarnatione Voluntatem aliquo modo dici posse Missionem; hoc tamen pacto, ne inferatur hæretica illa conclusio, *ergo a Spiritu Sancto Verbum intelligetur habere principium*. Nimium me concedere qui fortè suspicaretur, judicium quæso sustineat, donec totum mentis meæ sensum ex Angelici aperiam doctrina. Missionem duplici ille considerat distinctione; vel quantùm ad Personam, quæ mittit, & sic solo prædicari potest de Patre, a quo Verbum originem trahit; vel quantùm ad effectum, seu finem, pro quo Persona mittitur; & sic mittere cæteris quoque personis convenit. Cùm etenim Missionis effectus, & finis sit Divina Gloria, hominumque Redemptio, Infinita Dei Charitas, quæ horum motrix causa fuit, omnibus est communis, Divinæque gloriæ manifestatio in una Essentia una est omnium Voluntas, unusque finis (1): *Si mittens designetur; ut principium Personæ, quæ mittitur; sic non quælibet Persona mittit, sed sola illa cui convenit esse principium. Si verò Persona mittens intelligatur esse principium effectus, secundùm quem attenditur Missio, sic tota Trinitas mittit Personam missam*. En medium terminum, quo scrupulosa tollatur suspicio; & tamen a scripto hujus Virginis erroris, (quæ pejus haberetur) hæresis explodatur apprehensio. Esto hæc Spiritus Sancti in Incarnatione Voluntas, sit Missio; dummodò in eo interpretetur sensu, quo Sanctus Doctor Missionem quoad effectum toti competere concludit Trinitati: *Sic tota Trinitas mittit Personam missam*. Sic enim numquam inferri poterit error, qui non sine injuria Mariæ Catharinæ imponeretur, quòd videlicet Missionem arguentem in Verbo a Spiritu Sancto originem, aut crediderit, aut somniaverit; sed tantummodò vim Amoris ad Incarnationem concurrentis. Qui Amor, licèt totius sit Trinitatis, Paraclito tamen non per proprietatem, sed per attributionem adscribitur. Interpretatio ad intellectionem scripturarum necessaria, ut Cornelius [2] a Lapide prudenter notat:

AN-

(1) 1, q. 43, a. 8. [2] *In Ep. ad Rom. cap. 6.*

ANIMADVERSIO V.

Interpretantur Mariæ Catharinæ Intelligentiæ Tertii Generis, in quibus scilicet non concurrunt Phantasmata.

§. I. DE sublimioribus imposterum Divinitatis Mysteriis loquuturo, Animus deficit; nimia reverberatus luce Intellectus caligat; & imbecilles ingenioli mei vires tantæ molis pondus infringit. Intelligentias enim sequentes, quas Maria Catharina habuisse suis Directoribus sincerà retulit obedientià, interpretari qui possim ignoro, duplici anxius dubio. Primò, quia si copiosis attestationibus, quas a fide dignis, de Virtutibus hujus Virginis habeo, assentiri justum est, cogor pariter morali quadam certitudine non hæsitare, quòd Divino assistente lumine, hæc ipsa ecstaticè cognoverit; ac proinde ab ipsis, utpotè quæ vitam meam simul, & cognitionem nimis transcendunt, examinandis Cardinalis Bona me terret, objiciens, non esse demeriti mei ista dijudicare, sic scribens (1): *Quæ Servi Dei sic moti, & illuminati loquuntur, nonnisi ab iis intelligi possunt, qui illius lucis plus minusvè participes sunt*. Secundò, quia materiæ sublimitas, de qua ipsa loquitur, totam meæ mentis activitatem absorbens, cogitationem ipsam, nedum intellectionem opprimit, ultra vires non audentem, quæ legit, de Divinis Attributis, Personis, Trinitate, & Essentia, firmo conspicere intuitu. Sed quid dicam? Meus me Augustinus terret simul, & allicit. Terret, monendo nihil esse periculosius simul, & difficilius, quàm de Trinitate loqui; allicit addens, quòd hoc studio nihil invenitur utiliùs (2): *Nec periculosius alibi erratur, nec laboriosius aliquid quæritur, nec fructuosius aliquid invenitur*. *Periculosius*, quia in tam incomprehensibili Mysterio quidquid dicitur, nisi ad Fidei, et Theologiæ lancem rigorosè castigatum sit, in noxium cedere potest errorem; ac propterea nescit Intellectus meus in tali elevatione vertiginem non perhorrescere, & præcipitium. *Laboriosius*, quia quamvis in juventute consueta studia sim emensus, & Theologiam saltem a limine salutaverim, a quinquaginta tamen ab hinc Annis, ex Obedientia Sacris Rostris addictus, Theologicas disciplinas deserui, quarum & longa desuetudo, & gravis ætatis meæ, ut solet, infirmitas, vix umbratilem reliquere memoriam. Unde scit Deus, an mihi continget, & qua vellem claritate explicare quæ scribo, & qua opus esset, profunditate penetrare quæ lego. His attamen dubiis, quæ laborem dissuaderent, prævalet, animumque addit, quæ ab Affricano meo Patre mihi offertur, Animarum utilitas: *Nec fructuosius aliquid invenitur*. Et revera quid utilius, quàm, ut possumus, & humilitati fas est, cogitare de Deo, cujus

(1) *De Discr. Spir. c. 8, num. 9.* (2) *De Trinit. l. 1, c. 3.*

cujus apud multos heu nimia irrepit oblivio? Deum, ejusque perfectiones credimus fideles omnes; sed credimus ut plurimum otiosâ, & negligenti quadam Fide, quæ nulla meditatione, solo exercetur assensu, quasi nesciamus hoc esse debere nobis fidem, quod Israelitis Manna, Sinagogas non nutriens, nisi pararetur labore. Utinam discere possemus ab iis, qui experti sunt, qua majori Deum nostrum coleremus admiratione; si ejus meditantes perfectiones, & pulchritudinem, cogitaremus tot Attributa, quæ in Creaturis, Divinisque operibus pro captu nostro apparent distincta, veritate docente in una sola incomprehensibili Essentia ineffabiliter, atque eminenter indistincta, imo identificata comprehendi; unde fortior evaderet noster Amor, se colligens in adorabili compendio, & ineffabili Unione innumerabilium perfectionum, quæ admirationi videntur multiplices, veritate non sunt, nisi ipsimet Deus, sunt in uno inintelligibile Unum. Qua rursus profundâ stuporis humilitate, & simul quo ecstaticæ adorationis jubilo, contemplaremur in Deo Trinitatem sine divisione, Unitatem sine solitudine, si mente, & fide complecteremur Deum nostrum, se comprehendendo, se amando, Beatum, Sapientiaque generantem ab æterno Filium, Amore spirantem Paraclitum, quorum in Anima nostra creatam grato animo dignoscere-mus Imaginem. Hic utique fructus esset, quem in me, si velim, in legentibus, ut spero, Divinitatis contemplatio pareret: *Nec fructuosius aliquid invenitur*. Hæc dicta sint, ut noverit lector non frustrà suas intelligentias conscripsisse hanc Virginem, non otiosè me in his interpretandis desudasse. Cæterum in sequentibus exarandis animum sumo, confidens, quòd benigni lectores, qui dubia æquanimi librabunt judicio (istis enim scribo, non illis, qui fixatione cogente mendaces sunt in cæteris) erroribus, quos fortè è calamo invitos exire continget, Charitate indulgere scient, non mentis intentionem condemnare; & ut Divus precabatur Augustinus (1): *Quisquis cùm legit, & dicit, hoc non benè dictum est, loquutionem meam reprehendat, non fidem*. Idem huic Virgini ab iis, qui succedentes ejus intelligentias legent, exoro; meminerint, si quæ in eis minus clara, aut non prorsus propria repere-rint, Divini Spiritus influxum, quod sæpiùs dixi, ante, & post Raptum varium esse; ac proinde bene dixit Cardinalis Bona, non semper Animas à Deo elevatas referre posse, quæ ecstaticè viderunt ea proprietate, qua Divina cognoverunt in Ecstasi (2): *Si ea quæ vident claritate perfusi scribere, aut evulgare conentur, non eis pro voto succedit, nisi ad id speciali Dei instinctu moveantur*. Idem alia ratione docet Angelicus, dum loquens de illo Apostoli: *Non licet homini loqui*, exponit, non potuisse Paulum ea referre, quæ in mirabili suo Raptu cognoverat, non solùm quia ineffabilia erant, sed etiam quia de mirabilibus revelatis, Deo sic disponente, non remanserant in eo, nisi paucæ intelligibiles species, quæ ad exprimendum visa Mysteria, non satis erant efficaces (3): *Memor fuit illorum, quæ in illa Visione cognoverat per aliquas species intelligibiles, ex hoc in Intellectu relictas, unde totam illam cognitionem*

nec

(1) *De Trinit. loco supracitato*. (2) *De Discret. Spirit. c. 8, num. 9.*
(3) *2, 2, q. 175, a. 4.*

nec poterat cogitare, nec verbis exprimere. Idem, qua debeo proportione de Maria Catharina dicere liceat. Retinuit post Raptus, quas Deus voluit, sed non omnes species eorum, quæ ecstaticè viderat; ac proptereà illorum defectum supplente Phantasia, dimidiatisque in memoria præhabitis cognitionibus, quæ profunda in scriptis ejus reperimus, Dei sunt; quæ subobscura, sua sunt; in quibus cognitorum substantiam memoria retinente, non verba, mirum non sit, si aliqua, ut a Virginali simplicitate dictata, exierunt æquivoca. Equivoca non inficior, sed charitativa interpretatione exponenda, ut jubet Divus Thomas [1]: *Sancti Doctores aliquando expressius loquuti sunt, quàm proprietas loquendi patiatur*; unde hujusmodi loquutiones *non sunt extendendæ, sed exponendæ*. Meminerit ergo qui legit in istis relationibus discretam illam adhibendam esse cautelam, quam idem suggerit Doctor [2]: *Esse, quæ dubia sunt, ad meliorem partem trahenda*.

§. II. In Divina Scientia, quamvis realiter Deus una sola, & simplicissima intelligentia suas Perfectiones, totumque se ipsum absque discursus cognitionisve graduatione cognoscat, undè scribit Sanctus Thomas (3): *In Deo Intellectus intelligens, & id quod intelligitur, & species intelligibiles, & ipsum intelligere sunt omnino unum & idem*; per nostrum tamen intelligendi modum, nostraque opinione logizante, salva semper fide, supponimus in ipso aliqua imaginata prioritatis, & posterioritatis signa, quibus Divina mens ante Divinas Personas realiter inter se distinctas, sua viderit Attributa, quæ sunt ipsamet simplicissima Divina Essentia. Hoc igitur ordine ante cætera Trinitatis mysteria, explicanda credidi ea, quæ de Divinis Attributis hæc Virgo in ecstaticis suis elevationibus cognovit, & Patribus spiritualibus ex obedientia aperuit; cum hac tamen cautela, quòd in ejusdem Raptibus Divinum lumen, in quo omnia nostri inferioris discursus obtenebrescunt crepuscula, ipsam sæpe elevabat ad mirum quemdam intuitum Divinitatis, ut in se ipsa est, abstractivè tamen contemplatæ; quod privilegium paucis quidem Animabus concessum, ut jam demonstravimus, ipsi a Divina Misericordia indultum fatetur; hoc scribens [4]: *Infusit mihi Deus quoddam lumen, quo me traxit ad suam nudam, & simplicissimam Unitatem*. Ex qua perfectissima contemplatione provenit, quod simpliciori eternæ veritatis obtutu, exceptis Divinis Personis, quas, ut videbimus, intellexit realiter relativa oppositione distinctas, cætera, Perfectiones scilicet quaslibet, & Attributa, quæ nos ex Divinis operibus veluti distincta cognoscimus, in una tantùm Unitate eminenter, ineffabiliterque, fide in admirationem erumpente, adoraverit. Sic eadem Virgo in una ex suis relationibus refert (5): *Clarâ Deus intelligentiâ, & notitiâ se mihi ostendit, ut est simpliciter in seipso; idest quòd ejus Attributa & perfectiones sunt realiter ipse*. Gratiam hanc verè mirabilem, sed quam ex pluribus ejusdem relationibus Mariæ Catharinæ Deum induxisse, mihi constat, prætermittere opportunum duxi, ut clarius quæ de Divinis Attributis dixit, intelligantur, faciliusque interpretentur. Accedamus igitur ad examen eorum,

(1) 1, q. 39, a. 4, ad 1. (2) 2, 2, q. 60, a. 4. (3) 1, q. 14, a. 4. (4) *Sup. Par.* 1, c. 5, §. 3. (5) *Ib. cap.* 9, §. 7.

quæ de Attributis in universali illa cognovit; ultra siquidem ea, quæ in Animadversione Nona, Lib. Quinto retulimus, in quadam sua relatione, sic ait [1]: *Sanctissimæ sunt Trinitati intima, præsentissima, & substantialia; nec possunt Divinæ Personæ unum videre sine alio, cùm unum ab alio divisa non sint, neque distincta. In Deo quod est unum est aliud. Deus enim Actus est purus, & simplicissimus. In operibus ad extrà agere non potest cum uno Attributo sine aliis, quia omnia sunt idem ipse; sicut tres Animæ Potentiæ, una sine alia operari nequeunt, cùm realiter ipsa sint Anima; contradistinguuntur verò per nostrum Intellectum, sicuti Potentia Intellectiva contradistinguitur a Memoria, & Voluntate*. Alibi (2): *Attributa sunt sine definitione; quia infinita sunt in substantia; realiterque, & formaliter Deo identificata. Et isti flores* (sic illa quodam se explicandi genio, Attributa nominat) *in horto Divinæ Naturæ non augentur, sunt enim sine termino*. In altera relatione (3): *Attributa in multiplicitate sunt incomprehensibilia, & tamen in Divinitatis fundo nil sunt, nisi una simplicissima Unitas*. Addit in altera periodo (4): *Interminabilia sunt Divinitatis spatia, & immensæ Divinorum Attributorum, & perfectionum latitudines, quæ Deo intimæ sunt perfectissimæ, & substantiales*. Terminat tandem horum relationem hoc dicto (5): *Supradicta Attributa, seu odoriferi flores in delitioso, & amœno Divinæ Spiritualis Naturæ horto, a qua veluti ab Origine procedunt;* (non intelligatur hic ipsam de reali origine, aut Processione loqui, particula enim, *Veluti*, innuit esse hunc solummodò loquendi modum, & puram similitudinem) *Non augentur neque in substantia, neque in effectibus*.

§. III. Parcat utique lector mihi; si aliqua hic scribo, quæ alibi transcripsi; tædiosa siquidem esse poterit hæc repetitio, sed, ut reor, non otiosa; est enim consilii mei simul ostendere, & sententiarum hujus Virginis profunditatem, & dubia, quæ in iisdem suspicari possunt; ut ambobus pariter eidem aspectui subjectis, utraque simul, quasi sub oculis posita, clariùs patescant. Ad supradicta verò examini divisim subdenda pertransiens, quoad hoc hæc Virgo scribit: *Attributa scilicet omnibus Divinis Personis, intima esse, ac præsentissima*, modum loquendi miror, difficultatem non video. Sciunt enim fideles omnes, nedum Theologi, quòd Divinæ Perfectiones adscribuntur quidem, nostro id concipiente Intellectu, & utiliter errante quadam distinctione, cuilibet ex Divinis Personis; Patri Potentia, Sapientia Filio, Paraclito Bonitas. Realiter verò easdem omnibus communes esse docet Fides; eadem enim sunt, quæ omnibus communicatur, Essentia. Addit tamen ipsa ly *Intima esse Deo, & præstantissima*, ut caveat in Divinitate Attributa, accidentia non esse, sed intimam, & præstantissimam Dei ipsius substantiam; quasi Angelicum audierit dicentem (6): *Deo non adveniunt aliqua accidentia, sed quæ de aliis dicuntur accidentaliter, sibi conveniunt essentialiter, ut esse Potentem, Sapientem, & alia hujusmodi*. Hæsitarent insuper aliqui quomodo percipi possit quod ipsa scribit: *Attributa videli-*

(1) *Sup. Par.* 1, *cap.* 4, §. 5. (2) *Sup. Par.* 1, *cap.* 3, §. 2.
[3] *Ib. cap.* 1, §. 1. (4) *Ib. cap.* 7, §. 1. [5] *Ib. cap.* 4, §. 5.
[6] 1, *quæst.* 6, *artic.* 3.

delicet esse absque definitione, quia infinita, & in multiplicitate incomprehensibilia, quod, ut mihi videtur, profundum quidem est, non tamen captu difficile, atque ita demonstro. Attributa nos nonnisi ex Divinis, quæ videntur, venamur, operibus. Exempli gratia, ex Creatione omnium de nihilo, Omnipotentiam; ex Mundi gubernatione, Providentiam; ex receptis venia, & Donis Misericordiam; ex comminatis, aut expertis suppliciis, Justitiam, &c. Quia verò quæ Deus fecit numero infinita non sunt opera, ob id nec infinita cognoscimus Attributa. Altior tamen, quam de Dei infinitate concipere debemus, æstimatio simul, & fides, docent alias innumeras incomprehensibilesque, quæ nobis latent, in eo credere perfectiones, in quibus in infinitum mirabiliora semper, quæ Deus facere prævalet, si vellet, absque mensura prodirent; & quæ nos non percipiendo quidem, sed admirando, etsi non positivè, negativè saltem, possumus contemplari. Bene ergo loquitur Virgo hæc dicens: *Attributa esse multiplicitate incomprehensibilia*. Nullus enim, excepto Deo, infinitas Perfectiones, quas infinita in se continet Essentia, valet comprehendere; cecutienter solummodò, Fideque nobis in tenebris elucescente hanc Intellectui licet venerari veritatem; quidquid nempè ad infinitè perfectum esse pertinere potest, hoc totum adorandum esse in Deo, qui est, quod est: *Ego sum, qui sum*, concludendo ad solutionem hujus dubii cum Divo Thoma (1): *Nulla de perfectionibus Essendi potest deesse ei, quod est ipsum subsistens*. Cespitarent insuper alii in altera, quam supra retulimus, periodo, qua legitur: *Non posse ad extrà Deum cum uno, sine alio operari Attributo*; & hoc Potentiarum Animæ clarificat exemplo. Quòd hoc verum sit, eadem Virgo satis probat hac unica ratione, quòd Attributa in Deo indivisa sunt ab ejus Essentia; imò ipsamet sunt Essentia. Nec errat in Potentiarum Animæ similitudine, si intelligamus, ut par est, de superioribus loqui; inferiores enim solius Animæ non sunt, sed totius compositi. Experientià enim constat quòd illarum una agere, sinè aliarum concursu, nequit; non etenim Intellectus intelligit absque eò quòd Voluntas jubeat, & ad intelligendum species, quas præhabuit, Memoria, suggerat. Quod autem scripsit has Potentias ipsam realiter esse Animam, laudaret Divus Bernardus (2) dicens: *In Anima tria intueor: Rationem, Voluntatem, Memoriam, & hæc tria ipsam Animam esse*; unde paulò infra ait: *En quam dissimilem Trinitatem* (scilicet Sanctissimam), *o Animæ meæ, Trinitas exulans offendisti!* Sed quidquid sit de hoc, certè id est Opinio in Philosophia, quæ quantumvis in re falsa esset, non tamen infirmaretur adducta similitudo, quæ non semper debet esse perfecta, alioquin non similitudo esset, sed veritas, ut bene docet Angelicus (*videatur infra Animadvers. VIII*, §. *V.*). Transeamus tandem ad duas alias, quæ ex supra allatis Relationum particulis insurgunt, enodandas difficultates; quarum una est: Quod ipsa distinctionem inter Attributa videtur tollere quod a Theologia apparet alienum. Pro quo notandum est de Theologicis formalitatibus per nostrum Intellectum effictis, ferè numquam ipsam loqui, sed de iis solummodò, quæ realiter sunt in Deo; prout

(1) *Loco citato*. (2) *In Cant. Serm. 11, num. 5.*

ecstaticè vidit, differere. Error est igitur, licèt non culpabilis nostri Intellectus, diversa imò opposita in Deo concipere Attributa; quia diversos eorum, & sæpiùs contrarios, experimur effectus. Veritas attamen omnia unum, & idem esse, eminentia contrarietati æquivalente, convincit; at quod ab una eademque essentia, perfectiones omnes, causasque rerum, quamvis oppositas, virtualiter præcontinente, oppositi emanant effectus, quos nos ratiocinante Intellectu variis quadam attenta convenientia, Attributis adscribimus: *Licèt* (ait Divus Thomas (1), *licet effectus Dei procedant ex quolibet Attributorum, tamen reducitur unusquisque effectus ad illud Attributum, cum quo habet convenientiam, secundùm propriam rationem*. Opposita ergo non est, Exempli gratia, Misericordia Justitiæ; sed idem sunt Attributum, licèt contrarios in nobis experiamur effectus; & sic asserendum de cæteris, sublata quidem ex virtuali æquipollentia contrarietate, vel distinctione. Unum etenim esse inter se Attributa omnia necesse est, quæ omnia unum sunt in Deo, atque ob id bene cognovit hæc Virgo indistincta intelligens Attributa, cui responderet Angelicus, nos docens apparenti inter Attributa non credere oppositioni, sed fateri eadem, nostra etiam invita apprehensione, re in Deo unum, atque idem esse [2]: *Quæ sunt opposita in seipsis in Deo præextiterunt ut unum*. Ultimam tandem, quam superiùs adduxi, de Attributis in genere periodum, non crediderim notabilem difficultatem inferre. Quòd enim, ut hæc Virgo scripsit, Attributa non augeantur, vel minuantur, neque in substantia, neque in effectibus, quoad substantiam, certum est, sunt enim ipse immutabilis Deus. Quoad effectus verò, si benè perpendatur, patet. Ab effectibus siquidem nos Attributorum Dei majorem, vel minorem prædicantes excellentiam, magis laudamus, Exempli gratia, Omnipotentiam in creatione Solis, quàm in creatione formicæ. Verùm si attentiùs consideremus, omnia opera Dei perfectissima sunt. Licèt enim semper ac semper in infinitum iis, quæ fecit, majora creare possit, creaturis tamen etiam minimis perfectionem ullam, quam ipsis in individuo competere vidit Sapientia, passus est Creator non deesse. Unde sequitur omnes secundùm eorum species perfectissimas esse: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, quòd erant valdè bona;* imò Divus Augustinus in minimis sæpè majorem Dei mirabatur omnipotentiam. Si ergo opera Dei, non in fallaci æstimatione nostra, sed in Creatoris attendamus mente, ex effectuum varietate Attributorum diversitatem non concipiemus; ob id non scripsit hæc Virgo ex Attributis varios non derivari effectus; sed dixit ex illorum varietate, nec augeri Attributa, nec minui; quod idem est, ac dicere, creaturarum omnium æqualiter mirabilem extimandam esse perfectionem, si non in se ipsis, sed considerentur in Deo, in quo cùm fuerint ab æterno, licèt in se appareant plus, minusque perfectæ, in ipso tamen, in quo nihil imperfectum esse potest, æquè perfectas fateri cogimur; veluti Ideas in eo preæxistentes, quæ sunt ejus perfectissima Essentia; testante Angelico (3): *Deus secundùm Essentiam suam, est simili-*

(1) 1, *quæst.* 45, *art.* 2, *ad* 3. (2) 1, *quæst.* 4, *a.* 2, *ad* 1.
(3) 1, *quæst.* 15, *art.* 1, *ad* 3.

similitudo omnium rerum, unde Ideæ in Deo nihil aliud sunt, quàm ejus Essentia.

§. IV. Ad intelligentias demum, quas habuit Maria Catharina de aliquibus divinis Attributis in particulari, jam properantes, profundas, & fœmineo multò majores captu, quas legimus sententias, aliquibus subobscuris, & quæ interpretationem poscunt, adnectemus, ut ex illis Divinum ei lumen in raptibus adstitisse eruamus; & vicissim æquivoca explicando, nihil in ejus scriptis, quod a recto fidei, & Theologiæ tramite deviaverit, reperiri ostendatur. Divinam ergo ipsa laudat, qua æstaticè rapiebatur pulchritudinem; quæ vox non aliquid fœmineum sonat, sed altiorem sensum, & verè Mysticum exprimit. Confiteri enim compellimur, quod sicut pulchritudo sensibilis in quadam decora partium corpora componentium proportione consistit; sic spiritualis in perfecto ordine, unitaque Symetria virtutum omnium, quæ substantiis conveniunt immaterialibus, contemplari debemus. Et ob id objecta spiritualia eò pulchriora sunt, quò magis in eis, & multæ sunt, & aptè uniuntur virtutes. Ex quo sequitur, quòd cùm Deus possibilium omnium perfectissimum, ordinatæque Symetriæ Prototypus, principium, & fons sit, necesse est ut mente illum concipiamus pulcherrimum. Addamus quòd, cùm bonum, & pulchrum idem sint, & juxtà Angelicum (1): sola distinguantur ratione, concludere cogimur, quòd sicut in Deo infinita est bonitas, sic immensa, incomprehensibilisque sit Pulchritudo. Hanc igitur Pulchritudinem, quæ semper est amoris causa, in Deo ad inflammandum se, & alios ardentiori charitatis igne, utiliter hæc Virgo concelebrat, scribens (2): *Relucet hæc Dei pulchritudo in Oceano illo, inexplicabili sui Esse, & natura Divina, considerata in se ipsa*. Tanta inquam concelebrat Majestate, ut mirum sit cognovisse Mulierculam, quod ibidem ipsa describit: *Hanc suam pulchritudinem in se ipsis tres Divinæ Personæ intuentes, absque eò quòd aliò se unquam vertant extra se, remanent in se ipsis, & per se ipsas infinitè, & super substantialiter satiæ, & perfecta beatificatione beatæ*. Quàm mysticum sit hoc dictum, Deum ostendens se plenum, & beatum, nihil extrà se cernere, sibique sufficientem sua plenissimè pulchritudine frui, observent qui legunt. Ego tantummodo non sine admiratione concludam intellexisse hanc Virginem, solo Spiritu dictante, quod Divus Thomas studio simul, & Crucifixo docente, cognovit, Deum scilicet absque ulla exteriorum cognitione, sola sui ipsius comprehensione beatum [3]: *Attribuenda est Deo beatitudo secundùm Intellectum, sicut aliis Beatis, qui per assimilationem Beatitudinis ipsius Beati dicuntur*. Quidni proficua sit ad accendendum in nobis amoris, & desiderii flammas, hæc Divinæ pulchritudinis Deum ipsum beatificantis, & Beatas reddentis animas, descriptio? sed non minus utile est ad nosmetipsos cæca filiaque confidentia Deo relinquendos, quod eadem de Divina scientia conscripsit, exclamans (4): *O Sol Sapientiæ quà intimè comprehendis te ipsum, sine cessanti intelligentiæ motu*. Et alibi: *Sapientia Dei est infinita, illimitata, immensa, & ampla, sine principio, & fine,*

(1) 1, q. 5, a. 4, ad 1. (2) *Sup. par.* 1, c. 1, §. 1. (3) 1, q. 26, a. 2.
(4) *Sup. par.* 1, c. 4, §. 3.

sine, a qua principium habent Divina Judicia, quibus Deus omnia gubernat, & substinet. Libet hic quasi ad lydium lapidem, ad Sanctorum Patrum scripta hujus Virginis dicta conferre. Dicit ipsa Sapientiam Dei infinitam, neque in hoc dubium est; cùm enim Deus comprehendat se ipsum, qui infinitus est, infinita necessariò esse debet & sua scientia; sed addit, quòd & suas perfectiones, & omnia sivè creata, sivè possibilia a se non exiens, intra se ipsum videt; quod adamussim docet Angelicus (1): *Deus se ipsum videt in se ipso per Essentiam suam; alia autem videt non in ipsis, sed in se ipso, in quantum Essentia sua continet similitudinem aliorum ab ipso*. Dicit quòd suâ scientiâ Deus omnia cognoscit, *sine concomitanti intelligentiæ motu*; quibus verbis compendiose innuit se intellexisse Scientiam Dei discursivam non esse, nec egere imperfecto illo motu, quo nos cogimur unum cognoscere prius alio, & conclusiones a principiis proprio nobis ratiocinationis circulo eruere. Ipse enim purissimo, & unico actu, cùm omnium sit causa, omnia in se eminenter continens, omnia eodem prorsus intuitu, & absque de uno ad aliud nobis inevitabili processu conspicit, nec ab effectibus ad causas, aut e contra necesse habet procedere. In qua intelligendi sublimitate, cum Divo ipsa concordat Augustino (2): *Deus non particulatim, nec singillatim omnia videt, veluti alternante conceptu, hinc, illuc, indè, huc, sed omnia videt simul*. Laudat ipsa pariter Divinam scientiam, ut *principium justissimorum judiciorum, quibus omnia gubernat*. Qua sententia quasi legisse apparet Angelici doctrinam, asserentis scientiam Dei causam esse rerum (3): *Scientia Dei est causa rerum in quantum habet voluntatem conjunctam*. Hæc omnia eruditos in Theologia scire non est mirum, sed quòd muliercula & calleat, & mystico quodam scribat verborum compendio, paucis complectens, quod prolixius docti vix docent, sine supernaturali luminis influxu contingere nullus probabiliter credet; atque ob id supradicta fusius tetigi, vel imposterum tangam, ut Divinam lucem ei in Raptibus adstitisse, morali quadam asseram certitudine. Inspiciamus insuper quod de Omnipotentia sentiat hæc Virgo. Hanc dicit (4) *Patris coronam, quam fert in manu, & veluti sceptrum a se ipso proveniens, in quo omnia sunt in esse creabili, & sine divisione, aut distinctione, actu in ejus sunt Omnipotentia*. In hac periodo clara innuit, & quæ interpretatione non indigent, mysteria. Dicit *coronam esse*; major enim cæteris Attributis nostra experientia, & judicio, non tamen realiter, Omnipotentia est. Dicit hanc *ferre in manu*, quasi docens in agendo omnipotentiam consistere, ut Divus ait Thomas (5): *De ratione Omnipotentiæ est, quòd sit principium agendi in aliud*. Dicit in eadem *omnia contineri in Esse creabili sine aliqua tamen divisione*, quia omnia & creata, & creabilia, ut docet fides, eminenter, & ut Ideæ sunt, atque æternaliter fuerunt, in omnipotentiæ Thesauro, non tamen divisa, quia una erant, & sunt Essentia. Addit tandem, particulam *Actu*, non quòd per eam significet omnia esse actu creata, quæ solummodo possibilia sunt; sed ut excludat a Deo realem illam distinctio-

[1] 1, *q.* 14, *a.* 5. (2) *Lib.* 15, *de Trinit. c.* 14. (3) 1, *q.* 14, *a.* 8.
(4) *Sup. par.* 1, *c.* 5, §. 1. (5) 1, *q.* 8, *a.* 3, *ad* 3.

stinctionem actus, & potentiæ, quam formalem in illo nostra concipere ratio. Hæc omnia Fidei consona, Divinoque lumine in ignoranti Virgine misericorditer affulgente, digna, quis negabit? Culparent attamen aliqui, vel ignorantiæ, vel erroris, quod in ultima allata periodo ipsa suddit. *Eidem* (Deo nempe) *Omnipotentia suam expressivè causat existentiam*. Et quomodo (diceret quis) hoc potest intelligi, cùm existentia Dei sua sit Prior omnipotentia, imo ipse Deus sit omnipotens, quia existens. Inspiciamus tamen ad difficultatem enodandam, attentiori indagine, quod ipsa consultò, non *Essentiam* nominat, sed *Existentiam*, nec ociosè illo utitur adverbio, *Expressivè*. Pro quo notandum aliud esse apud Metaphysicos Essentiam, aliud Existentiam. Illa innuit rerum proprietates, prout solummodo in se ipsis vel in sua sunt causa, ista significat res ipsas, prout actu cognoscuntur extrà positas; prima, ut res possunt esse, secunda ut actualiter sunt; non etenim natura ignis in se simpliciter considerata, est ipse ignis ut operans, & actu existens. Hic duplex conceptus in creaturis realiter a nobis ponitur, in Deo formaliter effingitur. In Deo siquidem, *quod sit* confitemur, *quid sit* non cognoscimus. Quòd autem existat, ex operibus ejus, fide docente, & simul experientia comprobante, didicimus. Si ergo ex operibus Deum existere intelligimus, & opera ad omnipotentiam attinent, bene dicit (nisi ex industria malè velimus interpretari) hæc Virgo, quòd Deo omnipotentia causa sit existentiæ; causa inquam non realiter apud Deum, in quo ab Essentia non distinguitur Existentia, sed apud nos, qui formali conceptu ex Divinis operibus Deum veluti extrà se operantem, ac proinde existentem dignoscimus. Hanc autem interpretationem propriam esse suæ mentis ipsa satis declarat Maria Catharina Epitheto illo *Expressivè*; tali innuens particula, se non loqui de Deo, prout in se considerato, sed extrinsecè in quantum ex operibus Omnipotentiæ, quòd Deus existat nostro exprimitur intellectui. Injuriosum autem esset huic Animæ suspicari, quòd ipsa credidisset dari posse in Deo intrinsecè aliquam suæ Divinæ Essentiæ causam, quando in scriptis suis sæpe testatur se cognovisse Divinum Esse a quovis principio independens, & absolutum, Deumque solummodo sui causam esse. Genuinum igitur propositionis hujus sensum assequemur, si dicamus huic alteri ritè interpretatam æquivalere; Omnipotentia, scilicet mirabilibus in mundo, quæ patrat operibus, causam esse, ut hæc veritas *Deus existit*, clariùs a nobis dignoscatur, & humiliter adoretur.

§. V. Restat, ut aliquid de hisce in particulari Attributis, in Virginis hujus relatione descriptis ultimo loco, explicemus. Legentes siquidem quamdam illius periodum, qua scripsit de Divina Personarum agens Sanctitate, & Bonitate (1): *Earum Misericordia incapaces redduntur admittendi in seipsis malum aliquod, earum infinitè Bonitati præjudicans*, apprehenderent fortasse aliqui vel simplicitatem, vel errorem, Divinam Sanctitatem in sola recludentis Misericordia. Quod utique quàm alienum ab ejus sit mente, dignosci satis potest inspectione alterius in alia relatione periodi, in qua de Divina scribens Sanctitate, eam in omni-

[1] *Sap. par. 1, c. 4, §. 5.*

omnimoda Virtutum, incomprehensibilisque rectitudinis a ratione, cujus Deus auctor est, & regula, non declinantis collocat perfectione, ita scribendo [1]: *Deus Sanctus est in seipso, nec potest talis non esse, cùm incapax sit deviandi, nec in minimo a rationis rectitudine, impotens admittendi in se nec minimum actum imperfectionis, cùm in omni sua veraci perfectione sit perfectissimus*. Non igitur, si suarum scripturarum utamur contextu, verum est hanc Virginem immensam Dei Sanctitatem in sola coarctare Misericordia. Nec displiceat notata in hac periodo Bonitatis cum Misericordia confusio, quæ videretur irrationabilis; cùm una, bonum creaturarum, altera miserias respiciat. Primo dubio Divinam collocans Sanctitatem in impossibilitate deviandi a rationis, cujus ipse Idea est, rectitudine, abundè ipsa satisfacit; secundò occurramus libentissimè confitendo in Deo Bonitatem, & Misericordiam unum ac idem esse, non solummodò quoad ipsum, in quo, ut jam diximus, Attributa omnia idem sunt, sed etiam quoad nos, qui loquendo hìc de Bonitate, prout nobis communicatur, unum ab alia separare nequimus, confitendo, quòd nobis vicissim Deus misericors est quia Bonus, Bonus quia Misericors. In cujus assertionis dilucidatione notemus attentiùs cum Divo Thoma quos effectus pariat Misericordia, & eosdem cum illis, qui a Bonitate derivant, reperiemus univocos. Ad Bonitatem siquidem pertinet non permitti a Deo suis creaturis malum aliquod, nisi fine majoris Boni, ut Divus notat Augustinus (2): *Deus cùm sit summè Bonus, nullo modo sineret aliquid mali esse in operibus suis, nisi esset adeò Omnipotens & Bonus, ut benefaceret etiam de malis*. Hoc idem innuit in adducta periodo hæc Virgo, significans Divinam Bonitatem permittere non posse aliquod malum, nisi intensione ex illo emanantis Boni; & idipsum de Misericordia Angelicus asserit, docens perfectiones, quas Creaturis dedit Bonitas, ut earum defectus vertantur in bonum, ad Misericordiam pertinere (3): *In quantùm perfectiones, datæ rebus a Deo defectum expellunt, pertinent ad Misericordiam*. Non enim vult Deus, ut miseri simus, quia Bonus est, sed miseriis nostris medetur, quia Misericors; atque adeò hæ duæ perfectiones unitæ sunt, ut ipsa creatio rerum, quæ certè Bonitatem nobis communicatam demonstrat, teste Angelico, Misericordiam, qua nostrum nihil miseratus respexit, concelebret; ac propptereà ut idem concludit Sanctus Doctor (4): *Sic in quolibet opere Dei apparet Misericordia, quantùm ad ejus radicem*. Ex his apparet via, qua hujus, quàm subobscuram non nego, propositionis genuinum sensum aperire liceat. Misericordiæ competit malum non permittere, nisi sub ratione boni; Bonitatis pariter est de malis ipsis bonum eruere: Ex Misericordia igitur habent tres Divinæ Personæ, ut purum malum non admittant, quod alienum a bono, Divinæ Bonitati adversaretur. Et cavendum, quòd ista prudentissimè hac utitur clausula: *Impotentes admittendi in se ipsis aliquod malum*. *Admittendi*, scribit, non *permittendi*; *in seipsis*, addit, non in nobis; æternam siquidem damnationem, quæ verè malum est, Deus non vult, sed permittit; non a Divina, sed a nostra

(1) *Sup. Par. 1, §. 1.* (2) *Enchirid. c. 18.* (3) *1, q. 21, a. 3.*
(4) *Loco citat.*

ſtra derivat voluntate; quamvis nec ipſa damnatio, prout Dei permiſſio eſt, purum ſit malum, absque aliqua miſtione boni; tum in Deo, qui gloriam ſuæ intendit Juſtitiæ; tum in nobis, quia ex prævisione jam reproba damnatur Anima, ne plura committens peccata pluribus ſe ſubdat ſuppliciis; & quia punitur citrà condignum, adeout non ſolùm Bonitas Miſericordiæ, ſed ipſa conjungatur Juſtitia, ſcribente Angelico (1): *Miſericordia eſt quædam Juſtitiæ plenitudo*. His addam, quòd huic Mariæ Catharinæ periodo favet Cajetanus, qui demonſtrans neminem perfectè poſſe eſſe miſericordem, qui non in omni ſibi competenti dives ſit perfectione, hoc idem videtur innuere, quod in hac Virgine putaremus reprehendendum, apertè concludens in Miſericordia concludi, & compendioſè intelligi totam Dei Bonitatem, his verbis (2): *Conſequens eſt, ut Miſericordia ſecundùm ſe exigat ex ſe ipſa ſuperioritatem talem & tantam, ut Actus purus ſit, ut ſumma natura ſit, ut Deus ſit*.

ANIMADVERSIO VI.

De Intelligentiis quas habuit hæc Virgo circa Divinas Perſonas in particulari; Et primùm de Perſona Æterni Patris.

§. I. FAtemur Fideles omnes tres Divinas Perſonas in una realiter, & ſimplici Eſſentia, & nihilominùs inter ſe ita verè diſtinctas, ut una non ſit altera, ſed notione, ſeu perſonali proprietate, ante quamcumque Intellectus operationem incomprehenſibiliter diſtinguantur. Hoc mirabile, & nobis incomprehenſibile myſterium noſtræ adorationi potiùs quàm intelligentiæ proponit Fides; ex quo infero, quòd, etſi hoc ſuperexcellenti veritatis allucinemur radio, humili tamen adoratione ſimul, & ſtupore, Divinas Perſonas, ut diſtinctas etiam, ſingulatim adorare poſſumus, imò deberemus, & contemplari; ad hoc ut Anima fide innixa, ſupernaque luce irradiata, ſtupens Omnipotentiam adſcriptivè ſibi propitiam in Patre; Sapientiam, qua regitur, & docetur in Filio; Bonitatem, in qua diligitur a Spiritu Sancto; Filialis confidentiæ Divini luminis, ardentisque Amoris, hauriret augmentum. Hanc igitur diſtinctam trium Perſonarum contemplationem in ſuis Raptibus Mariæ Catharinæ Divina conceſſit Miſericordia, ut in ſuis patet relationibus; quas modò ſive defendendas, ſive explicandas, Deo auxiliante, ſuſcipimus. Partem alibi, in Libro ſcilicet Quinto, Animadvers. Decima, fuſiùs tranſcripſimus; & lectori, ut hæc faciliùs percipiat, attentiori ponderatione legendas proponimus. Permittatur attamen mihi, ut ad clariorem ſequentium intelligentiam, majoremque Dei gloriam, qui tales Virgunculæ elevatas cognitiones infundere

Kk

(1) 1, q. 21, a. 3. (2) *In D. Th.* 2, 2, q. 31, a. 4.

dere dignatus est, sublimiores hic quasdam sententias, quæ fœmineum certè videntur superare captum, nescio utrum potiùs mirer, an repetam. Invocans igitur ipsa Æternum Patrem, Divino quodam, ut reor, Æstro percita, sic fatur (1): O *immense incomprehensibilis Pater, Ingenite, nec procedens, sed æternaliter, consubstantialiterque a temetipso dependens*. Notemus precor Verborum pondus, quo ipsi, *Ingeniti*, quod Theologiam non callentibus incognitum est, impertitur nomen; nomen inquam, quod Patri, ut summa proprietas, & gloria, teste Angelico, (2) convenit. Ostendit enim primum esse Divinarum Processionum veluti fontem, quod ipsa alibi clariùs ostendit, Patrem sublimiore hoc laudans titulo (3): O *Æterne Pater, Principium sine Principio*. Bone Deus! Quomodo, nisi Divina Veritate docente, profundum hunc sensum fideique veritates unico complectentem Verbo, muliercula scivit. In operibus ad extra Principium esse toti convenit Trinitati. Ad intra verò *Principii* nomen competit, & Verbo, ut de se ipse dixit: *Principium qui & loquor vobis*; est enim principium Spiritus Sancti simul cum Patre; sed esse Principium sine principio, primæ solummodò tribui potest Personæ, ut Divus notavit Thomas (4): *In Personis Divinis, in quibus non est prius ac posteriùs, invenitur Principium, non de principio, quod est Pater, & Principium a Principio, quod est Filius*. En loquendi mirabilem, ut reor, profunditatem, quam Theologiæ ignara Virgo brevissimo includit vocabulo, compendioso quidem, sed exprimenti clariorem, fideique consonam distinctionem inter Patrem & Filium; quòd videlicet hic Principium sit, sed a Principio, ille Principium absque Principio; quasi legisset apud Angelicum (5): *In quantùm est Principium, non de Principio innotescit Pater, ex hoc quod non est ab alio, quod pertinet ad proprietatem innascibilitatis, quam significat hoc nomen Ingenitus*. Huic veritati consequens est, si catholicè ipsam interpretari velimus, conclusio, qua hæc Virgo asseruit (6): quòd *nostra substantialis dependentia est ab Ingenito Patre, luminum Deo*. Quod dictum, ne mentibus brevitate ipsa dubietatem ingerat, clariori indiget explicatione. Docet equidem Fides opera ad extrà tribus omnibus Personis esse communia; ac proptereà a tota Trinitate uno, & incomprehensibili Deo, creaturarum omnium creationem, conservationem pendere, & obedientiam; Patri nihilominùs, ut primò Personarum principio, hæc omnia peculiariter attribuuntur. Attributione igitur dependentiam nostram ipsa a Patre constituit, quam *substantialem* vocat, idest, nobis præcipuè commendatam a Christo, qui Patrem semper orare nos docuit, ipseque Patrem semper orabat. Cavendum tamen, ne erremus, hic est, quòd, quando in Dominica Oratione dicimus *Pater noster*, totam equidem invocamus Trinitatem, ut docet Albertus Magnus, & Euthimius; sed Patri, ut duarum Personarum Principio adscriptivè nostras offerimus adorationem & preces; sic Sanctus Ciprianus interpretantur (7), Rupertus Abbas, & Chrisostomus. Hic mos est totius Ecclesiæ; & hunc morem in allata perio-

(1) *Sup. Par.* 1, *Cap.* 4, §. 3. (2) 1, *q.* 33, *a.* 4. (3) *Sup. Par.* 1, *Cap.* 1, §. 1. (4) 1, *q.* 33, *a.* 4. (5) *Ibidem*. (6) *Sup. Par.* 1, *Cap.* 3, §. 2. (7) *Apud Sylveir. in Evang. T.* 2, *lib.* 4, *c.* 15, *q.* 6.

periodo Maria Catharina respexit, insinuans fortè dependentiæ nomine filialem confidentiam, quam cordibus ingerit; rememorans nobis cum Evangelista: *Vid te qualem Charitatem dedit nobis Deus, ut filii Dei nominemur, & simus.*

§. II. Inter multa, quæ de Æterno Patre Maria Catharina loquitur admiratione digna, aliqua sunt, quæ difficultati censentur obnoxia; inter quæ unum est, quod in quadam sua Relatione ait [1]: *Simplicissimum Divinumque Esse Æterni Patris, suam habet æternam originem a Divina sua spirituali natura; quæ ab ipso non est divisa.* Non inficior propositionem hanc, si sumatur prout primo apparet aspectui, Theologorum omnium adversari doctrinæ. Cùm etenim omnia in Deo unum sit, ubi relationis non obstat oppositio, & hæc in origine unius Personæ ab alia fundetur; si Pater originem traheret ab Essentia, opus esset, ut inter Paternitatem, & Essentiam aliqua intercederet relativa oppositio, ac propterea multiplicaretur Relationum numerus, juxtà opinionem Abbatis Joachimi, jam in Conciliis damnatam. Sed si diligentius perpendatur hæc propositio, inveniemus in ea non quidem errorem, sed profundam scholasticam Doctrinam delitescere. Errorem utique, quo in Patre aliquam supponat originem, non suspicabimur, si suarum Scripturarum observantes contextum, a tali deceptione illam cognoscemus immunem; sæpius enim originem quamvis a Patre removet, modò dicens (2): *Patrem esse habere a se ipso permanens.* Modò [3]: *Ingenitum luminum Patrem a nulla re Originem habuisse: sed per se ipsum subsistere sua consubstantiali potentialitate.* Modò; *Esse Patris non habuisse in sua æternitate originis principium; quia Divina Essentia non est ab ipso divisa, neque ab eadem potest ipsa dividi, neque personaliter, neque intellectualiter, cùm naturalis non sit præcedentia inter suum intellectum, & Essentiam.* Ex his, aliisque propositionibus quomodo suspicandum est ipsam in Æterno Patre veram somniasse originem? aut quis credet post tot repetitas in contrarium assertiones in allata tantummodo sibi ipsi periodo contradicere? Necesse est igitur absconditum aliquem hic sensum includi, quem mihi taliter rimari liceat. Certissimum est Divinas Relationes, nec divisas, nec distinctas esse ab Essentia; undè apud Salmanticenses (4) ait Thomas: *Patet quòd in Deo non est aliud esse relationis, & esse Essentiæ.* Verum tamen est quòd intellectus noster inter Essentiam, & Relationes apprehendens quamdam communicabilitatis oppositionem, fundamentum præsumit distinctionis cujusdam, quæ rationis dicitur; unde teste ipso Salmanticensi Collegio (5), ita scribit Angelicus: *Relatio realiter existens in Deo est idem cum Essentia secundùm rem, & non differt nisi secundùm intelligentiæ rationem, prout in Relatione importatur respectus ad suum oppositum, qui non importatur nomine Essentiæ.* Duobus ergò modis distinctio inter Personam, & essentiam Patris negari potest, aut concedi; realiter, & sic omnino nulla est; formaliter, ex nostro intellectus conceptu, quæ rationis dicitur, & talem concedit etiam Florentina Synodus

(1) *Sup. Par.* 1, *Cap.* 1, §. 1. (2) *Sup. Par.* 1, *Cap.* 9, §. 7.
[3] *Ib. Cap.* 3, §. 2. (4) *Tom.* 2, *Tract.* 6, *Dist.* 7, *Dub.* 1.
(5) *Loco citato.*

nodus (1): *Persona Patris non distinguitur a Paternitate, aut substantia nisi ratione tantùm*. Ab his duobus modis, quibus de Deo loquimur, vel realiter, qualis est in se ipso, vel formaliter, prout a nostro concipitur intellectu, apparens inter Mariæ Catharinæ dicta tollitur contradictio. Primo modo ipsa in Patre omne principium negat, & omnem originem, ut sæpius se protestatam vidimus. Secundò, idest quantum ad nostræ mentis discursum, quandam concedit imaginatam originis umbram, super virtualem innixa distinctionem, qua ratio nostra concipit Paternitatem ab essentia non procedere quidem, sed emanare, ut loco citato scribunt Salmanticenses. Et ut aliter idem dicamus, Essentia a Relatione Patris activa modificatur, ut Gonet in suo asserit Thomistarum Manuali (2). In tali sensu hæc interpretata propositio nec male contra fidem sonat, nec novam Relationem, ut suspicabamur, innuit.

§. III. Remanet ut in hac Animadversione cuidam difficultati notabilis verè momenti occurram; & est, quòd Maria Catharina de Communicatione loquens Divinæ Essentiæ in hæc prorumpit verba (3): *Pater communicans Filio liberè, & intrinsecè suam naturam, & substantiam*. Stupebunt multi, & rationabiliter, ut apparet, de hoc adverbio *liberè*; ex hoc arguentes ipsam credidisse communicationem Divinæ Essentiæ Patris ad Filium liberam esse, non necessariam; adeò ut Pater eam communicare potuisset, vel non communicare; quod esset in Theologia non solùm, sed etiam in fide notabilis error. In deteriorem tamen dictum hoc non usurpabit sensum, qui animadverterit ex Theologorum communiori Doctrina, in benigniorem interpretari faciliter posse: imò necessarium esse, ni velimus S. Hilario idem crimen, quod huic objicitur Virgini, audacter imponere, dum scripsit (4): *Non enim nolente Patre, vel coactus Pater, vel naturali necessitate inductus genuit filium*. Quid ergo? Arbitrariam, ne in Divinis asseruit Sanctus hic Doctor communicationem, quia naturalem etiam negavit necessitatem? Non certè, atque ideo velint, nolint, Mariæ Catharinæ vim non inferemus Adverbio *liberè*, ne tanti viri calumniemur auctoritatem. Interpretari ergo debet, & hæc est, ut reor, interpretandi ratio. Quærens Angelicus, an actus notionales voluntarii dici possint in Deo, distinctione respondet; quòd scilicet si ly voluntarium interpretetur pro voluntate antecedenti, itaut voluntas habitudinem habeat principii, voluntarii non sunt; si verò sumatur pro voluntate concomitante, idest quòd Pater communicet essentiam Verbo cum actuali voluntate communicandi; in hoc sensu voluntarii utique sunt; (5); *Et hoc modo dici potest, quòd Pater genuit Filium voluntariè*. In Deo subdit Divus Thomas (6) dari non potest necessitas, si in rigoroso sumatur sensu; quòd nempe ab exteriori proveniat vi, aut a finis impulsu; sed neque admitti in operibus ad intra libertas, prout indifferentiam ad opposita sonat (7): *Quia Deus est per se necesse esse*, Divus ait Hilarius. Quapropter si in Deo attendatur perfectissima necessitas Essendi id quod est, Generatio Filii dici debet necessaria: si verò contemplemur

(1) *Sess.* 18. (2) *Tom.* 2, *Tract.* 6, *Cap.* 6. §. *I.* (3) *Sup. Par.* 1, *Cap.* 1, §. 1. (4) *Lib.* 1, *de Synodo*. (5) 1, *q.* 4, *a.* 2.
(6) *Loco cit.* (7) *Loco sup. cit.*

mur in Divina Essentia, quia infinitæ est bonitatis, ineffabilem se communicandi propensionem, quam contemplata est Virgo hæc, scribens; *Patrem generare Filium secundùm propensionem Divinæ naturæ;* in tali sensu Generatio eadem laudanda est, ut voluntaria. Hoc bene Divus notavit Augustinus, asserens, *Quòd neque voluntariè genuit Pater Filium, neque necessitate*. Super quæ verba docet Angelicus fuisse Divinam Generationem voluntariam (1), in quantum *Voluntas, ut est natura quædam, aliquid naturaliter vult, sicut voluntas hominis naturaliter tendit ad beatitudinem, & similiter Deus vult & amat se ipsum*. Non satisfaciet tamen omnibus hæc doctrina; causabunt enim aliqui aliud esse voluntarium, aliud liberum; ac proindè respondebunt fortasse, primum concedimus; secundum negamus. Negatis? de libertate etiam, quæ cum voluntate concurrit, Adverbium illud *liberè* in sensu magis rigoroso discutiens, sic arguo: Libertas dupliciter usurpatur in scholis; uno modo pro immunitate a quavis exteriori violentia, quæ necessitatem inferat, & dicitur libertas a coactione: Altero, pro capacitate operandi, vel non operandi, vel se vertendi ad opposita; & libertas dicitur indifferentiæ. Prima a Scotistis existimatur perfectior, & *Essentialis* titulo insignitur, itaut in eorum opinione necessitas libertati in tali sensu sumptæ non opponatur; ac proinde apud Scotum libertas cum necessitate stare possit; unde inferunt ipsi [non tamen in sensu a Jansenio intento, sed a nobis supra exposito, & imposterum exponendo] Beatos liberè amare Deum, quamvis non amare non possint; & Spiritus Sanctus liberè procedit a Patre & a Filio, & si impossibile sit, quòd ab iisdem non procedat. Cui opinioni contrarius non est Angelicus, scribens liberè Deum amare se ipsum, etiamsi necessariò se amet (2): *Deus suâ voluntate liberè amat se ipsum, quamvis necessitate amet se ipsum*. Videatur de his Scotus in quodlib. texto apud Vivam, qui ita concludit [3]: *Voluntas Divina necessariò vult bonitatem suam, & tamen in volendo est libera*. Quod si hæc vera sunt, si ubi summa ad aliquid voluntatis propensio cum summa potestate concurrit, ibi perfecta libertas cum perfecta necessitate conspirat, libertas inquam, sed sinè indifferentia; necessitas sed sine coactione. Si ex consensu duorum Theologiæ luminum Angelici, & Scoti, Deus quamvis necessariò suum bonum velit, se amet, liberè tamen & se amat, & bonum suum diligit; quare a pari dicere non possumus & se liberè, ad intra communicare, & necessariò? Cur miserum illud Adverbium *liberè* tanto in hac Virgine confoditur rigore si tuto in Catholicis Auctoribus & legitur, & admittitur? Vidit alibi illa infinitam Patris ad intra suam Essentiam communicandam propensionem, quod ex dictis est necessitatem absque coactione fateri; contemplatur hic omnipotentiam ab omni exteriori immunem coactione, quod est libertatem absque indifferentia laudare. Quæ quidem Intelligentia ambas, quæ oppositæ viderentur, Divinas perfectiones, superiori lumine irradiante, concilians, non censura, sed admiratione digna est, ni fallor. Mirum etenim negare non auderem, quòd

Virgo

(1) *Loc. sup. cit.* (2) *Q. 10, de Potent. a. 2, ad 5.* (3) *In tertia Propos. Jansenii.*

Virgo Theologiæ nescia, hoc idem penetravit, quod Sapientissimus docuit Angelicus, necessitatem in Deo cum libertate conjungens; *Deus* (liceat mihi repetere) *Deus sua voluntate liberè amat se ipsum, quamvis necessitate amet se ipsum.*

ANIMADVERSIO VII.

De Intelligentiis, Quas de Filio & Spiritu Sancto habuit hac Virgo.

§. I. ANimadversionem, quæ de Divinis agens Personis, unica esse poterat, in duas dividere satius duxi, ne nimia prolixitas Lectoris fatigaret patientiam; de duobus ergo reliquis hic scribens Processionibus, jucundum mihi foret, ut in superioribus mei fuit moris, sublimes, quibus ipsa usa est, de iisdem sententias, quasi ecstaticæ elevationis testes, referre; sed quia de iisdem in Libro quinto Animadvers. septima plura transcripsi, Lectoris parcens tædio, ejusdem arbitrio relinquam illas ibi, si tamen libet, scrutari & ad duo solummodo, brevitati consulens, dubia, quæ opponi possent, eluenda transibo. Et circa Divini Verbi, quas scripsit, Intelligentias, alicui displiceret, quia obscurum, & Mysticum est nomen, quod Virgo hæc ipsum invocans eidem attribuit (1): *O nihilum æternum, quod nihil est de rebus creatis*. Non miror adjectivum hoc, quo usus est Divus Dionysius Areopagita, iis non arridere, qui fortè ejusdem opera, ut supposititia nituntur excludere. Quidquid autem de hoc sit, mei non est consilii disquirere; dicam solummodo censura dignum hoc non esse vocabulum, quod Dionysius Carthusianus (2), ut ad modum Divina cognoscendi negativum apprimè aptum, & laudat, & explicat. Elevat enim mentem nostram ad contemplandum in fidei obscuritate Deum esse nobis, ut ait Tertullianus, & maximè notum, & verè incognitum; eò quòd eorum, quæ creata sunt, vel creari possunt, eminenter omnia sit, positivè nihil. Ex quo Anima fidei alis supra se rapta, Deum suum similitudine adorat, & dissimilitudine; illâ, prout omnes continet, quas cernimus, perfectiones; hac, ab omnibus segregatum, nihilque esse eorum, quia omnibus superexcellens, quæ in hac vita intelligere possumus, mystica contemplamur caligine. Sed hæc, ut nimis sublimia, transeunda sunt, nec otiosè de nomine, quod apud omnes Mysticæ loquutionis peritos celebre est, movenda quæstio.

§. II. Ad aliam, quæ rationabilior apparet, difficultatem transeamus; & hæc est, quòd Maria Catharina loquens de generatione Verbi Divi-

(1) *Sup. par.* 1, c. 6, §. 1. (2) *In Myst. Theolog. Comment.*

Divini ita scribit (1): *Actus sui intellectus* [idest Patris] *ab Essentia Divina divisus non est, nec distinctus; distinctus autem, non divisus est a Persona Patris*. Et alibi clariùs [2]: *Pater uno actu in se indivisibili se ipsum intelligit, & sua Divina Attributa, & iste actus intelligendi est Verbum, notitia essentialis, efficax & substantialis*. Plura in his duabus Periodis hæsitationem fortasse pariunt. Primò, quòd Verbum dicitur notitia Patris, in quo tamen nulla est difficultas, si sumatur pro jam formato intelligendi conceptu; in quo sensu verè notitia Patris dicitur, ut benè distinguit Angelicus: *Cùm dicitur, quòd Verbum est notitia, non accipitur notitia pro actu intellectus cognoscentis, vel pro aliquo ejus habitu, sed pro eo quod Intellectus concipit cognoscendo*. Quamvis enim in Deo nulla sit actus, & potentiæ distinctio, nec in eo dici possit aliud esse in fieri, aliud in facto esse; nostra tamen ratio, nescio quid affingit in Deo simile nostræ intellectuali operationi, in qua actus cognoscendi a mentis Verbo, in cognoscente jam formato, quod intellectum reddit ultimo intelligentem, distinguitur; & hoc tandem vocat Patris notitiam. De hoc secundo loco dubium est, quòd notitiam istam hæc Virgo *essentialem* dicat, & *substantialem*, cùm statuant Theologi, & jubeat Divus Thomas notitiæ Personalis nomine insigniri debere (3): *Oportet quòd non Verbi, quod propriè in Divinis accipitur, sumatur non essentialiter, sed personaliter tantùm*. Qui de hoc hæsitaverit, non admisso in Scholis loquendi termino, indulgeat mihi quærenti, cur a Virguncula, spiritum sequente, non literam, Theologicas expectet proprietates? Notitiam ipsa *essentialem* dixit, quia considerans Personam Verbi, a Divina indistinctam Essentia, id unum zelabat, ne Verbi nomine aliquid usurparetur accidentale, & juxta imperfectum humanæ intelligentiæ modum, Intellectui accidentaliter superveniens. Quod illi adeò fixum cordi fuit, ut ferè semper, quando de Divinis loquitur. *Essentialitatis, substantialitatis* adjectiva congeminet; cavens nempe, ne aliquid concipiatur in Deo, quod accidens sit, & ab ineffabili realiter divisum substantia. En cur Verbum *notitiæ essentialis* vocabulo indigitet; in quo tamen errasse dici non potest, quando eruditissimus ille Doctor Suarez [4] Verbo Dei, ut melius a Verbo distinguatur nostræ mentis, quod accidentale est, Essentiale dici non renuat.

§. III. Tertia tandem, & notabilioris ponderis difficultas, quod suspicantur aliqui in supra allata Periodo, qua scribitur Æternum Patrem unico Actu, se, & sua intelligere Attributa, illumque Actum Verbum esse, videtur innui, Actum intelligendi cum Verbo jam concepto, idem esse; & sic Generationem activam, & passivam confundi. Huic oppositioni respondens, varias de tam difficili Mysterio Theologorum, quoad potero, opiniones evitabo, & faciliorem, pro tenuitatis meæ modulo, solutionem afferam. Animadvertendum est, quòd licet hæc duo verba *Actus*, & *Actio*, verè, & rigorosè diversum habeant sensum; secundum siquidem actualem agentis operationem significat, primum actionis jam transactæ terminum demonstrat; permiscuè tamen, & uti Synonima con-

(1) *Sup. par.* 1, *c.* 2, §. 1. (2) *Ib. c.* 9, §. 7. (3) 1, *q.* 34, *a.* 1.
(4) *Lib. de Myst. Trinit. c.* 2.

consueto loquendi more usurpantur; quod in Sacris etiam patet Scripturis. Quando enim dicit Apostolus (1), quòd in *Corpore nostro non omnia membra eumdem Actum habent;* quis non videt *Actus* nomine eorumdem præsentaneas Actiones significare? Ubi autem dicit Siracides, quòd (2) *Æternus Judex reddet hominibus secundùm Actus suos;* certum est Actus jam completos, & de quibus rationem reddituri sumus, innuere. Hac autem supposita hujus Verbi *Actus* duplici significatione, quid mirùm si hæc Virgo illud pariter, & pro Patris veluti agentis intellectione, quæ Generatio Activa est, & pro Verbo, quod intellectionis terminus est, pro Generatione nempe passiva æquivocè sumat? Ne tamen videamur defensionem in hac sola æquivocatione reponere, videamus, an communis sit apud Theologos in Generatione Verbi dictæ vocis *Actus* præallegata duplex acceptio. Confitentur omnes, licèt varias ingrediantur vias, Actum Divini Intellectus dupliciter sumi posse. Ut communicatur Filio, ac proindè in ipso manens; & ut Actus Patris intelligentis, & propterea a Patre emanans. Si ergo sumitur primo modo, Verbum est, & Generatio passiva, quæ Sapientia dicitur, Nativitas, Patrisque notitia, ut docet Angelicus (3). Si autem secundo; ly *Actus* innuit actionem Patris, Dictio vocatur, activaque Generatio. Ita censet Suarez (4), & cum cæteris Thomistis idem asserit P. Gonet, concludens quòd *Actus* intelligendi, acceptus ut in Patre intelligente, & modificatus Paternitatis relatione, Generationem signat activam; ut autem in Filio producto, modificatusque Filiationis relatione, Verbum Generationemque connotat passivam. Allucinaretur igitur (& audaciæ meæ parcat) qui vocis *Actus* duplicem non perpendens significationem, existimaret Mariam Catharinam, quia eodem utitur termino in Patre generante, & in Filio genito, utramque Generationem Activam confudisse, & Passivam; quibus doctissimus opponeret Suarez [5]: *In productione Verbi licèt Producens sit distinctum a Producto, forma tamen quæ in Verbo Producto est ratio repræsentandi eadem est, quæ in Producente est ratio producendi; nam est ipsum intelligere Patris communicatum Filio.*

§. IV. De Intelligentiis ab hac Virgine circa Paraclitum acceptis, breviùs loquar; tum quia de iisdem in Animadversione sequenti commodiùs erit differere; tum quia de Spiritu Sancto, qui Amor est, uberior laus expectatur, non a scribentis calamo, sed ab amantis corde, & ob id aptè Divus dixit Hilarius de illo (6) *Nec tacere oportet, nec multùm loqui.* Duabus tantummodò hæsitationibus, qua potero brevitate obviam ibo. In una ambigitur, quòd Virgo hæc sæpiùs in suis scriptis Paraclitum *Amorem dicit Essentialem*, non notionalem, contra communem Theologorum sensum, qui videntes Essentialitatem, eò quòd in omnibus una sit Essentia, Personas non distinguere, notionalitatis utuntur proprietate. Simili dubio in transacta Animadversione jam respondi, ostendens, vel nimis esse rigoris a Virguncula Theologicas velle dictiones,

(1) *Rom.* 12. (2) *Eccl.* 35, 24. (3) 1, *q.* 34, *a.* 1, *ad* 2. (4) *Apud Comment. ad I. Part. D. Th. lib.* 9, *c.* 2, *nu.* 12. (5) *Loco supra citato.* (6) *Lib.* 2, *de Trinit.*

nes, vel non laudabilis audaciæ præsumere Divinum lumen in suis illustrationibus teneri ad Animam de Scolasticis erudire formalitatibus. Loquitur ipsa in sensu reali; unde videns in omnibus Personis eamdem necessariò confitendam Essentiam, ne fortè relationes, quæ substantiales sunt, ineruditi, accidentales apprehendendo fallantur, tertiæ Personæ *Amoris Essentialis* nomen imponit. In hoc tamen error non est; eumdem etenim loquendi modum non improbat Divus Thomas, distinctione, quæ ad dubium hoc elucidandum mihi videtur opportuna, Spiritui Sancto (scribit ipse) competit verè nomen Amoris; sed hic Amor duobus modis perpendi debet. Vel enim sumitur pro habitudine, seu inclinatione Amantis ad Amatum; & sic Essentialis dicendus est; vel Amoris nomen accipimus, ut signat Personam a Patris, & Filii mutua dilectione originem trahentem, ut a suo principio; & in hoc sensu notionalis clariori exprimitur proprietate (1): *In quantum in Amore, vel dilectione, non importatur nisi habitudo Amantis ad rem amatam, amor, & diligere essentialiter dicuntur, sicut intelligentia, & intelligere; in quantum verò his vocibus utimur ad exprimendam habitudinem rei, quæ procedit per modum amoris a suo principio, & e converso, amor est nomen Personæ, & diligere, vel amare est verbum notionale*. Cur ergo de primo modo hoc dictum interpretari non possumus? maximè cùm Virgo hæc Paraclitum, ut inter duas Personas amoris nexum vocet, ut statim videbimus, & amoris incomprehensibilem habitudinem, qua illas, & se ipsum amat, celebrare contendat. Quidquid sit, mihi, qui de Theologica verborum proprietate in hisce scriptis disceptandi onus non sumpsi, sufficit demonstrare, quòd in fide error non sit; nec invenietur ab observantibus, quòd ipsa Amorem *Essentialem* scribendo, expressiorem alium notionalitatis terminum non excludat.

§. V. Secunda tandem difficultas, quæ in hac de Paraclito intelligentia opponitur, est Epithetum, quod videtur improprium, periculoque proximum, Spiritui Sancto adjunctum ab hac Virgine, ipsum dicentem (2): *Duarum Personarum imaginem*. Non credo Theologiam callenti tale suggeri posse ab hoc dicto argumentum, quale sciolis, primoque fidentibus obtutu posset obrepere; videlicet, si Spiritus Sanctus imago est, ergo & Filius erit, cùm ex proprietate Imaginis distinguatur Filius, ut omnes fatentur Doctores. Illationis hujus vim non solùm faterer me non cognoscere, sed nec ipse admitteret Angelicus. Docet enim ad Filii proprietatem non sufficere, quòd sit imago, sed insuper requiri, quòd Imago Patris sit secundùm naturam; cùm autem natura divina juxtà Divum Thomam sit intelligere actu, requiritur insuper ut Imago sit a Patris intellectu actualiter intelligente, habens originem (3): *Processio Verbi in Divinis habet rationem generationis, procedit enim per modum intelligibilis actionis, quæ est operatio Vitæ & secundùm rationem similitudinis, quia conceptio intellectus est similitudo rei intellectæ in eadem natura existens*. Ex his clarè patet, quàm inconsultò inferretur, quòd attribuere Paraclito nomen Imaginis idem sit, ac illum dicere Filium. Licèt enim Imago laxiori quodam vocaretur sensu,

L l non

(1) 1, q. 37, a. 1. (2) *Sup. par.* 1, c. 1, §. 1. (3) 1, q. 27, a. 2.

non tamen diceretur Filius, quia non ab Intellectus actione procederet, sed voluntatis. Improprium ergo hoc nomen Imaginis hic confitemur, non tamen hæreticum, ni audeamus hæresis insimulare Græcos Patres, & inter illos Basilium scribentem (1): *Imago Dei Christus est, Imago verò Filii Spiritus Sanctus*; Damascenum asserentem (2): *Spiritus Sanctus est Imago Filii*; Cirillum authumantem (3): *Deus verus Spiritus Sanctus est quoniam Filii Dei imago perfectissima est*. Discamus igitur istorum, cæterorumque ex Græcis Doctoribus dicta benigniori interpretatione venerari, qua utitur Angelicus, dum animadvertens Græcos Patres nomen hoc Imaginis passim Paraclito adscribere, non eos præcipitanter condemnat, sed charitativa explicat interpretatione, dicens, Spiritui Sancto, & quod Patri, & Filio similis sit, ut easdem habens perfectiones, eamdemque naturam, lato modo Imaginis convenire nomen, sumpta Imagine pro similitudine (4). *Damascenus, & alii Doctores Græci utuntur nomine Imaginis pro perfecta similitudine*. Eadem prorsus interpretatione hujus Virgunculæ precor, imaginis, improprium verè, sed non hæreticum, indulgeamus nomen. Quid enim si Paracliti cum cæteris Personis in substantia, in Attributis, identitatem ipsa contemplans, Imaginis inadvertenter nomen ad æqualitatem exprimendam assumpsit? Equivocationis tandem lapsus est, qui nimia proscriberetur severitate, si de aperto damnaretur errore, quòd nihil sapit, nisi ad summum nominis improprietatem, excusandam certè cum Divo Thoma; quòd videlicet, *Utatur nomine Imaginis pro perfecta similitudine*.

ANIMADVERSIO VIII.

De Intelligentiis ad totum simul Trinitatis Mysterium spectantibus.

§. I. DE Sanctissimæ Trinitatis Mysterio ecstaticas intelligentias a Deo Animabus sibi peculiari devotione addictis, Divina super fidem irradiante luce, indultas esse aliquoties a Deo, in transactis Animadversionibus, nonnulla adducentes exempla, jam demonstravimus. Quòd autem hoc non concedatur, nisi summum jam tangentibus perfectionis gradum, sitque ultimus Mysticæ Theologiæ apex, Sancta Theresia satis innuit, dum in hac intellectuali superexcellentis Triadis Visione septimam describit Mansionem, ultimum nempè Unionis vinculum, quo in hac vita sibi nos Divinus Amor devincit: *Posita* (ipsa dicit (5), *posita in hac septima Mansione modo quodam Divinæ Trinitatis repræsentationis, ostenduntur sibi tres Divinæ Personæ*,

(1) Lib. 5, *contra Eunom. c. 6.* (2) Lib. 1, *Orthodoxæ Fidei*, c. 18.
(3) Lib. 13, *Thes. c. 1.* (4) 1, q. 3, a. 2, ad 1.
(5) *In Castr. Inter. Mans.* 7, c. 1.

sona, praecedente in ejus Spiritu inflammatione quadam ad modum cujusdam clarissimae nubis, itaut quod fide confitemur, ibi Anima intuitu quasi percipiat. Similem sibi in Raptu a Deo impertitam irradiationem Sanctae Catharinae a Bononia impertivit Deus, ut in ejus habemus Historia; etsi non parem, paulò certè minorem a Divina Misericordia saepiùs in ecstasi expertam esse Mariam Catharinam, ejus replicatae testantur relationes, quas suis Directoribus Obedientiâ compellente transmisit, & quarum fragmenta non pauca in his commentariis, prout de tam sublimi Mysterio loqui opus erat, transcripsi. Remanet nunc, ut unitim de tam elevatis disputem Intelligentiis, idest de Divinis Processionibus, aliisque veritatibus, quae fidei nostrae revelare dignatus est Deus; & Spiritui hujus Virginis ecstaticè aperire, atque abstractivè, probabile nimis est quòd Divina dedignata non sit Charitas. Et quia duplex est finis, quo adductus haec scribo, unus, Dei gloria, pauperculae Virgini communicantis tam sublimia Mysteria; alter, necessitas quaedam declarandi subobscura, quae (licèt aliàs condonabilia naturali Mulierculae incapacitati, impotentis utique exprimere exterius calamo, quod intus sentiebat in Spiritu) legentibus tamen dubia aliqua ingerere possent, quibus praepediti eo, quem ex hisce fructum alioquin expectarent, dubietate forsitan frustrarentur impediente. Idcircò Animadversionem hanc in duas dividam partes, proferendo prius aliqua, quae de hoc mysterio ipsa scripsit sublimia, & notatu digna; explicans postmodum, quae ut aequivoca nonnullis, intimum eorum sensum non profundè rimantibus parere possent suspicionem. In utraque igitur hujus Animadversionis parte Divinum invoco lumen, quo coecitas mea, quae dicturus sum, valeat distinguere; & insuper lectoris charitatem imploro, qua aliqua a María Catharina oscitanter forsitan, minusque propriè exarata, subitâ non confodiat censurâ, admonitionis, quam alibi retuli, memor Areopagitae; *Alienum esse a ratione, non vim instituti attendere, sed verba*. Realem ipsa sensum eorum, quae in Raptu vidit, non formalem, & Metaphysicum, quem nesciebat, nisa est verbis exprimere; & ob id interiorem mentis conceptum in ejus scriptis venari debemus, non fortuita cavillari verba; ille spectato relationum apparebit contextu; haec internum ejus Spiritum involuntaria prodere possent aequivocatione. Hac lege videat lector, quae de Augustissima Trinitate hujus Virginis dicta, in Lib. V, Animadvers. X, §. III; atque in prima hujus VI Libri Parte jam retuli, quibus hic nonnulla addam, quae brevitatis gratia in citato tacui Paragrapho; & sic in illis, sicuti in istis, conabor exponere dignitatem sententiarum, ubi clarae sunt; vel ubi obscurae videntur, explicare, ac veritati Catholicae consona evincere. Atque hic, ut loquendi modum, quo ipsa Divinas Processiones, de quibus in sequentibus loquitur, ab omni surgemus dubietate, non crediderim doctis scrupulum fore, ut gignat, quòd in iisdem explicandis universaliori haec Virgo utatur verbo *Producere*, & *Produci*. Si quis enim de hoc rigorosè nimis haesitaret, meminerit talem loquendi terminum in duarum Personarum Processione a pluribus adhiberi Theologis. Suarez (1) enim

(1) *In P. P. D. Thomae, lib. 9, c. 4; & lib. 11, c. 2.*

Generationem Verbi *Productionis* exprimit nomine. Simili utitur loquendi modo Cajetanus, ut in Commentariis ejusdem ad Opera D. Thomæ [1] videri potest. Scotus, quærens utrum Productio Spiritus Sancti sit Generatio, ita scribit (2): *Ad quæstionem respondeo, quòd Productiones se ipsis formaliter distinguuntur. Generatio enim formaliter est Generatio; & Spiratio se ipsa formaliter Spiratio*. Ubi patet Doctorem hunc tam in Generatione Filii, quàm in Spiratione Spiritus Sancti non abhorrere a communi *Productionis* nomine; Angelicus autem eodem non renuit ubi termino; cùm enim assignasset in Divinis diversos Originis modos, hisce concludit verbis (3): *Et secundùm istos modos Originis producuntur plures Personæ, relatione Originis distinctæ*. Quibus stantibus scrupulosè notandum non est hoc verbum *Producere*, quo utitur sæpiùs hæc Virgo; cur enim illi non concedatur quod talibus nemo opponere auderet Theologis? Sed hac relicta scrupulositate, ad magis profunda transeamus.

§. II. Primam, quæ in relationibus hujus Virginis circa Divinas Processiones legitur, intelligentiam, in quodam didicit Dialogo, colloquente Verbo Divino interiùs cum Anima in Raptu elevata, in quo varias accepit illustrationes. In hoc igitur Maria Catharina ipsum invocans Patris Unigenitum, non sine peculiaris irradiationis gratiâ sic fatur (4): *O Deus, totius beatitudinis Thesaurus, qui te ipsum comprehendis, immensumque tuum esse inaccessibili tui Intellectus cognitione; remanens ob id integrè, & incomprehensibiliter contentus, immensa consubstantialique Beatitudine; & hæc cognitio infinitum producit Actum Amoris, quo firmiter te ipsum, & incessanter amas, absque eò quod Amorem ab ullo trahas, quia es omnis Amoris Origo*. In hac periodo latenter, & compendiosè Divinas adorat Processiones, cùm laudet Deum se intelligentem, seipsum amantem, duo principia, ex quibus Verbi Generatio, & Spiritus Sancti productio resultat. Difficultatem hìc, in qua meritò immorer, non reperio; observo potiùs loquendi profunditatem, de qua jure miror, stupens Mulierculam cognovisse Deum sui comprehensione, suique Amore beatum, quam veritatem alibi clariori exprimit stylo, dum descriptis, quas ecstaticè contemplaverat, Divinis Processionibus, hæc addit [5]: *Ab his duobus Actibus productivis Intellectus, & Voluntatis Patris, infinitè remanet satiata simul & satisfacta ejusdem naturalis inclinatio immensâ substantialique beatificatione*. Liceat mihi has duas periodos quadam quasi paraphrasi prolixiùs perpendere, & Angelici illustrare doctrinâ. Quærens ipse an Deo competat Beatitudo, affirmativè respondet; quia cùm Beatitudo sit cujuscumque rationalis creaturæ perfectio, negari non potest esse eminenter in Deo, in quo, & a quo perfectiones omnes reperiuntur, & derivant. Hanc attamen Beatitudinem non sumit ille a simplici Divinæ Essentiæ consideratione, sed a Divini Intellectus inspectione, itaut, quamvis in se ista duo unum sint, formaliter tamen nos laudamus Deum infinitè Beatum, quia infinitè comprehendit seipsum (6): *Attribuenda est Deo Beatitudo secundùm Intellectum*,

(1) *P.* 1, *q.* 34, *a.* 3. (2) *In Primo Sentent. dist.* 10, *q.* 1.
(3) *In Primo Sent. dist.* 13, *q.* 1, *a.* 2. (4) *Super Part.* 1, *c.* 3, §. 2.
(5) *Ib. c.* 3, §. 1. (6) 1, *q.* 26, *a.* 2.

lectum, sicut alii Beati, qui per assimilationem ad Beatitudinem ejus Beati dicuntur. Cujus rei rationem afferens Sanctus Doctor, variis in Summa quæstionibus, quas eruditum lectorem legisse non dubito, nos profundè docet, quòd sicut hominis naturalis beatitudo, ut asserit Philosophus, in contemplatione, & peculiariter primæ causæ consistit, ita & multò magis supernaturalis, & initiata viatorum felicitas est de Deo per abstractivam Visionem contemplatio; perfecta verò Comprehensorum beatitudo Deum intuitivè contemplari; sequitur quòd in Deo, qui beatitudinum omnium fons est, ineffabilis ejus beatitudo Divino adscribatur Intellectui, quo per nostrum intelligendi modum perfectissimè contemplatur, imò comprehendit seipsum. Verum tamen est quod, quia beatitudo ex mente Divi Thomæ formaliter in Intellectu Deum vidente fundatur, beatitudinis autem fruitio in gaudio Voluntatis Deum possidentis pariter & amantis, terminatur, pari nostræ mentis ratiocinio asserere cogimur, quòd, etsi Intellectus & Voluntas unum sint cum Divina Essentia, in illo nihilominùs beatitudo, in hac beatitudinis Divinæ ineffabilis sit contemplanda fruitio. De his omnibus hanc Virginem infusa luce edoctam non ambigo, dum in allata Periodo scribit Divinum Intellectum sui comprehensione plenum esse, atque beatum. Alibi innuit Deum sui ipsius Amore, sua beatitudine frui, referens Æternum Patrem in Spiritu secum loquentem dixisse (1): *In me Origo est perfectionum omnium, quas in mea Essentia, Divinaque intueor natura; & propter ipsas ardenti me ipsum amo Voluntate*. Patet igitur ipsam, Deo illuminante, cognovisse in Intellectu & Voluntate Dei, se ipsum comprehendentis, & amantis, Divinam adorandam esse beatitudinem; quod equidem videre non poterat sine Intellectûs infuso Dono inops, & literarum ignara Virgo. Fatentur etenim omnes fideles Deum esse beatum; sed in quo peculiariter ejusdem laudare, & demirari possimus beatitudinem, vel non attendunt, vel nesciunt, nisi in Theologia, aut contemplatione versati. Utinam in hoc lumine, quod a Fide interiùs perpensa emanare potest, sæpiùs meditando, de Dei taliter cogitata gauderemus beatitudine; ejus etenim secum fruendi accenderemur desiderio; & insuper Amore ad tantum bonum elevata mente Spirituali, qua Spiritus internum ad multa toleranda vigorem concipit, perfunderemur lætitia.

§. III. De terminis divinarum Processionum, hucusque loquuti sumus, de ipsismet Processionibus nunc differendum est, afferendo ea, de quibus a Deo sublimes hæc Virgo accipit intelligentias, quarum in libro quinto, Animadvers. 10, §. 3, 4. plurima retulimus fragmenta; hic autem aliqua, in citatis locis ne nimium Paragraphi crescerent relicta, edisserere placet; ut scilicet in exclamationibus, quas de Spiritus motu ab ecstaticis illustrationibus percito, ipsa effudit, vel alta, quæ cognovit, charitate admirante probemus; vel difficiliora, inspecta intimè veritate dilucidentur. Mente igitur rapta ad admirandum mediis intelligibilibus speciebus in Ecstasi sibi infusis, Trinitatis Mysterium, hæc, quæ cum Æterno Patre quasi colloquendo, concepit longiuscula exclamatione, obedien-

(1) *Super Par. 1, c. 3, §. 2.*

dientiâ compellente, describit; & ego hic aliquibus notis declarare gestio (1): *O immense incomprehensibilis Pater, ingenite, nec procedens, sed ab aeterno & consubstantialiter dependens a se ipso*. De exprimentibus Personam Patris hic profunda proprietate, satis alibi diximus; perpendamus cætera, quæ addit: *Inexplicabiliter gaudeo, quòd tua increata, & illimitata scientia vivacissima, infinitaque dotata intelligentia, causa sit Divino tuo intellectui ac actualis expressionis, realisque cognitionis, quâ intimè vides, & intelligis te ipsum, & omnia in te ipso*. Quòd in ista periodo Generationem describat Verbi per intellectum geniti, ex sequentibus satis constat. Notetur igitur Mysteriosa verborum proprietas, qua scribit se ipsum omnia Patrem intelligere intimè in se ipso, & per se ipsum: intellectio siquidem Patris a se ipso non exit, nec sicuti nostra, quæ scit, in aliquo medio cognoscit; & insuper vidisse his verbis demonstrat Verbi generationem procedere ex cognitione non solùm Divinæ Essentiæ, sed etiam Personarum, imò & omnium etiam possibilium; *Pater*, docet D. Thomas [2], *Intelligendo se, & Filium, & Spiritum Sanctum, & omnia alia, quæ in ejus scientia continentur, concipit Verbum; & sic tota Trinitas Verbo dicitur, & etiam omnis Creatura*. Nec scrupulum nobis pariat, quòd ipsa dicit Patris scientiam causam esse ejusdem intelligentiæ; Loquitur enim imperfecto cognoscendi modo, quo nos ratiocinante intellectu concipimus scientiam esse quadam naturæ prioritate in Patre, ut in origine, prius quàm originato participetur Filio; qui sensus Angelico non displicet scribenti, ut in nuper allata vidimus sententia: *Patrem concipere Filium intelligendo omnia quæ in ejus scientia continentur*. Et multò minus nos moveat, quòd scientiam Patris dicat Intelligentiæ in Filio *Causam*, quando debuerat dici Principium, improprietas enim aliqua, non nego, ditionis hæc est; non attamen error in fide. Cujus rei testem adhibeo Divum Thomam, observantem Græcos Patres, licèt Catholicos, tali usos esse loquendi forma (3): *Græci utuntur in Divinis indifferenter nomine causæ, & nomine Principii*. Prosequitur hæc Virgo: *Tuus Divinus Filius purissimo, & simplicissimo intuitu videns se ipsum in te, sicut & Spiritus Sanctus ignis inextinguibilis, & immensi amoris, se intuendo in te, & in Unigenito tuo, ex contemplatione Divinæ Essentiæ, & ex tuo intellectu, remanent ambæ istæ Divinæ Personæ immensâ, beatæ, & fælices, beatificatione*. Deum sui ipsius intellectione, & Amore beatum esse in præcedenti jam dictum est paragrapho. Examinanda nunc cætera sunt, quæ fœmineo captu promit altiora, quòd nempe Filius in Patre, Spiritus Sanctus in Patre & Filio se videant. De fide est has duas Personas simul cum Patre omnia quæ ipse videt, actualiter, & perfectissimè videre, quia ut notat Angelicus (4): *Eodem modo competit Verbo esse intelligentem, quo convenit ei esse Deum; cùm intelligere essentialiter dicatur in Divinis*. In omnibus igitur Divinis Personis unum & idem est intelligere, hac tamen differentia, quòd mentis conceptus, seu Verbum generatur solummodo a Patre, per quem, & in quo cæteræ intelligunt Personæ. Cùm enim consummata sit in infinita

(1) *Sup. Par.* 1, c. 4, §. 3. (2) 1, q. 39, a. 1, ad 3.
(3) 1, q. 33, a. 1. (4) 1, q. 34, a. 2, ad 4.

finita verbi conceptione Divinæ mentis fœcunditas, in communicatione Essentiæ non communicatur aliis Personis relatio Generantis; ob id habent ipsæ quidem eumdem cum Patre intellectum, & voluntatem, sed nec generat Filius, nec Spiritus Sanctus spirat; nec enim Essentia, intellectus, & voluntas generant, aut spirant, nisi modificatæ per relationes activas, quæ sunt incommunicabiles, ut Pater Gonet optimè arguit [1]; unde sequitur, quòd duæ Personæ intelligant quidem, sed in conceptu Patris, absque alterius Verbi productione (2): *Et quidem*, ait Angelicus, *non ut producens Verbum, sed ut Verbum procedens prout scilicet in Divinis Verbum procedens non differt secundùm rem ab intellectu Divino, sed relatione sola*. Notetur hic quàm profundè quamvis compendiosè, incomprehensibile hoc mysterium tangat hæc Virgo. Scribit enim Verbum, & Spiritum Sanctum se ipsos, & omnia intelligere, sed in Patre. Per quæ verba innuit se in Spiritu cognovisse communicationem Divini Intellectus, quem simul cum Divina essentia in Generatione & spiratione passiva, recipiunt, unde resultat in iisdem activitas intelligendi eadem, quæ intelligit Pater; sed simul incommunicabilitatem Generationis activæ, qua intelligendo alium non formant conceptum, intelligentes in Patre, idest in conceptu Patris, a quo Processiones emanant; dicit Divus Thomas (3): *Processiones intelliguntur secundùm emanationem intelligibilem*; & Verbi generatio, emanatio est Divini Intellectus, addit idem (4): *Verbum significat quamdam emanationem Divini Intellectus*. Observemus ulterius cætera, quæ in hac sui Raptus relatione ipsa refert [5]: *Jam dicta Essentia Spiritus est existens tui, o Sanctissima Trias, sicuti natura Solis, subsistentia est caloris, & lucis, ea in eorum esse conservans*. Quid illa intendat exprimere, dicens *Essentiam Spiritum esse Trinitatis existentem*, in sequenti examinabimus paragrapho. Videamus nunc an sit conveniens, quam affert, Solis similitudo, quam ipsa alibi, & clarius allegat, uti in Lib. quinto, Animadvers. 10, §. 3. transcripsimus; ubi scribit: Quòd sicut lux distincta est a Sole, sed non divisa, sic Filius est distinctus, sed non divisus a Persona Patris; & veluti a Sole, & Luce producitur calor, ab ipsis distinctus quidem, sed non divisus; ita a Patre, & Filio Paraclitus procedit, qui est amor. Meminerimus, sicut alibi dixi, similitudines esse non posse perfectas, & maximè in Trinitatis ineffabili Mysterio, sed semper a veritate deficere; qua adhibita cautela, notemus hanc Solis similitudinem aptam judicari ab Areopagita, & Angelico, ad aliqualem demonstrandam Divinarum rerum umbram; unde primus ait [7] quòd Sol est *Imago Bonitatis Divinæ*; secundus [6], *quod est Divinæ bonitatis expressa similitudo*. Non inficior tamen hanc claudicare nimis similitudinem; nam lucis & caloris non est eadem quæ Solis substantia, quod de Trinitate firmiter credimus; sed satis est Virgunculam nobiliorem ex iis, quæ videmus, ad se exprimendum afferre, eamque, uti ejus patiebatur capa-

(1) *In Man. Thomist. Tr.* 6, §. 2. (2) 1, *q.* 34, *a.* 2, *ad* 4. (3) 1, *q.* 27, *a.* 1. (4) 1, *q.* 34, *a.* 1. (5) *Sup. par.* 1, *c.* §. 3.
(6) 1, *De Div. nom. c.* 4, §. 3. (7) *In Dionis. de Div. Nom. c.* 15, §. *igitur*.

capacitas, edissere. Jam dictæ relationis examini finem imponens, duo, quæ, ni fallor, notatu videntur digna, præterire non possum. Unum quòd de Divina loquens Essentia, sic addit (1): *Incircumscripta tu es, non habens locum, sed realiter, & unicè habitans in temetipsa*. Quibus consonat Divus Thomas docens (2): *Dicitur Deus esse in se ipso, quia a nullo exteriori continetur*. Aliud, quo relationem supra allatam terminat his verbis, quibus inesse unius Personæ in alia, quæ virtute ejusdem essentiæ a se invicem distare non possunt, se cognovisse testatur, scribens (3): *Vos Divinæ Personæ esse non habetis unius ab alia distinctum, continetis enim idem Esse & indivisam substantiam. Estis realiter distinctæ sed non divisæ: stare non potestis una absque alia, quia in vestra Essentia, quod est una, est alia*. Observet quæso Lector hanc totam intelligentiam a me loco citato transcriptam, & judicet an proprio lumine percipere posset muliercula, quòd Angelico suo Intellectu Divus vidit Thomas; & si quæ illa scribit correspondeant iis, quæ tantus Doctor nos docet [4]: *Essentia in Divinis est idem quòd Persona. Relatio ad essentiam comparata non differt re, sed ratione tantùm; comparata autem ad oppositam relationem habet virtute oppositionis realem distinctionem*.

§. IV. Multa alia in scriptis Maria Catharina veluti superna infusa luce laudare possemus; sed quia in Mysticis, quæ ipsa profert, longius immorari nimium daret scribenti laboris, legenti forsitan tædii, altiora scrutari, quæ ut in citata Animadversione decima jam retuli, aliorum non dicam curiositati, sed pietati relinquam; vertens me ad perpendendas difficultates aliquas quæ in iis de Trinitate intelligentiis se mihi ipsi obtulere. Alicui fortè displiceret, quòd hæc Virgo, loquens de Divinis Processionibus, hæc addat [5]: *Verbum Divinum Vita est, essentialis Patris; & Spiritus Sanctus Vita est Patris, & Filii; quia si amare se cessarent, etiam desinerent esse*. Dictum hoc eò magis notandum, quò liberius in aliis relationibus ipsa subdit [6]: *Divina Essentia Spiritus est existens Sanctissimæ Triadis*; & alibi Divinam Essentiam vocat [7]: *Divinarum operationum vitam ad intra, & ad extra*. Nomen hoc vitæ attributum vicissim Divinæ Essentiæ, Divinisque Personis videretur forsitan ita novum, ut suspicionem possit ingerere. De hoc tamen Magistrum meum consulamus Angelicum. Docet ipse, quòd Deo competit vita & perfectissima vita, qualis est actu intelligere (8): *Illud cujus natura est suum intelligere hoc est quod obtinet summum gradum vitæ*. Et hoc intelligere est suum esse, cùm aliud vivendi principium habere non possit (9): *Sicut Deus est suum esse, & suum intelligere, ita est suum vivere; & propter hoc sic vivit, quòd non habet vivendi principium*. Imo omne id, quod intellectu comprehendit sua vita est, & suum vivere [10]: *Vivere in Deo, est suum intelligere, unde quidquid est in Deo, ut intellectum, est ipsum vivere, vel vita ejus*. Addamus quòd si in Deo intelligere est ejus vita, sua vita erit pariter suum velle

[1] *Sup. par.* 1, *c.* 1, §. 1. [2] 1, *q.* 14, *a.* 3, *ad* 1. [3] *Sup. par.* 1, *c.* 4, §. 3. [4] 1, *q.* 34, *a.* 1. [5] *Sup. par.* 1, *c.* 4, §. 5. [6] *ib. c.* 4, §. 3. [7] *Supra par.* 1, *c.* 1, §. 1. [8] 1, *q.* 18, *a.* 3. [9] *Ibidem ad* 2. [10] 1, *q.* 18, *a* 4.

velle; cùm velle in Deo realiter non distinguatur ab esse; *Sicut*, (scribit Divus Thomas) *Intelligere est suum esse, ita suum velle*; si ergò in Deo intelligere, velle, & esse idem omninò sunt, sunt etiam suum vivere. Quid igitur erravit ista, quæ asseruit, *Essentiam Dei Spiritum esse*, & vitam. Sed quia ipsa addit, *Filium vitam esse Patris*, Paraclitum verò *Vitam Patris, & Filii*, quod ratione Processionis videretur e contra opinandum, videamus quam hujus periodi interpretationem nobis suggerat Divus Thomas. Tripliciter sumi potest hoc nomen *Vita*. Primò prout significat actum se movendi, agendique ea, quæ naturaliter competunt radicali facultate (1): *Primo modo ponitur ad significandam substantiam, cui convenit, secundùm suam naturam movere se ipsam, vel agere se quocumque modo ad operationem*. Secundò, usurpatur pro quacumque operatione a vitali substantia emanante; quo sensu, ut actiones alicujus, seu mores innuamus, ejusdem vitam figuratè ponimus; ut cùm dicit Psalmista, *Deus vitam meam annuntiavi tibi*, actuum suorum confessionem descripsit; & nos hominem bonorum, vel malorum morum *bonæ vel malæ vitæ* vocabulo insignimus. *Quandoque* (subdit Angelicus) *Vita sumitur propriè pro operationibus vitæ, a quibus nomen vitæ assumitur, sicut dixit Philosophus, quòd vivere principaliter est velle, & intelligere*. Tertio tandem accipitur vita, quasi metaphoricè, & quadam similitudine pro actionibus illis, in quibus ob innatam, vel elicitam inclinationem, magis delectamur; unde dicendi mos est, *ille vitam splendidam ducit*, vel contemplari, studere, *mea vita est; Dicitur vita* (concludit Angelicus) *quasi per quamdam similitudinem illa operatio, quæ est homini delectabilis, & a qua inclinatur* (2). In omnibus ergo hisce tribus acceptionibus dicta Mariæ Catharinæ justificantur, ni fallor. In prima, quis hæsitabit Dei vitam dici Divinam essentiam, a qua omnes pendent Divinæ operationes ad extra; atque ad intrà, intelligendi, & amandi (qui veluti actus vitales sunt Dei, ut jam statuimus) radix est, seu Principium, quo Deus se ipsum intelligit, & amat? In secunda, quis negabit actus jam completos, seu Divinæ intellectionis, & amoris terminos, qui sunt Filius, & Spiritus Sanctus, vitam Patris, & Filii, idest in generatione, & spiratione activis, Patris, & Verbi vitales veluti operationes, sine quibus, ut hæc intelligit Virgo, nec Deus esset realiter, nec Vitam? Si tandem in tertia, quis non confitetur intelligendi veluti actionem, quæ generatio est activa, & amandi, quæ est activa spiratio, adeo esse secundùm infinitam Divinitatis propensionem, ut per illas, quod supra probavimus, intelligatur incomprehensibiliter beatus, ac proinde in hoc sensu vitæ nomen ambobus ascribi posse, ut terminis actionum, quibus unicè in se ipso delectatur Deus? Ecce quomodo verificatis iis, quæ in hac Periodo apparebant dubia, transire potest in Mysterium suspicio. Mysterium inquam, quo certè non naturali lumine intellexit hæc Virgo omnia, quæ sunt in Deo, Dei vitam esse, ut ait Evangelista: *Quod factum est in ipso vita erat*, unde ejusdem dicta non reprehenderet, sed laudaret Divus Augustinus, qui ait (3): *Vita*

 est

(1) *Loco supra citato* (2) *Ibidem*. (3) *Contra Maxim. lib. 3, cap. 14.*

est ipse Pater, Vita est ipse Filius, sed ille de nullo Vita, iste de Vita: sed talis qualis illa, tanta quanta illa.

§. V. In alia de Divinis Personis intelligentia, quam loco citato transcripsimus, observo, quòd illa, ut exemplificet in tribus Personis relationum realem distinctionem, Essentiæ verò Unitatem, de Potentiis Animæ usurpat similitudinem, scribens (1): *Sicut Potentiæ Animæ contradistinguuntur realiter inter se, idest una Potentia non est altera, & tamen realiter non distinguuntur ab Anima, sic, &c.* Quòd hæc similitudo perfecta non sit libentissimè fateor; dico tamen ex hiis, quæ nos in hac vita cognoscimus, ad aliquid de Trinitate, quo Fides nostra exerceatur, cognoscendum, aptam magis esse, & clariorem; atque ideò a ferè omnibus Theologis passim adhibitam legimus. Richardus a Sancto Victore (2) nos docet, haurire gestientibus aliquam umbratilem Trinitatis cognitionem, ad contemplationem Animæ recurrendum rationalis. Divus Bernardus quodam quasi Spiritus estro, scripsit (3): *Beata illa, & sempiterna Trinitas creavit quamdam Trinitatem ad imaginem, & similitudinem suam, Animam videlicet rationalem.* Audiatur Mellifluus sic scribens (4): *Sicut in Deo tres sunt Personæ, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, sic & Anima tres habet vires, Intellectum, Memoriam, & Voluntatem. Sicut Deus est Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus, non tamen tres Dii, sed unus est Deus, & tres Personæ; ita Anima est Intellectus, Anima Memoria, Anima Voluntas, non tamen tres Animæ, sed una Anima, & tres Vires.* Videantur circa hoc, quæ diximus supra Animadvers. V, §. III.

§. VI. In hac eadem relatione de Divinarum Personarum intelligentiâ quædam legitur fortè dubia Periodus, quam silentio transeundam non reor; & hæc est (5): *Tres Divinæ Personæ unitæ sunt personaliter arctissimo Amicitiæ, amabilisque societatis vinculo, cùm se vicissim ament mutuo, ac vivifico Amore,* cui addendum est, quod de hac re alibi scripsit: *Tres Divinæ Personæ se vicissim infinitè, & incessanter amant unico, simplicissimo, & expresso intra se ipsas Voluntatis Actu.* Ut has elucidemus Periodos, tria mihi ad examen revocanda videntur. Primò, an propriè dicatur tres Divinas Personas se vicissim diligere. Secundò, An ipsis ritè conveniat hoc nomen inter se Societatis, & Amicitiæ. Tertiò, an sit Spiritus Sanctus inter ipsas nexus Amoris, quod ex dictis hujus Virginis facilè eruitur. Circa igitur primum dubium, nihil difficultatis invenio, dummodò caveamus, quòd inter tres Amantes unus est Amor, sicut unus est Intellectus, una Voluntas; quæ omnia indistinctè cum Divina Essentia aliis a se procedentibus communicantur a Patre. De fide enim est Patrem, & Filium amando spirare Paraclitum; negare autem, quòd hic etiam Patrem, & Filium vicissim diligat, non quidem spirando, sed amando, ut blasphemiam horrerem. Undè confitendum est Divinas Personas se mutuâ atque infinitâ Charitate diligere. Quoad secundum dubium; an nempè inter ipsas concipi pos-

(1) *Sup. Par. 1, cap. 1, §. 1.* (2) *Benjam. Major. cap. 20.*
(3) *Ser. 1, in Parvis.* (4) *De Inter. Domo, cap. 20.*
(5) *Sup. Par. 1, cap. 1, §. 1.*

possit perfectissima Amicitia simul, & societas, ratione patet, & auctoritate. Ratione quia cùm Amicitia fundetur in æqualitate naturæ, & genii similitudine, perfectior dari non potest, quàm inter Divinas Personas, quæ unam eamdemque habent Naturam, indistinctisque fruuntur Intellectu, & Voluntate. Neque obstat, quòd Amicitia erga se ipsum non detur. Deus enim realiter est Unus, sed et realiter Trinus; ac proindè inter Personas relatione distinctas subsistit verus, atque realis Amicitiæ conceptus. Quoad Societatem verò, quam hæc Virgo in allegata exprimit Periodo, notandum est, quòd, cum sociabilitatis desiderium naturalis cujusdam quasi beatitudinis, omnibus hominibus inspiraverit Deus, improbabile est hoc velle carere perfectæ felicitatis gaudio. Rationes has firmat Divi Thomæ Doctrina, qui errores confutans Sabellii, nomen solitarii non admittit in Deo; quia per hoc excluderetur trium Personarum Societas (1): *Vitandum est nomen Solitarii ne tollatur consortium trium Personarum*. Imo ibidem vetat adscribi Deo *Solius* adjectivum, si categoretmaticè sumatur: *Quia poneret solitudinem circa terminum cui adderetur; & sic sequeretur Deum esse Solitarium*. Tertia pariter difficultas, an videlicet dicendus sit Paraclitus Amicitiæ & Societatis inter Divinas Personas ineffabilis nexus, Auctoritate Angelici facillimè solvitur. Docet etenim Æternum Patrem, sicut se, & omnia videt in Verbo, sic se ipsum & nos diligere Spiritu Sancto, qui procedit ut Amor Bonitatis Divinæ (2): *Sicut Pater dicit se, & omnem creaturam Verbo, quod genuit, in quantùm Verbum genitum sufficienter repræsentat omnem creaturam; ita diligit se, & omnem creaturam Spiritu Sancto, in quantùm Spiritus Sanctus procedit ut Amor Bonitatis primæ secundùm quam Pater amat se, & omnem creaturam*. Quod etiam notionaliter verificatur, in quantùm Paraclitus procedit a Patre & Filio, ut ibidem Sanctus Doctor advertit. A quibus infert ipse, quòd Paraclitus, ut Amor est, amicabile vinculum inter Patrem & Filium vocari potest (3): *Spiritus Sanctus dicitur esse nexus Patris & Filii, in quantùm est Amor; quia cùm Pater unica dilectione amet se & Filium, e converso importatur in Spiritu Sancto, prout est Amor, habitudo Patris ad Filium, & e converso ut Amantis ad Amatum, secundùm hanc habitudinem est medius nexus duorum ab utroque procedens*.

§. VII. Huic Animadversioni numquam finem imponerem, si vel omnia sublimia, quæ de Divina Trinitate ipsa dixit, laudare vellem, vel omnes perplexitates, quas in scrupulosa aliquorum mente generare posset Virgunculæ condonabilis in scribendo obscuritas, interpretari. Primum esset otiosum, non enim tam obscurè sunt Mariæ Catharinæ Virtutes, ut fama sit ei ex scriptis emendicanda. Secundum superfluum, ex hucusque enim dictis satis apparet, quàm facilè possit Charitas quæ ipsa scripsit benigniori compati interpretatione. Hic igitur super ea, quæ de Trinitate scripsit explicationem sistere; tædio ipso mihi suadente, decreveram. Verùm ne opus, quod suscepi, imperfectum remaneat, cætera, quæ ambigua censerentur brevissimè percurramus. Au-

(1) 1, *q.* 31, *a.* 2. (2) 1, *q.* 37, *a.* 2, *ad* 3. (3) 1, *quæst.* 37, *a.* 1, *ad* 3.

dax aliquibus videretur dictum, quo ipsa negans in Patre omne principium Originis, ait (1): Quòd *Divina Essentia non operatur, sed facultatem dat, omnipotentemque Virtutem Intellectui, & Voluntati Patris, ut juxtà suam naturalem operetur inclinationem*. Otiosa ergone dicet aliquis erit Essentia? Non quidem, respondeo; in actionibus enim ad extrà omnia immediatè agit, ad intrà autem, de quibus hæc Virgo loquitur, nec generat ipsa immediatè, nec spirat, sed mediantibus relationibus Activis, a quibus, ut asserunt Theologi, modificatur celebri distinctione Principii *Quod*, & in *Quo*; quam distinctionem scire non tenebatur pauper Virguncula; sed satis erat in Divino lumine cognovisse, quòd Essentia medio Patris Intellectu ad Generationem Filii, amborumque Voluntate ad Spirationem Spiritus Sancti, concurrat, ad hoc ut bene a Deo illustrata, nec otiosam crederet Essentiam; nec in eorum laberetur errorem, qui novas addidere relationes, contra Concilium Florentinum de Verbi Generatione concludentem (2): *Quoniam Divina Substantia nomen abstractum est, idcircò Generatio ei non potest tribui*. Transeamus compendiosè ad alia. Scribit ipsa quod elevata ad contemplandum abstractivè Divinas Personas, concipere non potuit (3) *inter ipsas Prioritatem Originis*. Suspicaretur hìc fortè aliquis ex his verbis ab ipsa negari Prioritatem illam Originis, quam ad substinendas Personarum Processiones necessariam esse confitentur Theologi; sed injuriosa est hæc suspicio. Primò, quia illam absolutè non negat, sed fatetur se tunc non potuisse concipere; quod fortè evenit, quia in Raptu illo cùm elevata esset ad Divinam præcipuè contemplandam Unitatem, in cæteris ei non correspondebat Divinum lumen, cui mos est in Visionibus abstractivis non omnia, sed quæ vult Deus menti diversimode patefacere. Secundò, quia cùm in aliis suis Relationibus sæpiùs hanc ipsa confiteatur Originis Prioritatem, si hìc negaret, aliquo diverso intuitu suffulta negaret. Prioritas ista in duplici sensu sumi potest; in quantùm videlicet demonstrat Processionem unius Personæ ab alia, ut a suo Principio; vel in quantùm innuit Prius, & Posterius, intrinseca & reali prioritatis temporis, aut signi. In illo sæpiùs admisit; in isto nunc negat. Quam interpretationem clarè indicant sequentia verba (4): *Non enim Pater intrinsecè Principium habuit cognitionis se esse communicabilem*. Ex quibus clarè constat voluisse ipsam excludere in Divina cognitione intrinsecam illam realemque Prioritatem, qua nos aliquid cognoscendo a principiis gradatim pervenimus ad conclusiones. In simili sensu, ut prioritatis, & posterioritatis suspicionem in Divinis deleat Divus Thomas, originem fatetur, prioritatem negat (5): *Ordo Naturæ est ordo Originis, sed absque prioritate. Oportet ibi esse ordinem secundùm Originem, sed absque prioritate; & sic vocatur Ordo Naturæ, non quòd alter sit prius altero, sed quia alter est ex altero*. Et alibi (6): *Hoc nomen principium, licèt quantùm ad id, a quo imponitur ad significandum, videatur a Prioritate sumptum, non tamen significat Prioritatem, sed ordinem*.

§. VIII.

(1) *Sup. Par.* 1, *cap.* 2, §. 1. (2) *Sess.* 19, *Col.* 3, *Ut exemplum*.
(3) *Sup. Par.* 1, *cap.* 9, §. 7, (4) *Ubi sup.* (5) 1, *q.* 42, *a.* 3.
(6) 1, *q.* 33, *a.* 1, *ad* 3.

§. VIII. Inter Scriptores non solùm pios, sed etiam a Deo illuminatos ferè nullus est, qui aliquando ambiguè non scripserit, vel etiam in verborum delectu, quibus sensum aperiret internum, inadvertenter non erraverit. *In multis enim offendimus omnes*. Videmus hoc in Sanctorum Patrum scriptis non semper, ut Divus fecit Augustinus, humili sinceraque retractatione purgatis; atque id evenit summa Divinæ pietatis Providentia, quæ ne humanæ mentes sublimi, quam receperunt, cognitione, superbiant, errare permittit, ut a proprio lapsu discant innatam nobis ignorantiam soliusque Dei Omniscientiam. Ego igitur, qui in interpretandis hujus Virginis scriptis, nec obstinata æstimationis devincior opinione, nec subdola fautores, quos alioquin ferè non cognosco, palpandi moveor adulatione, Mariam Catharinam in aliquibus, sed paucis æquivocasse dictionibus fateri non erubescam. Et ecce unum ex verbis, quæ periculosam habere videntur improprietatem, & de quo, si quisquam offenderetur patienter indulgerem; dummodo hoc mihi indulgeret & ipse, dictionis nempè errorem esse, non infidelitatis. Agens igitur ipsa de Divinis procedentibus Personis in supra allata relatione ita scribit [1]: *Quod una vult, vult & altera, & totum vident, atque passiva spiratione comprehendunt*. Apparet in hac periodo illam Filio passivam spirationem, quæ Spiritus Sancti solummodo propria est, adscripsisse; in quo, nisi benignior faveat interpretatio, de errore non posset absolvi. Et quidem de prima voce, *Passiva* nempè, non est, cur doleamus. Cùm etenim Verbum, & Paraclitus intelligere, & velle, simul cùm essentiam a Patre recipiant, & recipere apud Scolasticos pati dicatur, passivè has duas Personas intelligere, & velle, prout jam dicta prænotatur communicatio, Theologicè dici posse non hæsitaverim. Tota, ut reor, difficultas est in sequenti verbo, *Spiratione*. Pro cujus interpretatione notandum est hanc Virginem clarè, & multoties, in suis scriptis, apertisque verbis Generationem passivam Filio, & passivam pariter Spirationem Spiritui Sancto attribuere simul, & describere; unde ut gratuitum, imo & injuriosum timerem judicium, suspicari hìc ipsam opposita iis, quæ alibi scripsit, sentire. Alia certè intentio illam vel movit, vel decepit; quam ex non despicabili congruentia hìc conabor eruere. Paracliti Processio juxtà mentem Divi Thomæ proprium non habet seu univocum nomen; sed metaphorice ex motu, quem ciet spirans ventus, desumptum a quodam videlicet veluti impulsu, quo voluntas amantem movet ad amatum. Ex quo sequitur in communi sensu nomen *Spiritus* aliquo modo adscribi posse Patri etiam, & Filio, ut Divus Augustinus advertit apud Angelicum (2): *Quia Spiritus Sanctus communis est ambobus, id vocatur ipse propriè, quod ambo communiter; nam Pater est Spiritus, Filius est Spiritus*. Dictio igitur *Spirationis* tertiæ appropriata est Personæ, & illam in sensu, quo utitur Ecclesia, Filio attribuere error esset; in alio verò sensu, quatenus videlicet exprimit motum quemdam intelligibilem, quem nostra mens concipit in Divino intellectu dum intelligit, in voluntate, dum amat, improprietas est, fateor, sed non error. Verbum etenim etiam per quamdam

[1] *Sup. par.* 1, *c.* 4, §. 5. (2) 1, *q.* 26, *a.* 1.

dam generatur Emanationem, ut loquitur Divus Thomas (1): *Verbum significat quamdam emanationem intellectus*. In simili ergo sensu Spirationem pro motu quodam, & emanatione usurpavit hæc Virgo; & usurpavit non gratuitò, cùm enim ly *Spiratio* in Italico, in quo scripsit Idiomate, emissionem innuat, & emanationem, ac spirare idem sonet ac emittere, undè dicendi mos est, *Flores spirant odorem; ille expiravit animam*; quod totum apud linguæ Italicæ magistros (2) videri potest; facilè usurpavit ipsam spirationem pro Emanatione, seu intelligibili motu, non solummodo voluntatis, quo sensu soli convenit Paraclito, sed & intellectus, qui respicit etiam Verbum quodammodo, ut diximus, emanatum a mente Patris. Consideravit tandem hæc Virgo, quòd intelligere, & velle in duabus procedentibus Personis a Patre, veluti ab amborum principio provenit; & hoc solummodo attendens dictionis proprietatem; dummodo hoc exprimeret, minus cautè perpendit. Quòd si nimis displicet uno calami ductu, facilis est emendatio; delendo nempe ly *Spirationem*, & loco ejus *Passivam Emanationem* scribendo. Sufficit enim ut sensus ab eadem servetur intentus, qui est Intelligere & velle Filio, & Spiritui Sancto, a Patre, ut a principio, cum Essentia communicari, ubi æstimanda est potiùs Intelligentiæ veritas, quam vocis condemnanda æquivocatio.

ANIMADVERSIO IX.

Ab æquivocationibus vindicantur aliæ hujus Virginis Intelligentiæ, quæ ad Trinitatis Mysterium non pertinent.

§. I. Accedenti ad interpretationem nonnullorum, quæ ultra jam dicta in hisce Mariæ Catharinæ Relationibus apparent dubia, hoc mihi in primis cavendum video, ne quis lucubrationibus meis sacrilegæ audaciæ notam inurat; quòd videlicet mittere non timeam, ut dicitur, os in Cœlum, de damnatis in Mystica opinionibus disputationem intexendo; quod utique a mente, qua scribo, atque a cœca obedientia, qua Ecclesiasticas Sanctiones veneror, alienum esse Deo teste profiteor. Aliud est enim explosa jam dogmata audacter scrutari, aliud hujus Virginis scripta ab omni cum ipsis affinitate vindicare; primum, temeritatis esset, secundum, ut arbitror, pietatis. Docuere siquidem illi, vel malitia, vel incauto zelo dictante, suspensiones, & Ecstaticas subtilitates proprio marte, & semper quærenda; atque ita cum Animarum damno, ad artem temerè reduxerunt aliqua, quæ extraordinaria, & raró præstita, sunt Spiritus Sancti dona. Hic autem ea solummodo tangimus, quæ non in assidua medi-

(1) 1. q. 34. a. 2. (2) *In Vocabular. qui dicitur* della Crusca *Verbi Spirat.*

meditatione, aut acquisita contemplatione, hæc Anima aut exercuit, aut quæsivit, sed quæ extra se rapta divinoque afflante in raptibus lumine, aliquoties ecstatico quodam excessu passa est; ac proindè non imitanda quidem, aut optanda, sed nec condemnanda censemus. Hac præmissa protestatione animadvertendum, quòd aliqua supra explicatis supersunt, quæ in cæteris Mariæ Catharinæ scriptis altius poscunt examen; nec mihi hìc omnia aut recensere, aut explicare vel tempus permittit, vel ingenium. Habent scripta fortes suas, atque omnibus placere difficile, piis verò tutissimum. Hæc autem libens prætereà, ut qui non ad gratiam scribo, sed ad veritatem; ac propterea quædam solummodo addam, quæ in intelligentiis de Trinitate prætermissa, hic commodius, ut suspicioni obnoxia silere non debeo, sed ut meo judicio approbanda substinere. In his autem primus debetur locus cuidam periodo, in qua legitur, quòd hæc Virgo post Raptum quemdam perfectiori charitate Deum amandi exardescens desiderio, ita scribit (1): *O mi Deus, cordis mei amor, me semper magis obligatam video ad te amandum, puro, nudo, & simplici amore, unicè propter tuas prærogativas, & perfectiones; mihi ipsi summè complacens super intrinseca, & essentialia bona, quibus in te ipso frueris magis, quàm si mea forent*. Et alibi ecstaticè elevata ad quamdam abstractivam, intellectualemque Divinæ amabilitatis Visionem, hæc refert (2): *Donavit mihi Divina Bonitas Ecstasim, sivè mentis excessum adeò sublimem, ut ad exprimendum lingua deficiat. In qua splendida, & Divina luce cognovi, quod Deus immortalis, æternaque substantia, mereretur ab omnibus in se ipso, & per se ipsum amari, propter suas prærogativas, & perfectiones, cùm sit in se ipso deliciarum abyssus*. Verba hæc, quæ flammigeram redolentia dilectationem, ædificare possent legentes, nollem in aliquibus scandalum parere, suspicantibus ipsam Dei amorem propter beneficia collata, & præmii spem, excludendo, Archiepiscopi Cameracensis prædamnatas sequi opiniones. Sinistrum hoc verè judicium vitabit quicumque in aliis ejusdem Relationibus anxietatem legit, quam ipsa sæpius de Paradisi gloria exprimit adipiscenda; Qui animadvertat quoties spe æternæ mercedis sibi ipsi ad multa, quæ passa est, fortiter toleranda, robur addebat, quæ omnia in nostris videre est Commentariis; qui tandem suspectam majori patientia legens periodum observabit, quòd ipsa anteponit quidem Dei amorem propter se ipsum, addit tamen amandum etiam esse (3): *Quia nostrum est principium, a quo dependimus*; in quibus verbis compendiosè beneficia, & præmia, ut amoris adducit incentiva; atque ita demonstrat se nomine puri, & nudi amoris intelligere quidem amorem amicitiæ, quem præoptat, non tamen excludere amorem concupiscentiæ, idest non abhorrere a Dei amore, quem nutrit & spes præmii, & beneficiorum memoria. Evanesceret hac ratione non bene concepta suspicio, ut tamen clarius eluceat in hac Virgine divinæ charitatis ardor, de hoc ecstatico Divini amoris excessu, doctiorum tamen me judicio subjiciens, dicam quod sentio. In perfecta contemplatione infundi ut plurimum in Anima a Deo intelligibiles species eorum, quæ vult ab eadem in illo momen-

(1) *Sup. Par.* 1, *c.* 4, §. 3. (2) *Ibi. c.*6, §. 1. (3) *Ibidem c.* 6.

momento cognosci, alibi jam probavimus. Ex quo sequitur illam ob varietatem infusi luminis modò unum, modò aliud apprehendere Attributum, juxtà ductum Divinæ, a qua illustratur, Sapientiæ; & ob id informatus intellectus a particulari sibi communicata impressione, omnes quidem credit veritates, in aliqua tamen secundùm acceptam irradiationem fortiori sistit intuitu. Ac per consequens, quia in id, in quo intellectus figitur fortius, voluntas fertur ardentius, cætera quidem non spernat Spiritus, sed in apprehenso aliquo fixus, aliorum pro illo temporis momento videatur oblitus. Non igitur hac veritate supposita stupor est, si hæc Virgo, comunicante sibi Deo, non quidem semper, sed aliquoties, ut ipsa in suis relationibus refert, de incomprehensibili sua bonitate sublimes, & varias intelligentias, sicut in earum quadam fixus hærebat intellectus, sic in eadem figeretur & amor, Divinaque impressione ad amabilitatem rapta, cæterorum, non quidem negligens, sed tunc immemor, Divina pro tunc non cogitaret beneficia, vel præmia. Quam mentis suspensionem purum, & nudum ipsa dicit amorem; idest omnia charitatis argumenta, excepto Deo in se ipso amabili, non despicientem, sed in tali excessu non cogitantem. Spe siquidem a dilectione non neglecta, sed pro tunc non cogitata, Deum unicè diligens, se etiam diligebat, sed in Deo; unde ipsa de se citatis locis ait: *Amabam me ipsam in Deo*. Quis igitur allatas quasi vetitæ doctrinæ reas condemnabit periodos? Forte ne verum non est amorem Amicitiæ, quo anima supra fœlicitatem propriam bonum diligit Dei quasi Amici infinitè amabilis, illudque cogitat, illo gaudet, proprium esse perfectæ contemplationis, ut devotissimus rerumque Mysticarum peritissimus docet (1) Pater a Ponte? Non legimus fortè in Divo Thoma quòd quamvis Amor Amicitiæ desiderium fruendi æternaliter Deo non excludat, sicut Amicus cum Amico commorari gestit; est attamen perfectior amor, quando Anima ad hoc a Spiritu Sancto peculiariter vocata, sui veluti oblita de Divino gaudet bono, ad quod abstractivè videndum a Divina elevatur illustratione? (2): *Quando gaudemus de bono Divino in se considerato, melius est, & hoc procedit principaliter ex charitate, quàm si gauderemus de bono divino, prout a nobis participatur?* Nonne hæc Virgo in suis relationibus sæpe protestans optare se sibi æternam gloriam, ob gloriam, quæ inde resultat misericordiæ Dei, & ad Paradisum aspirare, eo præcipuè fine, ut ibi, quod ei non licebat ex ejus fragilitate in hac vita, Deum laudare posset, & amare, didicisse videtur, quòd Divus docuit Augustinus (3): *Ipsum amemus propter ipsum, & nos in ipso tamen propter ipsum*. Quòd si hoc puri, & nudi Amoris nomen tali circumscriptum cautelâ, prout scilicet ecstaticam quandam innuit transcendentiam, qua ad Divinam amabilitatem contemplandam raptus Spiritus, sine ulla pro illo suspensionis instanti, sui consideratione, Deum cogitat, Deum amat, laudatur a Sanctis Patribus; cur illud ut vetitæ ab Ecclesia sententiæ favens, Sanctæque spei oppositum, in dictis hujus Virginis, re non intimè inspecta, dijudicabimus?

(1) *Guida Spirit. Tract.* 3, c. 9, §. 1. (2) 2, 2, q. 28, a. 1, ad 3.
(3) *Ser.* 54, *de Verb. Dom.*

bimus? Scio utique ecstaticum hunc amorem paucorum esse, nec illum alicui suaderem Animæ, in qua sui ipsius odium, purgataque non fulgeret perfectio, monente me Divo Bernardo, qui de gradibus loquens charitatis, ait (1): *Nescio si a quoquam hominum quartus in hac vita perfectè apprehenditur, ut se scilicet diligat homo tantùm propter Deum*; sed aliud est rarò inveniri posse & in paucis, aliud absolutè negari de omnibus. Illud non indifferenter proponere, cùm sit Dei singularis gratia, quam humiliter petere, non audaciter usurpare debemus, prudentia cauti directoris est. Hoc ut erroneum absolutè proscribere, incredulitas esset Animi, id impossibile existimantis, quod ipse experiri non meretur; & de quo reprehensionis suffragium ferret Chrisostomus (2): *Quoniam procul ab hoc amore absumus, nec animi quidem cogitatione hoc complecti possumus*. Nec, fateor, mirarer, si Deum frigidè amantibus non bene saperet hic *Amor purus*; est enim Idioma quoddam veluti barbarum, solisque perfectis amatoribus intelligibile, concludam cum Mellifluo (3): *Lingua amoris ei, qui non amat, est barbara, eritque sicut æs sonans, aut cymbalum tinniens*.

§. II. Transeamus ad alteram, apparenter quidem magni momenti, sed re nullius ponderis, dubietatem. In ecstatico quodam Dialogismo, quem Maria Catharina cum Divino Verbo habuit in Raptu, stupens ipsa de Divina, quam in se experiebatur, Bonitate, sic effata est (4): *O lux inexhausta æterni gaudii; & quomodo in Anima mea tantas ostendis operationes Amoris? Nonne dicis tu, ineffabilis Veritas, quòd salvare non vis hominem sine ipso, sicut et ipse salvari non potest sine te? Mea igitur Voluntas omnibus, quæ revelasti, mihi videtur contraria*. Cui respondit Verbum: *Ita est; ego operor omnia in te sine te, cùm tu mihi obtuleris holocaustum perpetuum tuæ Voluntatis, quæ ordinationibus meis permanet semper apta, & disposita, sicuti ferrum ignitum dispositum est Voluntati Fabri*. Notari hic timeo verba illa: *Operor omnia in te sine te*; in quibus non attendentes ad id, quod in hac periodo præcedit, & sequitur, præcipitanter judicaremus apparere errorem Beguinarum, & Quietistarum, excludentium in contemplatione omnem Animæ cooperationem, asserentesque omnia solius in ipsa agentis Dei opera esse. Ne igitur in tali labamur sinistra præventione, meminerimus primò, Ecstasim, ut alibi dixi, a Raptu differre in hoc, quòd illa Voluntate fit desiderante, paulatimque ad mentis elevationem ascendente, iste e contra etiam renitente Voluntate accidit, Deo Animam, quamvis invitam, ad se trahente. Ut enim docet Angelicus (5): *Raptus supra Ecstasim violentiam addit*. Ex quo infertur in Raptus mora cooperari quidem cognoscendo, & amando, in ejus autem initio solius esse Dei vis illa qua Potentias ex improviso, Animaque etiam renuente, suspendit. Ita (6) Sancta scribit Theresia, hujus amicabilis violentiæ, eamdem prorsus reddens rationem, quam in allata periodo affert hæc Virgo, quòd videlicet, supposita antecedenti integraque in Dei manibus consecratæ Vo-

N n lun-

(1) *Epist. XI, ad Guiconem Carthus. num. 8.* (2) *Hom. 16, in Ep. ad Rom.* (3) *Ser. 71, in Cant.* (4) *Sup. Par. 1, c. 3, §. 1.* (5) *2, 2, q. 175, a. 2.* (6) *In Castr. Inter. Mans. 5.*

luntatis nostræ resignatione, liberum Deus non offendit arbitrium, quando ea, ut jam spontè sibi addicta, absoluto utitur imperio. Hanc Seraphicæ Magistræ doctrinam confirmat Angelicus, scribens, Animam in eo momento, quo a Deo rapitur, non intrinsecè cooperari, sed pati; rapitur enim a Deo, ut ab exteriori principio (1): *Raptus violentiam quamdam importat; violentum autem dicitur, cujus principium est extrà, nihil conferente in eo, quod ipsum patitur*. Ex hisce doctrinis genuinam illius dicti, *Operor in te sine te*, eruamus interpretationem. Resistebat Maria Catharina, quomodo poterat, Raptibus, quos sæpissimè patiebatur, ut in Libro Secundo, Capitulo Primo, Paragrapho Tertio jam vidimus; ac proindè prorsus contra suam illi accidebant Voluntatem, quæ in hoc solummodò Voluntati Dei humilitate repugnante, videbatur non rebellis, sed modestè contraria. Verùm quia totaliter Divino arbitrium suum addixerat beneplacito, oblata Deus utens Animæ resignatione, illam ad se rapiebat, non solùm ad Raptum non cooperantem, sed etiam invitam, undè benè eidem respondit: *Operor in te sine te*; idest vel nolentem imperioso, omnipotentique quodam Amore ad me rapio, non interiori tua cooperatione currentem, sed ut exteriùs ad me trahens: *cujus Principium* (replicare liceat cum Divo Thoma) *cujus principium est extrà, nihil conferente eo, quod ipsum patitur*. Non placeret forsitan, ut Mystica nimis, hæc difficultatis solutio? Aliam afferamus Theologicam. De fide est, quod ait Apostolus (2): *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*; & illud in Evangelio: *Sine me nihil potestis facere*. Quæ Divus explicat Thomas de eo quòd Anima non potest se vertere ad Deum sine præveniente Dei auxilio, a quo illuminetur Intellectus, moveatur Voluntas; undè (3): *Cùm dicitur homo facere quod in se est, dicitur hoc esse in potestate hominis secundùm quod movetur a Deo*. Ad cujus veritatis clariorem intelligentiam, distinguitur a Sancto Doctore Gratia Animam movens, in operantem, & cooperantem. In secunda consentiens Anima Divino nutui, supernæ cooperatur voci; atque ipsi simul et Deo actio attribuitur. In prima verò præcedente quamcumque Animæ Voluntatem, Divino impulsu ad Deum trahente, actio hominem movens soli adscribitur Deo (4): *In illo effectu, in quo mens ad extrà est mota, & non movens, solus autem Deus movens, operatio Deo attribuitur, & secundùm hoc dicitur Gratia operans*. Quibus subdit Angelicus: *Quantùm ad primum actum interiorem Voluntatis, Voluntas se habet ut mota, Deus autem ut movens, præsertim cùm Voluntas incipit bonum velle, quæ prius malum volebat*. Verissimæ huic Doctrinæ aliam adnectamus pariter Divi Thomæ, docentis ad hanc operantem Gratiam, seu primam Divini motùs impressionem, nullam requiri ex parte Animæ, sed nec possibilem esse, præparationem. Si etenim requireretur, cùm ad istam alter necessarius esset Dei motus, daretur in infinitum processus, undè concludit Sanctus [5]: *Si loquamur de Gratia, secundùm quòd significat auxilium Dei moventis ad bonum, sic nulla requiritur præparatio ex parte hominis, quasi præ-*

(1) 2, 2, *q.* 175, *a.* 1. [2] *Rom.* 9. (3) 1, 2, *q.* 109, *a.* 1, & 2.
(4) 1, 2, *q.* 112, *a.* 2. (5) *Loco supra cit.*

præveniens Divinum auxilium. His veritatibus suasus, ego fateor me non videre, cur in Catholico sensu de iam dicta operante Gratia, seu primo Divini auxilii Animam illuminantis motu, dictum istud: *Operor in te sine te*, interpretari non possit? Quo scilicet ad eximias operationes, quas postea, non obstante contraria lege, quam cum Apostolo in se ipsa sentiebat, operata est, se impelli cognoscebat hæc Virgo; ad quod præcedens auxilium, cùm nulla ex Divo Thoma requiratur præparatio, verificatur propositio illa, *operari nempe Deum in ipsa sine ipsa*; idest gratuitum illum Divinum motum quamcumque prævenisse Animæ præparationem: *Nulla* (liceat repetere) *nulla præparatio requiritur ex parte hominis, quasi præveniens Divinum auxilium*. Ultima tandem, & patetica magis interpretationis ratio, ex ipso, ut moris mei est, controversæ relationis eruitur contextu. Notandum igitur, quòd in Ecstatico hoc Dialogismo Divinum Verbum paulò superiùs eidem revelaverat multa, quæ in posterum passura erat, sic eam alloquens: *Animam quidem tuam gratia mea foveo.... sed corpus ut inimicum torqueam, nutriens illud cibo amarissimo, tuis videlicet doloribus*. Cui comminationi forti quidem promptaque Voluntate respondit: O *quàm felix est pati! beata non ero, si hoc solummodò cognovero, sed si humiliter, totoque corde amplexata fuero*. Non obstante tamen hac Spiritûs alacritate, non poterat in gravi, quam jam prævidebat cruce, illam non experiri inferiorem sensuum repugnantiam, quam ad nostræ fragilitatis consolationem assumere voluit Christus in Horto; undè proprii cordis Deo confitetur infirmitatem, confidenter addens: *Mea Voluntas mihi videtur iis, quæ tua Bonitas mihi revelavit, contraria*; quod idem erat ac humiliter fateri; *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*. Huic ergo sensuum infirmitati benignè occurrens Deus, ut animum adderet, responsum dedit: *Operor in te sine te*; quasi diceret, ne de carnis timeas fragilitate, mea enim in te operabitur Omnipotentia. *Sine te*, idest non spectando id quod ut muliercula, tu es in te ipsa, nec attentâ inferioris partis, quam in te experiris, debilitate; sed consideratâ solummodò superiori Spiritus Obedientia, qua te mihi, nihil tibi reservans, in omnibus addixisti: *Quia tu mihi obtulisti Voluntatis tuæ holocaustum, quæ semper beneplacito meo disposita perseverat*. His tribus responsionibus rationabile quidem dubium satis enodatum esse confido; & maximè, quæ mihi magis arridet, ultima. Quia si quis redarguere vellet in ipsa ad Cruces subeundas, prævenientem, efficacemque Dei motum, non concurrente, imò discordante sensuum repugnantiâ, respondere possem, quod aliquibus de Oratione Christi in Horto male sentientibus, opponit Chrisostomus (1): *Non oportet verbis adhærere, sed ad sensa converti, & scopum nosse dicentis, & causam, & occasionem omnibus collectis sensum in eis latentem indagare*.

§. III. Hac, quam repellere nisi fumus, suspicione, injuriosior esset alia, in quam quispiam verba non sensus ponderans, ut vereor, posset impingere. Laudans siquidem Maria Catharina, quam impensè profitebatur, perfectam de beneplacito propriæ Voluntatis resignationem, hac loqui-

 tur

(1) T. 5, Serm. 8.

tur humili subjectionis emphasi (1): *Hæc Divina Voluntas nodus est, & ligamen, uniens amatum amanti. Ebrietas est quædam, qua sui ipsius adeò obliviscitur Anima, ut non amplius sui se dominam putet, amittens omnem suam proprietatem, sicut vini stilla in aliquo projecta flumine, saporem vini perdit, & se transformat in aquam. In hoc statu remanet Anima omni humano desiderio expoliata; & omni propria Voluntate perfectè carens, in Divina immergitur Voluntate, impotens aliud volendi, quàm quod Deus vult*. Ista siquidem ultima periodus: *Impotens aliud volendi quàm quod Deus vult*, fateor quòd ex improviso legenti suspicionem aliquam dare posset favendi sexagesimæ primæ ex propositionibus a nequam Molinos assertis, quam de impeccabilitate Contemplativorum damnavit Ecclesia. Ac proinde necesse est, ut hæc suspicionis nebula clariori ex scitis Sanctorum Patrum dissipetur radio. Cujus rei gratia enodandam priùs censeo celebrem inter Mysticos quæstionem, an videlicet in Anima adhuc viatrice dari possit habitualis, & per modum permanentis cum Deo Mystica Unio, vel transitoria concedatur semper per modum transeuntis. Apage quòd in tali controversia enodanda me ingerere ausim; dicam tantummodò quod ex auctoribus, si tamen eos penetrandi lumen Deus dederit, haurire potui. Hanc difficultatem profundè examinat eruditus Pater Gravina (2), piissimus Cardinalis Bona (3), Suarez, & longiusculè Cardinalis Lauria (4), qui omnes absolutè negant hanc Unionem continuam in hac vita dari posse, & per modum habitus, itaut valeat Anima pro suo arbitrio se ipsam elevare ad Mystica, & Ecstases, seu Raptus; affirmantes hanc concedi solummodò in Actu, idest pro illo temporis spatio, quo Deus influit in Anima, & Spiritum ad se sublevare dignatur. Imò Cardinalis Bona [5] suspectam habet Ecstaticam suspensionem, si nimis est frequens; & Divus Gregorius apertè protestatur Divini Spiritus morem esse non permanenter figi in Anima, sed nunc elongari, nunc redire (6): *Non stat, sed transit Spiritus, quia supernam lucem nostra nobis contemplatio, & inhiantibus aperit, & mox infirmantibus abscondit*. Angelicus autem docet Prophetiam (quo nomine, ut alibi cavemus, supernas quascumque Illustrationes ipse innuit) (7): *Non donari a Deo habitualiter per modum formæ permanentis, sed tantummodò actualiter, idest per modum cujusdam passionis, seu impressionis transeuntis*. Hanc veritatem, ut immobilibus Ecclesiæ placitis consonam, veneror firmiter, & profiteor. Verùm tamen est, quòd prædicti Doctores habitualitatem in Divinis communicationibus proscribentes, quosdam non excludunt Divinos effectus, qui ex iisdem, si maximè frequentes sunt, remanent impressi habitualiter in Anima (dum a cœlesti Amatore culpa non separatur) quasi in castissimis hisce Sponsalibus dona Nuptialia cœlestis Sponsi; ut illos Sancta vocat Theresia. Et hi sunt profunda Divinæ Majestatis sæpiùs contemplatæ, & venerabunda æstimatio; filialis humilisque Divinæ præsentiæ multoties interiùs degustatæ, timor; tener, & quasi liquefactivus Divinæ Bonitatis, aliàs ecsta-

(1) *Sup. Par.* 1, *c.* 5, §. 3. (2) *Lapid. Lydio*, *lib.* 2, *cap.* 14.
(3) *De Discret. Spirit. cap.* 7, *num.* 1. (4) *De Orat. Opusc.* 8, *c.* 8.
(5) *Loco citato*. (6) *Lib.* 5 *Mor. cap.* 23. (7) 2, 2, *q.* 171, *a.* 2.

ecstaticæ dilectæ Amor; & generalis quædam impressio Virtutum, quas Deus cum augmento Gratiæ in Ecstasi, & Raptu semper magis ac magis fortiores infundit, & nutrit. Quæ omnia clariùs explicat Cardinalis Lauria, affirmans quòd ex dictis elevationibus derivat (1): *Lux quædam cœlestis in Intellectu, & in Voluntate firmitas ad bonum, & ad Virtutes, quas Deus concedit, multò excellentiores, quàm Anima possit propria Virtute acquirere*. Hujus rei Patres concludentem afferunt rationem; sicut enim in ordine naturali eadem Actio sæpiùs repetita generat in Potentiis habitum, qui qualitas est, facile reddens, ideòque delectabile, id cui assuevimus, ut ab eo abstinere valde sit arduum; sic in ordine gratiæ, quæ naturam ut plurimùm imitatur, ex sæpe replicata Ecstasi, repetitisque Raptibus, quibus Animæ se frequenter communicat Deus cognitione, & Amore, imprimitur in ipsa, seu perficitur infusus quidam habitus illum adorandi, timendi, & amandi; radicaturque in Spiritu semper intimiùs habituata Charitas; augeturque Dei Animæ magis ac magis Dei Potentias penetrantis timor, & Amor. Ita docet Cardinalis Lauria, & Angelicus in Donis *gratis datis*, ut in Miraculorum, Raptuum, & similium gratiam, negans habitualem permanentiam, illam tamen concedit in iis, quæ ad Deum cognoscendum, & amandum attinent (2): *Omne Donum gratiæ elevat ad aliquid, quod est super naturam humanam. Quod quidem potest esse dupliciter; uno modo, quantùm ad substantiam Actus, ut facere miracula, cognoscere incerta, & occulta Divinæ Sapientiæ, & ad hos Actus non datur homini Donum Gratiæ habituale. Alio modo est aliquid suprà naturam humanam quantùm ad modum Actus, sicut diligere Deum, & cognoscere eum in speculo Creaturarum; & ad hoc datur Donum Gratiæ habituale*. Hæc igitur Gratia habitualis ex frequentia Raptuum, cæterarumque Divinarum communicationum, ita altè radicatur in Anima, ut quamvis illæ transeant, remaneat attamen Spiritus ferventior semper; & ni turpi, & voluntaria sese a Deo elongaverit ingratitudine, Divinis aptior, atque magis ac magis addictus, ut alibi de mente Divi Thomæ jam dixi, & hic juvat repetere (3): *Quando mens aliquâ inspiratione tangitur, etiam illâ inspiratione abeunte remanet habilior ad iterum recipiendam, sicut post devotam orationem remanet mens devotior*. Ab hac igitur Divini Attractus replicata frequentia imprimitur in Anima talis memoria, imò anxietas Deo placendi, ut quidquid etiam exteriùs agit, intentione saltem ad Dei beneplacitum ordinet, & gloriam, quod continuatæ quodammodò æquivalet Unioni, docente supracitato Doctore [4]: *Quia ipsam cessationem, putà somni, vel alterius occupationis naturalis, ordinat ad operationem prædictam, videtur oratio continua esse*. Ab istis veluti deliciis Divini Amoris, quibus Spiritum sæpe visitat Divina Bonitas, liquefit ipse taliter, ut veluti in igne liquefacta metalla, ad Voluntatem obediunt Artificis, ita ille Divino se uniformet beneplacito; atque ita promptè, ut in illo Christi efformetur imago; addit Richardus a Sancto Victore (5): *In hoc statu Animæ*

(1) *De Orat. Opusc.* 8, *cap.* 8. (2) 2, 2, *quæst.* 172, *a.* 2.
(3) *De Verit. quæst.* 12, *a.* 3. (4) 1, 2, *q.* 3, *a.* 2, *ad* 4.
(5) *Apud Laur. Supra cit. Opusc.* 8, *c.* 8.

Animæ proponitur forma Voluntatis Christi. Ab his effectibus, quos permanenter relinquit in Anima repetita cum Deo communicatio, resultat in ipsa quidam habitûs teneræ, activæque devotionis, imò mirabilis prorsùs Dei operatio, quam profundè describit Angelicus. Quando (dicit ipse) visitat sæpe Deus Animam superna illustratione, & ipsa non negligit Divinæ, ut potest correspondere Bonitati, sequitur, quòd ex una parte a Divino infuso lumine perficiatur ratio, passiones humilientur, accendatur Charitate Voluntas; & ex alia, Deus qui non lassatur in protectione eorum, qui sibi ingrati non sunt, omnipotenti suâ, benignaque assistentiâ custodiat quos elegit; ac propterea sicut est nobis arduum operari contrà jam radicatum habitum, sic hujusmodi Animabus, si non impossibile, saltem difficile sit Dei se opponere in Raptibus jam prædilectæ Voluntati; idest mortaliter peccare. Audiamus de hoc Angelici Auctoritatem (1): *Per gratiam viæ ita potest homo bono adstringi, quòd non nisi de valde difficile peccare possit, per hoc quòd inferiores vires ex viribus infusis refrænantur, & Voluntas in Deo fortiùs inclinatur, & ratio perficitur in contemplatione Veritatis Divinæ, cujus continuatio ex fervore Amoris proveniens, homines retrahit a peccato, sed totum quod deficit ad confirmationem, completur per custodiam Divinæ Providentiæ*.

§. IV. His prælibatis, difficile non erit, ut opinor, in vero, & catholico sensu interpretari Mariæ Catharinæ dicta, quæ primo aspectu erroris apparerent suspecta. Observandum ergo est in suspecta periodo, & in aliis, multas illam habuisse antecedentes ecstaticas intelligentias de Divinis perfectionibus, & Trinitate, a quibus contraxerat tamquam residua quædam frequentissimorum raptuum, juxtà superius probata, cum ardenti charitate profundam humilitatem, heroicam voluntati Dei sui ipsius resignationem, ut ipsa sæpius testatur, & peculiariter in allata relatione scribens (2): *Infudit mihi Deus perfectam Deo resignationem, quæ simplicissimum est principium, & finis totius christianæ perfectionis*. Hoc supposito examinemus divisim Periodos, quibus prædictam resignationem, quasi laudans, describit. Dicit ergo ipsa (3) hanc esse *nodum seu vinculum amantis erga amatum*; simili prorsus modo loquitur Sancta Theresia, dum agens de Matrimonio Spirituali, in quo Beatissima Trinitas se revelat, & communicat Animæ, resignationem vocat (4): *Unionem qua Deus unitur Spiritus, eodem stabili vinculo, quo duo ligantur conjugati*. Addit hæc Virgo in vera resignatione: *Ita oblivisci Animam sui ipsius, ut sui Domina amplius non sit, submergens in Deo omnem suam proprietatem, sicut stilla vini in flumine cadens, &c.* Iisdem quasi verbis utitur Nazianzenus (5): *Quomodo stilla aquæ modica multo infusa vino a se tota deficere videtur, & saporem Vini induit, & colorem; quomodo ferrum ignitum, & candens, igni simillimum fit; sic omnem tunc in Sanctis humanam affectionem quodam ineffabili modo necesse erit a se ipsa liquescere, atque in Dei penitus transfundi voluntatem*. Subjungit Maria Catharina (6): *In tali statu remanere Animam privatam omni humano desiderio* per-

(1) *De Verit. quæst.* 24, *a.* 9. (2) *Sup. Par.* 1, *cap.* 5, §. 3.
(3) *Ibidem*. [4] *Castro Inter. Mans.* 7, *c.* 2. (5) *Orat.* 21. [6] *Loco cit.*

perfectè propria carens voluntate. Videretur sensus iste, Angelico oppositus, asserenti libero velle Deum in licitis nos frui, quod donavit, arbitrio; sed hic intelligitur de proprietate humanisque desideriis, non penitus Dei voluntati subjectis, quibus omnibus renunciat Spiritus, teste citato Nazianzeno [1]: *Anima intimè Deo unita omnem humanam affectionem a se elongari necesse est*. Concludit tandem hæc Virgo, quòd Anima in Deo immersa, *velle non potest nisi id, quod vult Deus*. Hæc clausula suspicionis est occasio; videtur enim proscriptam ab Ecclesia impeccabilitatem redolere. Fateor quòd & mihi hæc particula quoddam ingessisset dubium, nisi his graviora in Sanctis Patribus invenissem. Divus scribit Bernardus Animam assidua contemplatione, sanctaque dilectione adeò fieri cum Deo unum Spiritum, ut nec velit, nec velle possit nisi quod vult Deus (2): *Fit homo cum Deo unus Spiritus, non tantùm unitate volendi idem, sed expressione quadam & unitate virtutis aliud nolle non valendi*. Alibi fortiùs se exprimit dicens (3): *Unitas Spiritus cum Deo, hominis cor sursum habentis, & proficientis in Deum voluntatis, est perfectio; cum jam non solùm vult quod Deus vult, sed sic est non tantùm in affectu, sed in effectu perfectus, ut non possit velle nisi quod Deus vult*. Imo, quod certè mirum est, Sanctus scribere non erubescit Ambrosius de Anima ad ferventem elevata amorem (4): *Tanta vis consummatæ emendationis est, ut vias erroris ignoret, crimen etiam si velit non possit admittere, quia desivit usum nosse peccati*. Scio utique neminem ausurum hos Sanctos Patres damnatæ impeccabilitatis assertores suspicari; sed respondebitur eorum dicta esse interpretanda. Assentior; at, quam hæsitantes dabunt interpretationem, licebit & mihi dictis Mariæ Catharinæ communem facere; & hic esto genuinus, & ex Doctorum placitis erutus suspectæ propositionis sensus. Plures numerat Nazianzenus significationes, quæ huic dictioni *Non posse* conveniunt. Una est, quando verè actio vires operantis transcendit; & hæc est impotentia Physica; alia, quando vel injustum est, quod petitur, vel ab eo voluntas, aut nimia operis difficultate, aut alia notabili abhorret repugnantia, & dicitur impotentia moralis. Et hac secundâ aliquot Sanctus interpretatur Sacræ Scripturæ Textus; ut quando de Christo in Nazaret legimus: *Non poterat ibi signum ullum facere*; vel quando ad Chananeæ preces dicitur: *Christus voluit latere, & non potuit*. Quæ verba intelligenda sunt, non de impotentia physica; quis enim Dei poterat Omnipotentiæ resistere? sed de morali, obsistente scilicet Divina ob Nazareorum ingratitudinem Justitiâ; impellente ad mulieris pietatem misericordiâ. Ex quibus concludit Sanctus Doctor (5). *Impossibile etiam dicitur: quod minimè æquum est, & ratione consentaneum; vel hoc fieri non posse dicitur, a quo nostra voluntas abhorret*. Hæc igitur impotentiæ interpretatio, quæ vulgari approbatur usu, quo inhonesta, vel difficilia petentibus respondere omnes consuevimus, *Non possum*; nescio qua de causa dictis Mariæ Catharinæ non competat; itaut ly *Velle non potest nisi* quod

(1) *Loco supra cit.* (2) *Ep. ad Fratr. de Monte Dei.* (3) *De Vita Solit. Apud Lauriam, de Orat. Opusc.* 8, *c.* 3. (4) *Ser.* 22, *in Ps.* 118.
(5) *Lib.* 4 *Theol. ante dimid.*

quod vult Deus, sumatur pro morali impotentia, quòd videlicet Animam, frequentibus Divinis communicationibus in Deum peculiari uniente charitate elevatam, difficile fit læthali culpa a Dei voluntate segregari. Item in præcedenti paragrapho vidimus ex raptuum frequentia, transeuntibus illis, relinqui in Intellectu rectæ rationis auctum lumen, in voluntate Majestatis Divinæ, atque Amabilitatis quadam veluti experientia jam degustatæ filialem timorem, exardescentem amorem, ut habitus nempe simul cum Sancti Spiritus Donis infusos. Unde talibus difficile esse in peccatum labi, docet Angelicus. Cur ergò, cùm hìc non loquamur de venialibus, sed de læthalibus, in quibus vera sistit a Dei voluntate alienatio, non concedamus huic Virgini, quòd sicut nobis habitum malum vincere difficillimum est, ita contra habitualem a supernaturalibus illustrationibus in spiritu relictam, Dei dilectionem graviter peccando operari, sit valde difficile, in qua difficultate moralis salvatur impotentia? Placet hæc interpretatio Eminentissimo Cardinali Lauriæ, qui contestatum *non potest*, non pro reali sumit impeccabilitate, impiè a condemnatis Quietistis efficta, sed de Divina quadam gratiæ impressione in Animabus Deo verè devotis, a contemplata Bonitate donata; qua adeò perversæ naturæ nostræ ad vitia proclivitates refrænantur, ut tentationibus assentiri sit eis valdè difficile, quod idem ac dicere moraliter impossibile (1): *Ut non ita facilè labatur in mortali*, scribit Purpuratus ille, *quia manet in Deo per charitatem, & Deus in ea. Et Deus promisit mansionem apud eam facturum.*

§. V. Dubium tuebitur fortè aliquis, & dicet, non moralem, sed Physicam in gratia immobilitatem, ex sequentibus hujus Virginis in hac relatione dictis innui. Examinemus ergò has succedentes periodos, & attentè eas cum iis, quæ Sancti, vel saltem ab Ecclesia approbati scribunt Mystici, conferamus. Cavendum tamen est ea, quæ hìc in laudem spiritualis perfectæque resignationis Maria Catharina dicit, non a Divina luce sibi infusa, sed ut a proprio marte, & ab amore talis sibi prædilectæ virtutis dictata conscribere; unde si illis aliqualis reperiretur exageratio, non falsæ illuminationi, sed fervorosæ ejusdem adscribenda esset prædilectioni. At ipsa resignationis laudes non ita altè provehit, quin vel consimiles, vel altiores in Auctorum scriptis reperire non possimus. Mirabimur fortè, quòd ipsa scripserit, Animam ex iteratis elevationibus Dei voluntati fortiter addictam in ea conservari stabilem, immobilemque (2), *ceu terra in proprio centro*? Quisquis audacem hanc suspicaretur similitudinem, legat quæso piissimi Gersonis scripta (3), affirmantis, quòd sicut omne Elementum in proprio constitutum centro ibi quiescit, & ab eo separari quantum potest renititur; ita spiritus noster ecstatica charitate, infusoque amore unitus Deo, unico suo centro, ibi pacificus, quietusque manet; & ne ab eodem dividatur, humanis passionibus constanter resistit. Imò mirabiliorem notet similitudinem, qua de hoc loquens Sancta utitur Theresia (4): *Sicut Cælum Empireum, in quo inhabitat Deus, non movetur, sicut alii moventur*

Cæli;...

(1) *De Orat. Opusc.* 5, *c.* 4. (2) *Sup. Par.* 1, *Cap.* 5, §. 3.
(3) *De Myst. Theol. Considerat.* 42. (4) *In Castr. Inter. Mans.* 7, *c.* 1.

Cœli ; ita Anima septimam ingressa mansionem motus illos non patitur, qui in potentiis, & imaginativa esse solent, itaut eam possit lædere. Quis igitur terræ stabilitatem condemnabit in hac Virgine, quando altiorem certè de ipsius Cœli immobilitate paritatem Seraphica Mysticorum magistra non vereretur afferre? Mirabilior tamen est, quam Maria Catharina addit, subsequens Periodus, tali expressa emphasi, ut ipse censurâ dignam timerem, nisi similes in Sanctis legissem Patribus, qui de Mystica hac agentes Unione, scribunt nonnulla, non solummodo stuporem, sed & ipsam inexpertorum trascendentia fidem. Loquens igitur hæc Virgo de firmitate in Divino beneplacito animabus sibi peculiariter devotis, a Deo mediis Divinis communicationibus infusa, sic ait (1): *Transformata in perfectam Dei imaginem, & cum Verbo unitatem, sicuti Deus se vertere ad aliud non potest, quam ad se ipsum, omnia in se & per se contuens; ita talis Anima affectus suos ad aliquid retorquere nequit, quod sit extra Deum, cui totum propriæ voluntatis donavit beneplacitum*. Grandiori, fateor, hæc scripta sunt Æstro, non tali tamen ut similia Sancti non scripserint. Pro cujus dicti intelligentia animadvertendum est particulas *Ita & sicuti* non exprimere omnimodam paritatem, sed simplicem similitudinem, atque ob id Sanctus Remigius, explicans Evangelium illud: *Estote perfecti* sicut *Pater vester cœlestis perfectus est*, prudenter cavet verbo illo *Sicut* non præscribi nobis impossibilem, perfectamque Dei perfectionem, sed quamdam, qualis fragilitas nostra patitur, similitudinem (2): *Nam verbum* Sicut *in Scripturis quandoque pro veritate, & æqualiter accipitur; aliquando autem pro similitudine*. Hanc igitur a Maria Catharina allatam, Animæ in Divina voluntate firmiter innixæ, ad imitationem immobilitatis Divinæ firmitatem, an in Anima sæpè sæpius concessæ a Deo supernaturales elevationes possint imprimere, satis discernitur ab auctoritatibus, quas glossando sententiam Apostoli: *Qui adhæret Deo, unus Spiritus fit cum eo*, eruditissimus profert Cardinalis Lauria [3]; quarum aliquas hìc adducam, sed brevitatis gratiâ non omnes. Unio hæc Spiritus cum Deo in voluntate consistit, ut Interlinearis notat (4): *Semper ejus faciens voluntatem*. Et id jure meritò; ut enim alibi diximus, realis unio Intellectus cum Deo in sola reservatur Patria, & dum vivimus immediatè stringitur voluntatis subjectione, & amore, quod tunc contingit, quando a mysticis Divinæ charitatis amplexibus sæpius inflammata voluntas, amoris vi, in amatum quodammodo transformatur; qua transformatione ineffabilem quamdam Attributorum sibi competentium participationem acquirit, seu, ut verius dicam, similitudinem. Ita sentit Hugo a Sancto Victore, dum illam ponderans de Divino Verbo Pauli sententiam: *Pertingens usque ad divisionem Animæ, & Spiritus*, affirmat, quòd Spiritus supra omne quod corporeum est elevatus, in Deo per similitudinem transformatur (5): *Felix divisio, & mirabilis separatio, ubi quod corpulentum, & feculentum est deorsum remanet; quod spirituale, & subtile usque ad speculationem Divinæ Gloriæ, in eamdem Imaginem transformatur*.

(1) *Sup. par.* 1, *c.* 5, §. 3. (2) *Ibid.* (3) *De Orat. Opusc.* 8, *c.* 6.
(4) *Ibid.* (5) *Lib.* 2, *de Anima*, *c.* 20.

matur. Consentit his sæpius a me citatus Cardinalis Lauria istis adamussim verbis (1): *Fit unus Spiritus Anima & Deus, uniuntur moraliter per Mysticam hanc unionem; & faciunt, seu sunt unum, unione aliqualis similitudinis in operando, & unitate volendi, idem objectum ob eumdem finem*. Idem, sed altiori stylo sentit Gerson, dum loquens de Mystica Divina communicatione cum Anima, concludit ab hac stringi unionem illam, qua dixit Redemptor se velle, ut unum secum simus, sicut ipse unum est cum Patre; inde asserit de Divinis hisce charismatibus (2): *Quæ omnia tamquam virtus univoca replent, restituunt, convertunt ad congregantis Patris unitatem, & Deificam simplicitatem*. Hæc omnia, captu difficilia, seu minus Mysticis credibilia, non æstimabit qui non negat summam cum Deo Animæ unionem spiritualem quoddam esse Matrimonium, undè sponsus dignatur dici Christus, Anima Sponsa, ex quo consequitur, quòd cùm omnia quæ sunt viri, sint etiam conjugis, sunt enim duo in carne una, necesse est, ut Deus Animæ communicet ea omnia, quæ ut simplex creatura, & secundùm majorem, vel minorem adhæsionem, modumque Viatorum in hoc exilio recipiendi est capax; in tali sensu explicat Mysticum hoc Matrimonium Mellifluus, docens, quòd spirituale Matrimonium (3) *Non est aliud quàm Amor Sanctus, castus, amor suavis, mutuus, intimus, validusque, qui non in una carne, sed in uno spiritu duos jungat, & duos faciat, non duos, sed unum*. Supposita ergo hac Sanctorum doctrina, asserentium in virtute Mysticæ unionis, ecstaticique amoris, moraliter transformari in Deum Animam, imo scribentium prærogativas cœlestis Sponsi, quantùm viatorum tolerat status, possessiones esse Animæ Sponsæ; cur incredibile videbitur Deum ipsi inter alia nuptialia Dona, participare aliquam immutabilitatis umbram, cum qua omnia videt, omnia operatur immutabiliter in semetipso; itaut ipsa Anima in Deo cor suum, suaque desideria firmiter figens, ad alium scopum, quàm ad Deum, unice a se dilectum, quodam amoris ligata glutino, affectiones suas retorquere nequeat? Fateor sublimem hunc statum paucorum esse, quia pauci terrenarum rerum perfecta renunciatione, & nuditate se disponunt; sed non ob id incredibilis adeo existimandus, est ut ejusdem erronea censeri debeat descriptio. Maximè cum ejus legantur exempla in plurimis, & in hac Virgine, si multorum fidem merentium non mentiuntur relationes, testantium ipsam Deum semper aspexisse, vel actione, vel actuali amore, vel saltem invariabili intentione. In similibus autem mira quidem, sed non improbabilis est aversionis a Dei voluntate, moralis impotentia. Potest quidem hæc Anima peccare, ut cum Thomistis loquar, *in sensu diviso*, non *in composito*; idest manet in ea corruptæ naturæ ad malum inclinatio, sed tentationibus, passionibusque resistet, quia conjunguntur duæ voluntates, Dei, qua illi sua peculiari gratiâ, resistentiam concedit; sua, qua in Deo filiali se figens confidentiâ, vult resistere, in quo moralis ex Divina unione derivans consistit se avertendi a Dei voluntate impotentia, quæ a Cœlesti donatur Sponso, omnia, quæ habet communicabilia, pro suæ sapientiæ mensurata

(1) *Loco sup. citato*. (2) *In Cant. Considerat. 3*. (3) *Serm. 83, in Cant.*

furata largitate, donante Sponsæ suæ; ut advertit Gerson [1]: *Quidquid sonat Mansionem, vel habitationem, vel inhæsionem, vel unitatem unius corporis, & unius Spiritus in anima cum Deo, Sponsa cum Sponso, unica cum unico, in hac coniunctione sunt.*

§. VI. Explicavimus satis, ni fallor, quæ in scriptis hujus Virginis circa Fidem suspicari possent, remanet adhuc tenuis alia difficultas, quam (est enim de unius verbi æquivocatione, rigorosa nimis Animadversio) negligere poteram, & apud me ipsum silentio præterire decreveram; sed quia simplicem causalemque dictionem quis fortè posset inscitiæ circa Fidem prædamnare, non quidem ab improprietate (non enim quæ probanda non sunt adulatione sileo), sed a mentali, & vero errore vindicare satiùs duxi. In Epistola quadam ab hac Virgine ad devotam Animam ex Obedientia conscripta, in qua facilem, practicamque eidem meditandi viam aperit, & alibi nos transcripsimus, ad Dei conducentem fortiùs apprehensam præsentiam, talem suadet interiorem Actum: *Complaceo mihi de alta, profunda, intima, substantiali, & cordiali Adoratione, quam correlativè, actualiter, & perfectè vobis exhibetis, o Divinæ Personæ, in lumen Divinæ Essentiæ, vestras Divinas cognoscentes Perfectiones.* Notaret hic aliquis inconsideratum illud verbum *Adorationem*; ex quo hanc trahere posset illationem, videlicet: Adoratio superiori tribuitur ab inferiore! tali ergo utens termino ipsa nesciebat in Divinis Personis superioritatem ponere hæresim esse! Consequentiam tamen hanc irrationabilem esse hæc arguunt. Primò, quia suspicari non possumus nescisse hanc Virginem inter Divinas Personas ineffabilem æqualitatem, quam pluries in suis scriptis & celebrat, & adorat. Secundò, Notetur adverbium illud, quod addit, *Correlativè*, quod sicut demonstrat mutuum esse inter Divinas Personas honorem, quem sibi ipsis vicissim tribuunt, & ipsa impropriè dixit, *Adorationem*, sic omne prætensæ superioritatis dubium delet. Tertiò, quia si benè animadvertimus *Adoratio* non sumitur semper in significatione Cultûs, & Religionis, sed in alio etiam sensu, quatenus videlicet innuit recognitionem, seu æstimationem alterius excellentiæ; sic Divus Thomas loquens de Nathan, de quo dicitur, quòd Davidem adoravit, hanc interpretatur adorationem, non pro cultu, sed pro simplici honorifico actu, excellentiam Davidis attestante [1]: *Secundùm reverentiam, quæ Personæ excellenti debetur, Nathan adoravit David.* Et Cajetanus observans, quòd Jacob fratrem Esau adoravit, ut habetur in Genesi (2), cui certè subditus non erat, imò a Paterna benedictione constitutus superior, hanc (3) explicat adorationem pro puro æstimationis signo. His addam cum Filliucio, aliisque Doctoribus, Bonaccinam, qui in utroque ex prædictis sensibus sumi posse scribit (4) *Adorationis* vocabulum: *Adoratio est Actus, quo unus alteri se submittit, seu alterum honorat in signum illius excellentiæ*; & testatur Azorius latè sumi hanc dictionem in scripturis; itaut non solùm de cultu, sed etiam de quodam honoris testimonio usurpetur, concludens (5): *Nomen Adorationis in Sacris Literis latè patere.* Suppo-

 sita

(1) 2, 2, *q.* 88, *a.* 1. (2) *C.* 33. (3) *In D. Thom. loc. cit.*
(4) *De Præc. Decal. Disp.* 3, *q.* 1, *P.* 1. (5) *Instit. Mor. lib.* 9, *c.* 5.

Sta igitur hac duplici significatione vocabulo *Adorationis* attributa a Theologis, cur primam usurpemus ignoro; atque ita causam hujus æquivocationis adduco. Æstimatio, seu propriæ excellentiæ ab aliis testata cognitio, ad perfectionem pertinet beatitudinis; parùm etenim delectaret illa, si in possidente velutì sepulta, honoris debito careret testimonio. In Deo igitur, cui nulla potest fœlicitas deficere, hanc glorificationem tenemur admittere. Sed quis potest, qua par est, æstimatione Deum glorificare, cùm nullus infinitas ejus perfectiones valeat comprehendere? Ad hoc ergo, ut hac honoris gloria non careat, jure supponendum illam a Divinis Personis sibi ipsis vicissim attribui; imò tres omnes Divinæ suæ Essentiæ honorem illum, seu æstimationem simplicissimo dare Actu, ut suppleatur in Deo adæquatè glorificando creaturarum omnium defectus. Hoc attendens hæc Virgo, proposuit humili quodam desiderio offerendum Deo honorem illum, & gloriam, quam sibi mutuò Divinæ reddunt Personæ; & hanc in secundo ex dictis sumens sensu, Adorationis nomine expressit, quod ipsa satis innuit addendo clausulam illam: *In lumine Divinæ Essentiæ vestras Divinas cognoscentes perfectiones*. Per quæ verba apertè dignoscitur per ly *Adorationem*, æstimationem, & excellentiæ cognitionem significari, non dependentiam. Ubi utilius crederem non dictionis, sed intentionis vim perpendere, qua Dei gloriam in meditatione & percipi, ut possumus, & ardenter desiderari cupiens hæc Virgo, Divinam hac arte in Anima fortiùs infigit præsentiam. Quod autem non attentiùs perpensa vocabuli proprietate, vice æstimationis nomen *Adorationis* assumat; hoc mea parum interest. Tum quia hanc epistolam non ex Dei infusa luce (ut alia ut plurimum, sunt ejus scripta) sed proprio ingenio, naturalique in meditationibus acquisito lumine scripsit; undè si error adesset, non deberemus falsæ illustrationis accusare, sed muliebri adscribere simplicitati. Tum quia (ut sæpè protestatus sum) non est consilii mei in Virguncula omnimodam tueri verborum proprietatem; sed mihi satis est ex suarum relationum contextu, quo benignè legentibus vera ejus mens apparet, ejusdem scripta ab erroribus contra fidem præsumptis vindicare; atque a Doctorum Auctoritatibus interpretatione desumpta, ostendere, quòd nihil ipsa sensit, quod lectorum Charitas ad Catholicum Ecclesiæ sensum facilè non valeat reducere.

ANI-

ANIMADVERSIO X.

Internus Animæ Status perpenditur, quo hæc Virgo, examini jam subjectas, accepit Intelligentias.

§. I. UT probabiliter, & prudenter possimus discernere, an Intelligentiæ, quas ab Animabus sibi subjectis Directori aliquoties referri contingit, sint verè Divini luminis communicationes, an mera imaginationis figmenta, quod sæpius, & maximè in mulieribus, evenisse experimur; sive, quod deploratiùs esset, Dæmonis artificio, ut faciliùs decipiat, immiscentis veritatem aliquam sibi consuetis mendaciis, seseque transformantis in Angelum lucis. Ad hæc inquam cognitu difficilia, & Discretionis dono secernenda, ultra sedulam, longamque Animadversionem ad Virtutes, his Intelligentiis præcedentes, & effectuum, qui ab ipsis derivantur in Anima, probatam pluries experientiam [de quibus omnibus in Libro Quinto prolixiùs disserui] perutile crediderim, quòd Directores attentiùs judicent de interno Animæ statu, quo ipsa, quas aperit, Divinas sentiebat impressiones. Cùm enim veræ illustrationes non dentur ut plurimùm a Deo, nisi in abstractione a sensibus, aut in Ecstasi, & Raptu, ut Sancta docet Theresia, & hæc practico Patri Spirituali fingere, aut mentiri pronum, & facile non sit, probabiliter saltem, ex perpenso in hisce intelligendis actuali Animæ statu, cujus illa sit ovilis, prudens, & devotus Pastor discernet. Summâ ergo usus est prudentiâ Illustrissimus Spinola, modernus Sarzanæ Episcopus, & hujus Virginis per plures Annos Director, dum ultrà ejusdem Virtutes sibi longa experientia notas, ultrà effectus, quos a Divinis Illustrationibus mirabatur de die in diem semper emanare perfectiores, penetrare etiam voluit internam Spiritus dispositionem eo tempore, quo talibus Intelligentiis ipsa illuminabatur a Deo; atque ob id eamdem sibi diligenter Obedientiæ comminatione voluit describere, & ipsa parens simplici simul, & filiali aperuit confidentia. Ex hoc prodiere relationes, de quibus hucusque disputatum est, quarum, ut magis elucescat Veritas, ego, qui hujus Virginis Virtutes, & earum ex Illustrationibus progressum, jam retuli, nunc interiorem Animæ statum, quo has patiebatur Illustrationes, juxtà prædictam regulam, Sanctorum Auctoritate, certa velutì lance perpendendum putavi. In quo ritè peragendo, duo antecedenter protestari necessarium duxi. Unum, quòd hìc de non vulgaribus, sed de rarò a Divina Bonitate cui vult, & singulari Amore impertitis, loquens elevationibus, altiora ex Mysticis tangere coactus sum; & ægre quidem: timui enim ne, de quibus ad Dei laudem humilis tantùm sumi deberet admiratio, parvulorum audacia, ad similium imitationem præsumat exemplum. Undè caveat, qui hæc legit, quòd non omnia scribuntur omnibus; ac proindè de vasta Divinarum rerum Apotheca, non pretiosiora Pharmaca, sed quæ

sibi

sibi sunt, Spirituali medico dictante, seligat utilia. Secundùm, quòd non spontè, sed jubente necessitate, hanc cæteris addidi Animadversionibus; ne non tactis, quæ sequuntur, difficultatibus, mancus remaneret hic labor; atque appareret me in interpretatione aliquorum quæ maximi momenti sunt, ut rationibus destitutum, defecisse. Animadvertendum siquidem est, quòd in Mysticis explicandis, quæ captum nostrum facilè superant, sicut quædam adhibenda sunt verba, prona ad sinistram ex imperitorum zelo interpretationem (de quo dolet agens de Mystica Areopagitæ Carthusianus) sic mirum non est, quòd Maria Catharina anxietate quadam ducta se sincerè exprimendi in iis, quæ de Divinis in se ipsa operationibus ex Obedientia scribebat, aliquibus usa sit muliebri tenuitate loquendi terminis, ut ejus scripta in cortice, non medullitùs inspicientibus, neque experientia, aut saltem Sanctorum Auctoritate talia metientibus, sinistrè potuerint interpretari, quæ ad examen deducere decrevi; non tamen quòd adeò sim audax, ut de modo talium illuminationum, de quibus plures scripserunt, aliquid præsumam decernere. Scio venerandum esse silentio, cœcaque Obedientia, quòd Pontificia declaravit Auctoritas. Ea solummodò afferam, quæ ad removendam ab hac Virgine propensionis ad damnatas Propositiones censuram, expedire judicavero. Pro quo transcribam periodos illas, quas de se ipsa, & statu Animæ suæ in Divinis communicationibus ipsa refert; & simul eas conferam cum iis, quæ doctiores statuunt Theologi. Si verò vel dicta Mariæ Catharinæ ritè perpenderim, vel Sanctorum Sententias profundè penetraverim, hoc omne illorum, ad quos attinet, judicio relinquam.

§. II. Donetur utique mihi nonnulla hìc repetere, quæ in hac Parte, Libro Secundo, jam dixi; hoc enim utile erit, ut spero, eò quòd doctrinis juxtà dubitationes positis, majori robore veritas elucescat. Falluntur igitur, & toto cœlò a veritatis tramite deviant, qui somniantur in Ecstasi, & Raptibus nihil Animam operari, sed a Deo ut mortuum instrumentum prorsùs agi. Dicitur enim, ut loco citato tetigi, quævis Mystica elevatio, seu mentis suspensio, *Quies*, sed laboriosa; *Silentium*, sed loquax; *Otium*, sed Activum; *Somnus*, sed in quo sopitis inferioribus Potentiis vigilant Deo superiores, quæ sunt cor Animæ: *Ego dormio, & cor meum vigilat*. Verùm tamen est, quòd operationes Animæ in hoc statu, suspendente Deo supernaturali concursu naturalem, & imperfectum nostrum modum agendi, Divinæ potius videntur, quàm humanæ, ut Beatus ait Joannes a Cruce (1): Concurrunt nostræ, verum est, Intellectualesque Virtutes, sed non simpliciter ut Intellectuales, elevatæ potiùs supra se ipsas, & Deiformes, ut testatur Carthusianus (2): *Quamvis in tali ecstatica elevatione vires Intellectuales concurrant, non tamen ut Intellectuales, sed ut Divinæ Deiformes, & altiores se factæ*. Non trahit etenim Intellectus, uti solet in cognoscendo, species intelligibiles a Phantasmatibus sensu acceptis, sed a Divino ipsi infunduntur lumine; atque ob id, quoad principium saltem operandi, Intel-

(1) *Ascens. ad Mont. Carmel. Lib. Tertio, Cap. Primo.* (2) *In Myst. Theol. Areopag. a. 8.*

Intelligentiæ existimantur ab Angelico (1) quodammodo Divinæ: *Sapiens Theologus Visionem illam dicit esse Divinam, quæ fit per similitudines rerum formâ carentium, ex reductione videntium in Divina*. Non errat ergo Maria Catharina, dum in quadam suorum Raptuum relatione ita scribit (2): *Expoliata fui naturali & obscuro meo lumine, & vestita supernaturali, infusaque Dei luce, qua me traxit Deus ad simplicissimam sui Unitatem; meque sua singulari gratia fecit unum Spiritum*. Et alibi clariùs (3): *Amisit meus Spiritus, quantùm ad operationes, se ipsum in supradicto fulgido lumine; & hoc modo se amittere fælicitas est. Essentia Spiritus mei simpliciter remansit unita dictæ luci, quæ emanationis intimæ dictarum notificationum fuit Origo*. Istæ, ut posteà videbimus, sunt in Anima Mysticæ operationes, quibus absortus Spiritus, ut ipsa dicit, in infusa luce, amittit pro tunc naturalem suum agendi modum; idest non cognoscit consueto sibi ratiocinio, sed simplici intuitu, adsimilatus quodammodò Angelicæ cognitioni, ut ait Angelicus. Et in hoc sensu intelligenda sunt illa verba: *Amisit meus Spiritus quantùm ad operationes se ipsum*. Quæ quidem amissio temporanea est, redeunte post Raptum Spiritu ad se ipsum, innatumque sibi cognoscendi modum; quia solummodò Moralis est ista transformatio, quod prudenter cavet hæc Virgo, addens (4): *Remanebam tamen semper in meo esse, & naturali capacitate*. In his limpida apparet ejusdem doctrina, loquitur enim quasi in sensu Divi Thomæ, ac si ejus scita legisset, scribentis (5): *Ex hoc quòd Anima unitur corpori, convenit Animæ naturalis habitudo ad hoc, quòd per conversionem ad phantasmata intelligat. Quod quidem ab ea non aufertur Divina Virtute in Raptu, quia non mutatur status ejus. Manente autem hoc statu aufertur ab Anima actualis conversio ad Phantasmata, & sensibilia, ne impediatur elevatio in id quod excedit omnia Phantasmata*. Notetur tandem proprietas, qua ipsa describit in dictis, & de hac re statim dicendis, nomine *Amissionis* suspensionem Intellectus ex efficacia Divini luminis; qua natura ipsius Intellectus, ut cavet hæc Virgo, non mutatur, sed pro illo temporis momento suspenditur; & cognoscemus intellexisse illam, quod de ecstaticis hisce elevationibus sentit Cardinalis Bona (6): *Clarè, & distinctè hujusmodi species in Intellectu imprimuntur; nullo ejus Actu interveniente, nisi quòd in se recipit Divinas operationes*.

§. III. Sufficerent forsitan ad enodandas difficultates in hujuscemodi scriptis oppositas, quæ hucusque notavimus. Verùm quia de Mysticis facilè remanet obscura descriptio, multisque dubiis obnoxia, ut de hac re in explicandis dictis hujus Virginis tuta a dubiis secernamus, aliquantisper in hoc mihi libet immorari. Controversa acriter inter Mysticos lis est, an in Ecstasi, & Raptu, operentur, vel non operentur animæ potentiæ, superiores scilicet, nam inferiores suspendi omnes confitentur. Quam opinionum oppositam varietatem ego discernere non audeo; studebo tamen inspectis Theologorum doctrinis, pro intellectûs mei modulo ad solam sententiarum hujus Virginis necessariam interpretatio-

(1) 2, 2, *q.* 173, *a.* 1. (2) *Sup. Par.* 1, *c.* 5, §. 3. [3] *Ibidem infra*. (4) *Ibidem*. (5) 2, 2, *q.* 175, *a.* 6. (6) *De Discr. Spir. c.* 18, *num.* 1.

tationem conciliare. Memoria recolamus Divinas illustrationes, seu intelligentias, communicationesve, in Intellectu simul, & voluntate recipi, cùm in his duabus Potentiis operetur Donum Sapientiæ, quod in Libro Quinto satis probavimus; ac proindè de modo, quo in tali statu utraque operetur potentia, est hujus disputationis objectum, & ut de Intellectu, voluntatem semper præcedente, primò loquamur. Sciunt Eruditi Intellectum, quoad partem illam, qua dicitur *Possibilis*, duas habere facultates. Una respicit ratiocinium, seu discursum, quo componendo, & dividendo species a Phantasmatibus abstractas, mediis præmissis ad consequentiam, in qua sistit formalis cognitio, quasi per circuitus pervenit. Altera Intelligentia vocatur; qua lumine sibi a Deo vel in primis principiis naturaliter indito, vel in Divinis particulari gratiâ communicato, vel aucto, simplici intuitu, veritatem conspicit, illaque fruitur. Sic loquitur Carthusianus (1): *Ratio, & intellectus sunt una vis Animæ; sed differunt actu, & ratione. Dicitur enim ratio ut Discursiva; intellectus, prout simpliciter intuetur veritatem*. Ex his duabus facultatibus, ratio, & discursus suspenduntur, & parum, vel nihil valent, in infusa Attributorum, & Trinitatis contemplatione, sed fere totum Intelligentia, concomitante tamen amore, perficitur. Perpendamus Divi Augustini, sivè alterius libri de Spiritu & Anima auctoris, utilem, imò necessariam de hoc in tres classes distinctionem. Prima est rerum sensibilium, ut si ex creaturis studeat Anima ad Creatorem ascendere; & hæc rationi subjicitur. Secunda fit optante Anima per meditationem, vel virtutes adipisci, vel vitia superare; & hæc est secundùm rationem, qua ratio, fide illuminata, quæ conveniunt, & disconveniunt, discutit. Tertia tandem sistit in contemplatione Divinarum perfectionum, ubi ratiocinio succedit pura æternæ veritatis apprehensio, earumque magnitudine absortus intellectus, ipso stupore allucinante, vim naturalis discursus amittit pro illo tempore; & hæc dicitur esse supra rationem (2): *Quædam sunt infra rationem, ut sensibilia; quædam juxtà rationem, ut vera & falsa, justa & injusta; quædam supra rationem, quæ nec sensus docet, nec ratio persuadet, sed vel Divina revelatione comprehenduntur, vel auctoritate Divinarum Scripturarum creduntur*. In hac igitur tertia contemplationis classe infunduntur multoties a Deo sublimium Mysteriorum Intelligentiæ, in quibus humana deficit ratio, apprehensa siquidem firmiter revelatorum per fidem a Deo, infallibili veritate, cessat per discursus circuitum omnis alia inquisitio, eique succedit fixus quidam obtutus, quo Intellectus Divino raptus lumine veritates sibi impressas admiratione intuetur, firmoque adorat assensu. Ita docet Angelicus, asserens quòd ad Contemplationem *Infusam* Anima non pervenit, nisi omnibus expoliata rebus exterioribus, & sensibilibus, relinquat ulterius in apprehensione Divinæ veritatis circuitus omnes sibi naturalis, imperfectique discursus (3): *Anima antequam ad istam uniformitatem perveniat, exigitur, ut duplex difformitas amoveatur; prima, quæ est ex diversitate exteriorum rerum, prout*

(1) *In Areopag. de Div. Nom. cap. 1, a. 1.* (2) *De Spiritu, & An.*
(3) *2, 2, q. 180, a. 6.*

ut scilicet relinquit exteriora ; secunda, quæ est per discursum rationis, & hoc contingit secundum quod omnes operationes Animæ reducuntur ad simplicem contemplationem intelligibilis veritatis (& clarius subdit (1) *cessante discursu figitur Animæ intuitus in contemplatione unius simplicis veritatis*. Et ecce quomodo in Ecstasi, seu raptu Anima dicatur non operari, ideft intellectus agens non abstrahit a Phantasmatibus species, quas in tali statu infundit Deus ; & possibilis super sibi donatas cognitiones discursu non movetur (quamvis activitatem suam nec diu amittat ad deducendum ex eis simplices aliquas consequentias ad humilitatem, gratitudinem, amoremque directas) sed eas intuetur, confitetur, admiratione colit, firmo tamen nisu, sine scilicet ratiocinii circulo, & labore ; sic loquitur (2) eruditus Pater Gravina alibi a me citatus ; sic scribit Beatus Joannes a Cruce (3), affirmans intelligentias recipi passivè ; atque ob id non debere Intellectum eis immiscere aliquid sui, sed recipere, & gratanter Divini Amoris impressionibus assentiri. Sic Suarez, concludens quòd quando Anima ad infusam contemplationem a Spiritu Sancto movetur, nihil debet, naturali quadam aliquid agendi impatientiâ, quod agentem impediat Dei ductum, propriæ, & arbitrariæ considerationis inserere (4): *Cùm animus in altissima contemplatione a Spiritu Sancto movetur, non debet aliquid actionis propriæ immiscere, sed Spiritus Sancti ductum sequi, quamvis id non faciat sine vera efficientia, & cooperatione*. In hoc sensu sumenda sunt Sanctæ Theresiæ dicta (5) : *In tali statu anima nihil operatur, nec quomodo fruatur intelligit* (& rursus in Mystica Theologia [6]) : *Deserit Intellectus suas operationes, quia a Deo suspenditur* (sicut alibi (7)) : *Intellectus, uti credo, non operatur, quamvis non deperditur, sed attonitus remaneat de iis, quæ intelligit ; vult enim Deus ut cognoscat, quòd eorum, quæ ei Deus repræsentat, nihil intelligat*. Quæ omnia interpretanda sunt, quòd Intellectus non operatur, non intelligit, modo scilicet humano, nobisque naturali, trahendo illationes ex præmissis, vel seipsum certum reddens, uti solet, de cognitis innato sui ratiocinii lumine. Et tali pacto pariter intelligenda sunt, quæ de modo percipiendi ecstaticas Intelligentias, scribit hæc Virgo. Otium, Silentium, Somnus, de quibus ipsa loquitur, & aliqui de damnata ab omni opere cessatione fortè usurparent, nil aliud innuunt, quàm supra descriptam Intellectûs a consueto sibi discursu suspensionem, quæ tantò est sublimior, quantò minus imperfecta nostra cognoscendi consuetudine commiscetur, ut ait Mellifluus (8) : *Eò certè defæcatior, & purior, quò in ea de proprio nihil jam admistum relinquitur, eò suavior, & dulcior, quò tantum Divinum est quod sentitur*. Faxit Deus, ut scrupulosæ suspicioni amabilis medeatur experientia, qua discamus, in sensu jam expresso, hoc *tacere* esse ; Potentiis amore suspensis, audire Cœlestem Sponsum, juxta anxium Divi Augustini desiderium (9) : *Ipsa tibi Anima sileat, & transeat se non cogitando ; sileant imaginariæ revelatio-*

Pp *nes,*

(1) *Ibidem ad 2.* [2] *Lap. Lydio, lib. 2, cap. 6.* (3) *In Ascensu ad Mont. Carmel. lib. 2, c. 32.* (4) *De Relig. Tom. 2, lib. 3, cap. 12, num. 19.* [5] *Itinere ad Perfect. cap. 25.* (6) *Sua Vita, cap. 5.* (7) *Sua Vita, c. 10.* (8) *De Dilig. Deo.* [9] *Confess. lib. 9, cap. 10.*

res, & omnia Signa, & quidquid transeundo fit; & loquatur ipse solus, ipsum, quem in his amamus, ipsum sine his audiamus.

§. IV. Ociatur ergò hisce mysticis Elevationibus Intellectus, si de prima agamus sua facultate, nempe discursu; operatur verò, & vehementissimè, si attendamus secundam, quæ est simplex infusæ veritatis intuitus, idest intelligentia; hæc est enim vis quædam a Deo menti tributa, quæ ut altior cæteris intellectivis potentiis, quippe quæ a Phantasmatibus absoluta, apex & summitas vocatur Animæ, atque in ipsa Deo immediatè, sine scilicet discursus auxilio, se subjicit Anima; dum elevata Dono intellectus, in cognitionibus quas, ei participat Divina Bonitas, se firmiter figit, eas profunde penetrat, quantum Viatoribus fas est, vel ei lux superior concedit; & confidenti quadam humilitate æternas Veritates percipit, & adorat. Quapropter in ipsa, utpotè a contagio nostræ terræ cæteris potentiis magis remota, loquitur, operatur Deus, & quasi inhabitat. *Intelligentia* (scribit Auctor libri de Spiritu, & Anima) *est vis Animæ, quæ immediatè Deo supponitur; cernit siquidem ipsum, & quæ in ipso sunt*. Vacante igitur, suspensaque prima, non ociatur hæc secunda Intellectûs facultas; imo vehementissimè in ipso raptu circa communicatas operatur Veritas. Hac siquidem Anima Donis Sancti Spiritus elevata, se a cunctis segregat sensibilibus, & circa Divina, quæ ipsi in tali statu revelare vult Deus, immobili quadam mobilitate, & spirituali quasi se movet circulo; ideft manens in Deo veluti in Centro, ab uno ad aliud de Divinis Attributis Mysticè circuit; in quo *Motus* consistit *Circularis*, quem Areopagita (1) perfectæ, & infusæ adscribit contemplationi. Dicitur autem *Motus*, ut intelligatur non esse Mysticam Theologiam inutile ocium, aut animi stuporem, sed realem ferventissimam operationem, qua mens, supra se ipsam ascendens, in Deo vehementissimè figitur; & in hoc sensu loquitur Divus Thomas (2): *A se omnia sensibilia abjicit supra omnia Deum cogitans, & etiam supra se ipsum; & sic ab omni difformitate separatur, & hic est motus circularis*. Si autem modus taliter agendi sit vera, sed supernaturalis Intellectûs operatio, Doctoribus, & maxime expertis, judicandum relinquo; & ut clariùs scripta hujus Virginis a suspicionibus vindicentur, transeo ad demonstrandum ad praxim, quomodo hæc operatio animæ in his divinis communicationibus contingat. Dupliciter considerari potest Ecstasis, & maximè Raptus. In initio scilicet, quando a Deo veluti vocari se sentit anima; & in progressu, quando ab infusa luce jam investita est, & suspensa, seipsam non debere animam sponte sua ad mystica elevare, suasque potentias suspendere, sed expectare Dei invitantis motum, & quasi vocem, in hac parte lib. 2 jam fusè probatum est. Dato igitur, quòd, approbantibus suis Directoribus, cognoscat Anima se a Deo vocari, quod dico Elevationis initium, & est quædam interior influentia, quæ mentem attrahit, non debet ociose, e fœminili quadam debilitate, aut pigritiâ, veluti in deliquio se destituere, sed opus est, ut humilitate vocanti respondeat, & se, quantùm potest, a sensibilibus, & Phantasticis segreget, mentisque intuitum

(1) *De Div. Nom.* (2) *In D. Dionys.*

tuitum ad invitantem Deum nitatur attollere; juxtà illud, quod alibi attulimus; Animam videlicet ad Deum ascendere, Deum verò ad ipsam descendere. Et hæc est prima operatio, qua Deo, ipsam elevare incipienti, cooperatur Anima, quam apertè docet Dionysius ascensionem mentis ad Deum, verbis actionem innuentibus describens (1): *Sedantes intellectuales operationes, ad supersubstantialem radicem, secundùm quod fas est, nos immittimus*. Eamdem exprimit Augustinus, sive quivis alter eruditus, & pius certè auctor, uti necessaria ad Divina contemplanda præventione (2): *Anima cùm vult intelligere Deum vel se ipsam suasque virtutes abstrahit se ab omnibus corporeis sensibus spiritu, ac ratione se cognoscit, meditatione & contemplatione in Deum ascendit*. Ipsam Divus suadet Bonaventura, jubens Animæ ad Deum ex interno ejusdem vocantis motu, anhelanti, se totam, quod sine laboriosa sæpius actione fieri non potest, in Deum, colligere [3]: *Ut se totam recolligat in Deum intra cor suum, & intima cordis ingrediens, se resolvat in Deum, & nihil videat, nihil sentiat, nisi in Deum*. Et ecce quomodo in elevationis initio mens non otiosa dormit, sed ad Dei vocem evigilans, cooperatione vocanti respondet. Hoc verò quàm sedulò compleret Maria Catharina, ex multis suis relationibus, ubi semper propriæ mentis testatur ad superna Divino ducente auxilio, laboriosam præmisisse conversionem, satis constat [4]: *Dixit mihi Æternus Pater, eleva tuum intellectum ad me, tuam semitam, tuam lucem, quia tibi volo umbram mearum perfectionum ostendere*. (En quod non spontè audebat, sed vocata ad altiora ascendere contemplanda) [5]: *Erant hæc verba quasi tela dulcis amoris, admirationis, reverentiæ, timoris, meorum peccatorum cognitionis, & mei ipsius annihilationis, itaut vix recognoscerem me ipsam, & sic tremens ad ipsum meam elevavi mentem, &c.* Si has ritè perpendamus periodos, cognoscemus hanc Virginem in initio infusæ elevationis non insensatâ ociari desidia, sed operosâ sedulitate, multarumque virtutum exercitio, Deo vocanti correspondere consuevisse; juxta id, quod ex Sanctorum Sententia jam demonstravimus. In progressu autem ecstaticæ communicationis quomodo operetur Intellectus, captu quidem difficilius est, meamque trascendens capacitatem. Operatur certe tamen, sed ea, qua secretissima, intimaque spiritus actione, in Libro quinto, sicuti & in præcedenti paragrapho, ut potui, nisus sum describere. Hic tamen addam, quòd Divina lux totam possidens, & suspendens Animam, ei licentiam concedit, viresque impertitur, ut simul se ipsam, suasque miserias, quibus ad humilitatem, gratitudinem, & similia excitatur, non quidem cogitare, sed infuso radio valeat profundè cognoscere. Dixi, *non cogitare*, ut excluderem discursum, & imaginariam ad se ipsam, suosque actus reflexionem, quæ omnia impedirent Dei motum, & operationem in Anima, ut prudenter notavit Suarez (6): *Contingit ut cùm Anima fertur in Deum per amorem, si occupatur circa se ipsam, & circa suos actus, quasi reflectendo supra illos, & cogitando quid agat, distrahatur, & tepescat in amore Dei*. Non igitur otiosus remanet Intellectus;

[1] *De Div. nom. c. 1.* [2] *Lib. de Spirit. & Anima.* [3] *De Stimul. Div. Amor. p. 1, c. 7.* [4] *Sup. par. 1, §. 1.* [5] *Ibidem.* [6] *Loc. cit.*

lectus; operatur verè, sed quænam sit supra phantasiam, & rationem, ejus actio, fateor, quòd distinctè penetrare nec possum, nec audeo. Supernaturalis siquidem, & quasi Divina ejus est operatio. Hoc unum apud Doctores lego, ejusdem activitatem in tali statu ad humilitatem, stuporem, assensum, atque ad unionem cum Deo, aspirationem, & nisum, coarctari, ut aliàs a me citatus sentit Ugo de Sancto Victore (1): Suppositis igitur, quæ hucusque ex probatis auctoribus retuli, quare, precor, dicta huius Virginis, quæ de prima Intellectus in ecstasi suspensa discursus facultate interpretanda essent, de secunda incautè usurpantes, quia phantasticas, & discursivas se in Raptu, mysticisve elevationibus, non habuisse refert actiones, otiositatis, & damnatæ ab omni opere cessationis audebimus injuriosè culpare? Transcribamus hic aliqua de ejus in hac re magis observatis relationibus, ut clarius pateat, an Sanctorum sententiis jam supra allatis respondeant. *Comprehendi* [scribit illa (2) hoc totum de Augustissimæ Triadis intelligentiis] *absque eò quòd intellectus meus a sensibilibus objectis species sumeret, sed erat totaliter formis, imaginibusque corporeis vacuus, & immediatè illustratus a Deo spiritualibus Divinisque formis, replente intimè Deo se ipso Animam meam*; (& paulò post) *rebus exterioribus applicare mentem non poteram, quia perfectè abstracta ab occupatione vilium, terrenarum harum rerum, & incessanter in Deo fixa ecstasi admirationis, & amoris.* Conferantur hæc cum iis, quæ in hac parte libri secundi, de raptu loquens, retuli, & insuper, quæ in duobus præcedentibus Paragraphis ex Doctorum sententia conscripsi, & videatur an damnari possint dicta, quæ tot consonant Sanctorum, & Mysticorum auctoritatibus. Quòd si ista vel non satisfaciunt, vel a me non ritè penetrata creduntur, legat, oro, benignus Lector, quæ de his sublimioribus Animarum elevationibus sentiant duo pii, sapientesque Cardinales, Bona de Discretione Spirituum, & Lauría de Oratione; & videbunt in hisce non operari quidem Intellectum suo modo naturali, & humano, idest Phantasiâ species subministrante, vel consequentias ratione venante, quod clarè exprimit hæc Virgo; operari tamen, & vehementissimè, (quod ipsa pluries de se testatur) jam supra descripta a nobis intelligentia; qua anima a Deo elevata, veritates sibi communicatas nuda, simplicique, sed fortissima percipit apprehensione. Qui intelligendi verè mirabilis modus in tali statu approbatur a Divo Thoma [3], atque Angelorum intellectioni, quantum patitur viatorum conditio, celebratur simillimus.

§. V. Otiatur igitur in primo modo Intellectus, operatur in secundo; & sic oppositæ operari, aut non operari conciliantur opiniones. At non accidit hoc in Voluntate, quæ in initio, progressu, & fine Divinarum Illustrationum semper agit vel remissiùs, vel fortiùs, secundùm quòd augetur, vel minuitur infusa lux, quæ in Intellectu diversimodè respondens, in Voluntate varium causat ardorem. Imò ad hoc collimant supernaturales, quæ a Deo dantur, Intelligentiæ, ut scilicet singulari, supernaturalique dono cognitionis correspondeat in Anima ardens

(1) *Lib. 2 de Anim. c. 2.* (2) *Sup. par. 1, c. 4, §. 5.* (3) *2, 2, q. 171, a. 2, & alibi.*

dens fervor Charitatis; nec fieri potest, ut si vera est sapientiæ communicatio in Intellectu, non accendatur Spiritus Sancti ignis in Voluntate. Hoc erit apud Directores veræ Ecstasis, aut Raptus argumentum; si videlicet experiamur in Spiritu eorum, qui ista patiuntur, tum Dei, tum proximorum ardere actuosam, ferventemque Charitatis flammam. Cujus rei ratio est, quia tales Divinæ communicationes non dantur in Anima, quin fiat in ea invisibilis Divini Verbi Missio; sed Verbum non mittitur, quin simul mittatur invisibiliter & Paraclitus, ut docet Divus Thomas (1). Ergo non dabitur in Anima Ecstasis Intellectûs sine concomitante in Voluntate Ecstasi Amoris. Verum tamen est, quòd in hac vita cognitioni præeminet Amor; & ipse est, qui illuminat ad penetrandum ea, ad quæ Intellectus non valeret pertingere, ut de Angelici mente in Libro Quinto, Animadversione Quarta, probatum est, & longiùs idem Doctor demonstrat. Duæ (ait ipse) sunt facultates, quibus res intelligibiles valemus cognoscere. Una est Intelligentia, de qua supra dictum est, quæ pertingere potest ad notitiam rerum Spiritualium, quæ captum nostrum non transcendunt, non tamen ad perfectè contemplanda Arcana pervenit, & Divina, sine altera, quæ *Unitio* quædam est Animæ cum Deo, qua, mediante fide, simul & gratia, ad notitiam pervenimus eorum, quæ Divina Deus nobis proponit. Hac igitur *Unitione*, concludit Sanctus Doctor, communicatas nobis Intelligentias percipimus, & pro dato lumine penetramus [2]: *Oportet ergo, ut intelligamus Divina secundùm hanc Unitionem, non trahendo Divina ad ea, quæ sunt secundùm nos, sed magis nos totos statuentes supra nos in Deum; ita ut per dictam Unitionem totaliter deiformemur*. Non se explicat Angelicus, quid per dictam Unitionem intelligat; sed si observemus, quòd ejus nomine sumit formatam fidem, idest Fidem, quæ per Charitatem operatur, intelligemus in hac Unitione Amorem innui, cujus opus est deificare, transformare scilicet Animam amantem in Deum amatum. Et revera ad quid elevatæ Intelligentiæ, nisi ex illis augeretur Charitas? Undè Beatus Joannes a Cruce (3) docet in statu, de quo loquimur, Passivitatis, non debere Animam in Imaginibus, & loquutionibus immorari, sed transire ad sensus Amoris, qui ab iisdem, si verè a Deo sunt, semper derivant. Cognitio siquidem Amorem suscitat, & vicissim Amor ad clariorem cognitionem anhelat; itaut mirabili vicissitudine, quantò magis cognoscitur, tantò ardentiùs ametur; quantò ardentiùs amatur, tantò cognoscatur profundiùs; ita taliter, ut contingat quòd Sancta observavit Theresia (4): *Anima tunc totam se impendit in eo amando, quem cognoscere studuit. Amat quod non comprehendit, & fruitur eo, quo frui non potuisset, nisi perdidisset se ipsam, ut magis se lucraretur*. Enigmati similia sunt hæc verba, facilè tamen explicabilia, si animadvertamus Amorem esse prædominantem in Anima passionem, cui cæteræ omnes obediunt; ac proinde illo imperante, istæ quasi deperduntur, & obmutescunt. Hinc fit quòd quando fervens, & ecstaticus Amor, qui effectus est Doni Sapientiæ, & in quo terminat Intellectus humilis admira-

(1) 1, q. 82, a. 4. (2) *In Dionys. de Div. Nom. c. 7, §. 1, lect. 1.*
(3) *Nott. Obsc. lib. 1, cap. 19.* [4] *Sua Vita, cap. 22.*

miratio, obscuraque cognitio, profundè Voluntatem possedit hæc Potentia, quæ aliarum est domina, cœteras tanta Spirituum violentiâ rapiat, ut non tantummodò inferiores vires Animæ omninò sileant, sed & ipse Intellectus agendi robur videatur amittere. De hoc in Libro Quinto, jam citata Animadversione, satis dixi; hic tantummodò a demonstratis in proposito nostro illationem addam. Si Voluntati liberi omnes obediunt Animæ motus, quid mirum, si quando ipsa ardenter amat, & maximè si amato potiri anxia, sanctaque impatientia gestit, cœteras omnes Animæ vires absorbeat, parumque Intellectui relinquat vigoris ad advertendum ad id quod intelligit; remaneatque Amoris vi præpeditus, atque suspensus? Hoc etiam in terreno, impuroque amore aliquoties evenire experimur; qui si nimis est impetuosus, amantem stupidum, suique immemorem reddit. Cur ergò hoc non accidat in Divina Charitate; quæ cùm nobilior sit, fortiùs Voluntatem rapit, & tunc peculiariter, cùm eam Divinus Spiritus vehementioribus influentiis accendit? Quo tempore non desinit quidem omninò Intellectus Voluntati repræsentare communicatas, quas Divinitus præhabuit, cognitiones, quasi ligna, quæ semper majus Charitatis nutriant incendium; undè dici verè, quòd non operetur, non potest, sed quasi enervis ob applicationem totius Animæ ad amandum, agit ita remissè, ut apud activitatem, qua Anima fortissimè diligit, quasi non operari videatur. Confirmat id omne Gilibertus Abbas, qui commentans verba illa cœlestis Sponsæ [1]: *Per noctem quæsivi quem diligit Anima mea*, per noctem sumit obscuritatem quamdam Intellectus, perdurante Ecstasi in stupore, suspensi, & putat hanc Mysticam noctem provenire ab Amore, qui trahens ad se omnem Animæ attentionem efficit, ut ipsa, cujuscumque alterius cogitationis immemor, tota sit in Amati dilectione, & desiderio (2): *Dilectio ipsa hanc noctem inducit, quæ reliqua omnia nec respicit, nec notare putat, dum ad illum quem diligit intenta suspirat.*

§. VI. Ex iis, quæ hucusque in hac Animadversione exarata sunt, videt absque dubio prudens lector in hoc consilii mei rationem stetisse, ut ab hac Virgine de damnata operandi in Mysticis cessatione, omnem propulsarem suspicionem, ostendens Intellectus suspensionem, quam ipsa suis Directoribus fatetur, effectum fuisse a Deo communicati luminis, & provenisse simul ab ecstatico Divini Amoris excessu. Et revera, quòd in suis Raptibus, & Intelligentiis abundans superioris lucis infusio, menti ejus effluxerit, satis innuunt mira, simplicisque Mulierculæ non naturalia, quæ scribit, Divinitatis Mysteria. Quòd verò ex acceptis Intelligentiis ardentissimæ hauriret Charitatis, tum in Deum, tum in proximos violentiam, ex sæpiùs recensitis, in præcedentibus Libris abundè constat; & ex ejus patet relationibus, quas hic iteratò transcribere tædiosum nimis esset. Aliquas tamen in cæterarum exemplar hic afferam. Non miretur quisquam si hæc Virgo, post elevatas, sublimioresque quasdam Illustrationes, tamquam illarum effectum, hoc ipsa refert [3]: *Taliter eram deificata ex Unione purissimi Amoris cum Deo, ut aspirare non possem ad volendum, vel nolendum, nisi quod Deus sua adorabilis*

(1) Cant. 3, 1. (2) Ibid. (3) Sup. Par. 1, cap. 4, §. 5.

lis Voluntatis effectu, meo inspirabat Intellectui. Quòd etenim Anima cum Deo Amoris Unione quodammodo deificetur, jam in præcedentibus Animadversionibus, ex communi apud Mysticos loquendi usu, didicimus. Quòd autem ad volendum, vel nolendum nisi id, ad quod Deus Animam movet, Intellectum impellat Amor, remanente Spiritu ad alia omnia tunc temporis, Charitate vires omnes internas ad se trahente, suspenso; difficile non videbitur scientibus Divinum Amorem eo momento, maximè quo ecstaticè infunditur, Animam quodam quasi liberæ, & voluntariæ necessitatis vinculo, taliter stringere, & occupare in Amato, ut aliud extrà illum, perseverante tamen Divino illo influxu, non possit nec cogitare, nec velle: *Anima* [scribit Sancta Theresia] [1], *verè remanet velutì sine sensu, impotens aliud cogitandi etiamsi velit*. Et expressius Ugo a Sancto Victore nos monet, quòd in tali statu, dum infusæ Charitatis influentia perseverat, totus in amando occupatur Spiritus; adeòut elevatus supra se ipsum, sui, & anxietatis, quam consueverat habere de suo Spirituali progressu, quodammodò obliviscatur (2): *Pura oratio est, quando ex Amoris abundantia mens ita accenditur, ut cùm se ad Deum postulatura convertit, præ Amoris magnitudine etiam petitionis suæ obliviscatur; & dum Amore ejus perfrui vehementer concupiscit, totamque se illi vacare desiderat, etiam, pro qua venit, curam libenter postportat*. Quis credere renuat id, quod eadem refert, se nempe aliquoties, dum eam ecstatica suspendebat elevatio, stetisse aliquo temporis spatio (3) *Absque Phantasmatum perturbatione, aut distractione mentis, sed semper in eadem applicatione fixam*. Et paulò infra: *Fruebar experimentali Dei præsentia, absque eò quòd Imaginativæ meæ vim aliquam facerem; & sinè arte acquisita, non laborabam, ut perseverarem in excessu, & Unione mentis cum Deo, quem tranquillissimo amabam silentio, absque eò quòd verbum aliquod proferre possem, amittente meo Spiritu se totum in altissima ad Divina Attributa introductione*. Quis inquam ista, quia mirabilia, timeat ut suspecta, si observavit quæ supra diximus, de Intellectu ab excessu Divini luminis absorto, & Voluntate a vi Divini Amoris liberè revincta? Si legit in Sanctæ Theresiæ scriptis, quòd in Raptibus ferè nihil de proprio Spiritus operatur arbitrio; & principalis ejus actio est Deo ipsi moventi assentiri humiliter, & obedire? Si notavit, quod Beatus docet Joannes a Cruce, in infusa videlicet contemplatione nil posse Phantasmata, & discursum, sed totum agi Intelligentia, Admiratione, & Amore? Quis de Mariæ Catharinæ descripta in Divinis Communicationibus, qua fruebatur, tranquillitate, & silentio, suspicari poterit, si animadvertat ad consilium, quod Animæ in tali statu positæ dedit Sanctus Franciscus Salesius, scribens [4]: *Quando eris, mi care Theotime, in hac simplici, & pura confidentia Deo proximus, ibi siste, absque aliquo motu; nec facias Intellectus, & Voluntatis sensibiles actus. Quia iste Amor simplicis confidentiæ, iste Spiritus sopor inter Salvatoris brachia, omni eo excellenter æquivalet, quod tu pro tua gestires facere delectatione?* Quis tandem damnatæ Quietistarum doctrinæ ream

(1) *Castro Inter. Mans.* 5, *cap.* 11. [2] *De modo orandi*, *cap.* 2.
(3) *Sup. Par.* 1, *c.* 4, §. 5. (4) *Tract. de Div. Am. P.* 1, *lib.* 6, *c.* 8.

ream sistere audebit, eò quòd in aliquibus suarum relationum periodis, se dicat in statu extraordinariæ elevationis sui ipsius immemorem? Cogitet hoc suspicans, quòd Ecstasis penès Doctores dicitur Mysticus Animæ a se ipsa egressus, itaut quasi ebria generoso Charitatis Vino, operetur quidem; sed quomodo operetur, nec intelligat, nec reflectat, ut Sancta ait Theresia (1): *Voluntas occupatur quidem in amando, sed non intelligit quomodo amet: Intellectus, si intelligit, quod intelligat non cognoscit, non potest saltem comprehendere ea, quæ intelligit*. Videat insuper qui hanc Virginem condemnare gestiret, ne condemnandi pariter Sanctos Doctores, quos supra retulimus, se exponat periculo, & Divum præcipuè Augustinum, qui jam dictam sui ipsius oblivionem in tali statu ardenti adscribit Amori, quem infinita Dei meretur Amabilitas. Qui Amor omnem alium Amorem, omne etiam sanctum desiderium non tollit verè ab Anima, sed pro illo tempore, quo actualiter ecstaticè afficit, ad se trahit, atque suspendit; vult enim tunc solus amari, & propter se ipsum amari (2): *Amandus est Deus pro Amore ejus, itaut, si fieri potest, nos ipsos obliviscamur*. Concludamus igitur a damnatis Pseudoquietistarum opinionibus mentem hujus Virginis abhorrere; scriptaque ejus, si benè perpendantur, penitùs esse aliena. Tum quia jubebant illi arbitrarias, audacesque suspensiones; ipsa ex opposito non loquitur nisi de illis suspensionibus, quas Anima non spontè quærit, sed in eis a Deo vocata patitur humiliter, & obedit. Tum quia prohibebant illi quamcumque Spiritus cooperationem; hæc e contra in Illustrationibus, non quidem ratiocinium, perceptionem tamen, admirationem, Adorationem admittit; quibus verè Intellectus operatur, operabatur in ipsa, & Voluntas intensoque ab Intelligentiis elevabatur Amore. Ex quo infertur, quòd si suspicarentur aliqui in ejus dictis quoad cessationem ab actibus in infusa contemplatione affinem damnatis opinionibus mentem, objiciendum, quòd accusantibus de consimili errore Sanctæ Theresiæ libros, responderunt Sacri Tribunalis Qualificatores, hanc videlicet meram esse calumniam; quia ipsius verus sensus est, quòd in Ecstasi, & Raptu, infusaque contemplatione (3) *Intellectus per fidem tunc instruitur, & Voluntas per Charitatem Deo fruitur*.

ANI-

(1) *Sua Vita*, *cap.* 18. (2) *De Verbis Dom. Serm.* 54.
(3) *In Annal. Discalceat. lib.* 2, *cap.* 49.

ANIMADVERSIO ULTIMA.

Explicatur Epiſtola quædam, in qua de Contemplatione acquiſita hæc Virgo loquitur.

§. I. UT omnes fugentur ſuſpicionum nubes, quæ in Mariæ Catharinæ ſcriptis caliginem quamdam non ſanæ doctrinæ legentium oculis ſuffundere poſſent, nil mihi jam Animadverſione ſupereſt dignum, quàm Epiſtola quædam, quæ ſola in omnibus, quæ ſcripſit, facilè cenſeretur dogmatica. Solam dixi, quia ſumma, humilique cautela loqui de rebus altioribus, niſi iis, qui eam dirigebat, religioſè cavebat, ſuumque coarctabat zelum in ſuadendo iis, qui vel ſecum domeſticè converſabantur, vel illam ſpiritualis conſilii ergo adibant, timorem, & amorem Dei, Divinæ Præſentiæ memoriam, virtutum ſtudium, & ſimilia, quæ Virginem, ſuæ vilitatis conſciam, ſed Dei amantem non dedecent; in hac unica Epiſtola, quam ex obedientia devotè transmiſit Animæ, docet modum, quo elevari debeat opportunè Anima ad contemplationem, non quidem *Infuſam*, (non enim de Myſticis ita erat ignara, ut de hac neſciret, utpotè non ab ulla arte, ſed a ſolo Spiritus Sancti Dono ſimul, & motu, expectanda, poſitivas leges dare ſupervacaneum eſſe, non minus quàm audax) ſed tantummodo de *Acquiſita*, ut in contextu clarè dignoſcitur; pro qua adipiſcenda plures vias Myſtici docuere Doctores. Ut hæc igitur juſto ſubjiciatur examini (quod facile erit ſi demonſtrata a me in Lib. quinto, & Lib. ſexto Paragraphis præcedentibus memoria recolantur) opportunum mihi videtur, ut eam integrè, & qualem de ejus calamo exivit tranſcribam, quod de aliis ejus ſcriptis, mutilata ſolummodo ferens fragmenta, non feci; & hoc ut contextus ipſe ad clariorem interpretationem lucem præbeat & diſtinctim omnia ejus dicta rigoroſam ponantur ad lancem. Scribit ergo ipſa cuidam longo jam tempore in meditatione, mortificatione, ſtudioque virtutum exercitato (1), & judicans jam ejusdem profectui opportunum, ut ad *Acquiſitam* ſe transferret contemplationem, in qua perfici debet quæcumque utilis meditatio; ut in Libro quinto, Animadvers. prima, longiùs Sanctorum Patrum mente jam demonſtravimus; ſic inquit: *Jam tempus eſt, ut poſt exercitia vitæ activæ, te vertas ad interna tutiora, & proximiora ſaluti*. Obſervemus hic non præcipitanter, & in ipſo initio converſionis Animæ ad Deum, hortari hanc Virginem, ut ad Divinorum contemplationem immaturè tentet evolare Anima, quod impii jubebant Quietiſtæ; ſed longo temporis intervallo, purgato jam per aſſiduam meditationem ſpiritu, ad Deum modeſtè ſuadet aſcendat, quod docent verba illa, *Jam tempus eſt*. Notemus inſuper, quòd loco citato jam probavimus, indiſpenſabilis neceſſitatis eſſe, ut in eo, qui ad Contemplationem

(1) *Sup. par. 1, c. 4, §. 2.*

tionem etiam *Activam* fructuosè aspirare desiderat, præcedant opportunæ præparationes, virtutum nempe meditatio, in eis acquirendis labor, &, quantum possibile nobis est, a malis habitibus, passionibus, affectibusque terrenis, perfecta cordis purgatio; sine quibus velle contemplativum fieri periculosus error esset, in quem Maria Catharina non cecidit, Divino noscens lumine purgativam illuminativæ, in qua *Acquisita* exercetur contemplatio, præcedere debere; ut Divus docet Isidorus (1): *In activa vita prius per exercitium boni operis cuncta exhaurienda sunt vitia, ut in contemplativa, jam pura mentis acie, ad contemplandum Divinum lumen quisque pertranseat*. Ac proinde, contemplationem non proponit nisi Animæ, quam sciebat vitam activam longiùs piè vivendo, exercuisse, quod exprimunt verba illa, *Post exercitia vitæ activæ*. Ubi cavendum est ne activa sumatur vita, uti assolet Vulgus, pro exercitio concionandi, docendi, & similium; nomine enim Vitæ activæ illa apud Eruditos significantur, quæ ad vitia exercentur expugnanda, passionesque edomandas, ne contemplationem impediant; ac ob id illa contemplationem debent indis ensabiliter anteire, ut scribit Angelicus (2): *Potest considerari vita activa, quantùm ad hoc, quòd interiores Animæ passiones componit, & ordinat, & quantùm ad hoc vita activa adjuvat contemplationem, quæ impeditur per inordinationem exteriorum passionum*; Quapropter concludit Sanctus (3): *Vita activa est prior, quàm contemplativa; quia disponit ad contemplationem*. Hos igitur invitat ad Fidei contemplanda Mysteria, quorum intellectualem intuitum *Securiorem* dicit *Proximioremque saluti*. Primùm, quia, ut spiritualior, phantasiæ minus subest erroribus; secundùm, quia etsi meditatio ad salutem ducat, quod non negat hæc Virgo (qui etenim majus laudat, non ob id, quod minus est vituperat) contemplatio tamen negari non potest utilior; elevans siquidem mentem ad res supernaturales, & Divinas, & per consequens Deo virtutum omnium fonti magis appropinquans, gratiarum undis se inebriat uberius; ut in Lib. quinto, Animadvers. 4, abundè probavimus. Quibus, ut Meditatio paulatim in contemplationem perficiatur, utilem meditantibus cautelam hic placet addere, ab Angelico desumptam; ne scilicet nimis in sensibilibus delectabili immorentur curiositate; sed ad spiritualia gradatim ascendant (4): *In creaturarum consideratione non vana & peritura curiositas exercenda est, sed gradus ad immortalia, semperque manentia faciendus est*. De quo rationem reddens, addit, ultimam nostri Intellectus perfectionem esse Divinam Veritatem, ad quam contemplatio acquisita nos elevat, & quam cæteræ respiciunt veritates, quæ in ordine ad ipsam meditari debent ab Anima (5): *Ultima perfectio intellectus est veritas Divina; aliæ autem Veritates perficiunt intellectum in ordine ad veritatem Divinam*.

§. II. His prælibatis ad cæteras explicandas Epistolæ hujus accedamus periodos; ubi ne meæ noceant aliquibus considerationes, protestari debeo, me hic non de Meditatione agere, sed de Contemplatione;

(1) *Lib.* 3, *Catech.* 1. (2) 2, 2, *q.* 182, *a.* 3. (3) *Ibidem*.
(4) *De Relig. c.* 20. (5) 2, 2, *q.* 180, *a.* 4, *ad* 4.

tione ; ac propterea non omnibus, quæ dicam, conveniunt, & (quòd justè doleo) paucis, non omnibus loquar. Qui sui cordis purgatione, Dei gratia, proprioque sedulo studuit labore, ea quæ non ex meo Intellectu, sed ex Doctorum proferam mente, confidenter legat: cæteri non adhuc ritè purgati, hæc experiri audacter non præsumant, sed ad misericordiam Dei, ipsis etiam, si mereri velint, similia suo tempore destinantem, pœnitentia, virtutumque studio interim se disponant. Hac præcedente protestatione, videamus piæ illi Animæ quid suadeat hæc Virgo: *Exeas de nido terrenarum tuarum consolationum, occupationisque cogitationum, formarum, objectorum, & sensibilium Imaginum, quæ propriè sunt potius appetituum naturalium satisfactiones, quàm veræ necessitates; Deum ores, ut tuum omnibus his cor purificare velit, dicens illi cum Davide, Cor mundum crea in me Deus; & hoc eo fine, ut veritati, attendas, non vanitati.* Seriò, & divisim perpendendæ sunt hujus periodi clausulæ, ut dignoscamus, an jure timeri possint ut falsæ, ac Quietistarum Doctrinæ a contemplatione interiores omnes animæ vires penitus, ut damnosas excludentium, faventes. Ad quod profundiùs dignoscendum præmittere, ut censeo, necesse est quomodo intelligendæ sint circa Phantasmata contemplationi utilia, vel noxia, auctorum opiniones, quæ prima fronte parum constare videntur. Evidentissimum enim est quod asserit Areopagita (1): Divinum radium nostræ non illucescere menti, nisi Symbolis velatum; quibus, quia duabus partibus constamus materiali, & spirituali, veritas ab una transit ad aliam. Quod clarius docet Angelicus, asserens in præsenti vita dari non posse contemplationem (sumatur tamen hoc de *Acquisita*, non de *Infusa*) sine formis imaginariis, seu Phantasmatibus, a quibus ad ea se convertens Intellectus, species abstrahat intelligibiles eorum, quæ contemplari desiderat (2): *Contemplatio humana secundùm statum præsentis vitæ non potest esse absque Phantasmatibus.* Hac tamen, quam ipse veneror, non obstante doctrina, conveniunt Mystici omnes in asserendo Phantasmata, & discursûs ratiocinium necesse esse in contemplatione relinqui. Pro cujus ratione scribit Beatus Joannes a Cruce (3) imaginativas, & discursûs operationes non esse media ad contemplationem proxima, sed tantùm remota; quatenus solummodo meditantem juvant, ut ad contemplandum ascendat. Idem firmat & longiori probatione Card. Lauria, notans, quòd si contemplanda sint visibilia, Phantasiâ aliqualiter uti possumus; si verò invisibilia, & Divina, efficerent illa potius ac proinde (4): *Objecta merè Spiritualia in solis speciebus intelligibilibus sunt contemplabilia & nullo modo in Phantasmatibus.* Imò, quod mirum est, Divus Thomas, qui hanc intellectus in intelligendo conversionem ad Phantasmata acriter tuetur, sibi ipsi quasi apparet oppositus, dum cordis munditiam ad contemplationem necessariam, non solummodo in aversione a terrenis affectibus, sed etiam in remotione a Phantasmatibus, formisque etiam spiritualibus collocat (5): *Quantùm ad statum vitæ*

(1) *De Div. Nom. c. 1.* (2) 2, 2, *q.* 180, *a.* 1. (3) *In Ascensu ad M. Carm. lib.* 2, *c.* 8. (4) *De Orat. Opusc.* 3, *c.* 10. (5) *In* 3 *Sent. Dist.* 34, *q.* 1, *a.* 4

ponitur *cordis munditia, non solùm a passionum illecebris, sed etiam ab erroribus Phantasmatibus, & Spiritualibus Formis*. Imò addit, ad dictam acquirendam puritatem, opus esse ut tollantur a spiritu duæ difformitates. Una est ad res exteriores, & terrenas, non necessaria attentio; alia, discursus, humanis innixus rationibus; itaut reducatur Anima ad solam contemplationem intelligibilis veritatis (1): *Exigitur ut duplex ejus difformitas auferatur; una, quæ est ex diversitate rerum externarum; secunda, quæ est per discursum rationis. Et hoc contingit secundùm, quòd omnes operationes Animæ reducuntur ad simplicem contemplationem intelligibilis veritatis; undè prætermissis omnibus in sola Dei contemplatione sistitur*. Idem, & fortius Divus docet Gregorius, non posse scilicet mentem contemplando se, in se ipsam colligere, nisi moderentur Phantasmata, & rerum etiam cœlestium Imagines (2): *Mens nostra se ad se nullatenus colligit, nisi prius didicerit terrenarum, atque cœlestium imaginum Phantasmata ab oculo mentis compescere*. Cujus rei, si causam quæramus, apertè patet. Cum enim activa contemplatio consistat, seu fundetur in forti judicio, quod apprehendit Intellectus de veritatibus jam in meditatione præcognitis, quo videns ipsas infallibiles & Divinas, in eis delectatur, & figitur, simulque consequentias in eis reconditas deducit, & intuetur: hoc judicium, ut notat Angelicus, fieri non potest ab intellectu extra se in exterioribus Phantasmatibus vagante, sed opus est, ut in se clausus, elevatusque supra sensibiles formas, & imagines, in se veritatem, de qua judicare debet, ruminet, & contempletur: *Judicium* (docet Divus Thomas (3)) *non est actio, quæ egrediatur ab agente in rem exteriorem, sed est operatio quædam in ipso operante consistens*. Ob id in contemplantibus non oritur Judicium a vario humanæ rationis per phantasmata circuitu, sed præcipuè a lumine, quod vel naturaliter habet, vel supernaturaliter sibi a Deo infunditur, sicut ait Sanctus idem Doctor (4): *Sicut inquisitio pertinet ad rationem, ita Judicium pertinet ad intellectum*. Aliam, & magis practicam rationem ad excludendum ab actualiter contemplantibus imagines, formas, atque Phantasmata, affert Angelicus, & hæc est: Quòd ex una parte, intellectûs activitas ad imaginativam se vertens, notabiliter distrahitur, nec parum vigoris, quo eget ad percipiendas Divinas Veritates, amittit: ex alia, cùm sint Phantasmata, utpote formata ab Imaginativa, quæ materialis est potentia, & materialia, & impura, quantò magis cum illis se immiscet intellectus, eò magis de ipsorum contrahit impuritate. Audiamus de his evidentem a Theologiæ Sole doctrinam (5): *Per se invicem se impediunt intellectivæ, & sensitivæ operationes, tum per hoc, quòd in utrisque operationibus oportet intentionem esse; tum quia intellectus, quando sensibilibus operationibus admiscetur, cùm a phantasmatibus accipiat, ejus puritas inquinatur*.

§. III. Hæc apparens opinionum varietas, videlicet contemplari activè non possumus sine conversione ad Phantasmata; & e contra in contemplatione abstrahi debet Intellectus a Phantasmatibus, concilianda quidem est;

(1) 2, 2, q. 180, a. 6. (2) *Hom.* 17 *in Ezechiel*. (3) *De Verit.* q. 8, a. 1. (4) 2, 2. q. 53, a. 4. (5) *De Verit.* q. 13, a. 4.

est: Sanctos enim Doctores opposita simul scripsisse non est fas suspicari. Sed hæc conciliatio nimis superat tenuitatis meæ vires; dicam tamen, non ad meam fundandam audacius opinionem, sed ad dictorum ab hac Virgine rationabilem defensionem, quod de hac controversia sæpius cogitavi. Faxit Deus, si in ejus resultare potest gloria, ut Ecclesiasticæ arrideat auctoritati; ex placitis tamen Sanctorum Patrum, nescio an ritè a me perceptis, pro modulo meo integrâ, sed obedienti aperiam sinceritate. Imaginor ergo inter utrasque primo aspectu oppositas sententias (necessarium scilicet esse Contemplativis Phantasmatibus uti, eaque deserere) quemdam medium terminum, qui in contemplatione *Acquisita* est, ipsa non penitus spernere, quatenus ad Divina ab eis per remotionem intelligenda auxilio esse possunt; sed in iisdem non diutius immorando, ipsa nisu quodam mentis ad spiritualia, postquàm ipsis sufficienter usi sumus conversione, ad Divinum lumen, atque ad simplicis a fide dictatæ veritatis Amorem transcendere. Insinuatur mihi opinio hæc a Divo Thoma, qui, postquàm docuit ad activam contemplationem Phantasmata prodesse, monet tamen non debere Animam sensibilis delectationis aviditate in iisdem sistere, sed ab ipsis removendo ad Spiritualia ex iisdem deducta, quoad citius fieri potest, ascendere (1): *Intellectualis cognitio non sistit in Phantasmatibus, sed in eis contemplatur puritatem intelligibilis veritatis*. Hoc ego ly *trascendere* esse puto; & simile documentum legimus in Cardin. Lauriæ de Oratione Lucubrationibus; asserit enim (2) in Meditatione, qua veritas quæritur, prodesse discursum, si eo parce utamur, & phantasmata; at in contemplatione, ubi Veritate fruimur, esse hæc omnia prorsùs inutilia. Fulcitur insuper Scholasticorum auctoritate hæc veritas; sentiunt enim ipsi dependere quidem Intellectum in prima veritatis apprehensione a phantasmatibus, & ratiocinio; sed quando consequentia jam deducta, non amplius dividendo illam inquirens, & componendo, eadem quasi de adinvento Thesauro fruitur, & gaudet, a Phantasia seipsum segregat, & in se clausus adeptâ delectatur veritate; in quo, ut alibi diximus, contemplatio consistit. Ad majorem autem hujus rei dilucidationem notemus Fidem, uti docet Angelicus, in duabus quasi considerationibus posse distingui. Prima, quatenus apprehenditur, & creditur; & sic est aliquid complexum, quia ad Intellectum nostrum pertingit mediis sensibus; *Fides ex auditu*. Secunda, in quantùm Intellectus judicat vera esse, & infallibilia, quæ credidit; & sic est aliquid incomplexum; hoc enim modo ex Dono Intellectus mens nostra penetrat, & confitetur absque ulla phantastica repræsentatione nudam esse veritatem in revelatis, quibus supra omnes imaginarias formas firmo delectatur assensu (3): *Objectum fidei dupliciter considerari potest; uno modo, ex parte rei creditæ, & sic objectum fidei est aliquid incomplexum, scilicet res ipsa, de qua fides habetur; alio modo, ex parte credentis, & sic objectum fidei est aliquid complexum ad modum enunciabilis*. Primo igitur modo objecta fidei propria meditationis sunt, secundùm quòd percipiuntur in Phantasmatibus, aut illis similibus, ut magis apprehendatur, aut dissimilibus, ut ab

(1) 2, 2, *q.* 180, *a.* 5, *ad* 2. (2) *Opusc.* 4, *cap.* 7. (3) 2, 2, *q.* 1, *a.* 2

ab illis resiliat Anima, & elevetur ad id quod supra ordinem naturalem credit. Secundo verò conveniunt contemplationi; quia Intellectus a Phantasia se segregans, in iisdem simpliciter ut a Deo revelatis, se figit. Ex quo fit ut meditantibus auxilio sit imaginativa, fidei tamen obediens; in contemplantibus verò æternæ veritatis apprehensio, æstimatio, admiratio, pura sint opera Intellectûs a Phantasia, ut ita dicam, divisi, vel supra ipsam elevati; ita taliter, ut a Symbolis fidei elevetur mens ad intelligentiam puræ, & simplicis Divinæ Veritatis, juxtà Paraphrasim Abbatis Vercellensis in Mystica Areopagitæ Theologia (1): *Ut in sanctis signis, abolita omni incepta Phantastica expositione, per intelligentiam puræ veritatis, & Amorem Bonitatis veræ, transeat ad contemplationem simplicis, intellectualis, & ante omnia collocatæ veritatis.* Et ecce quomodo in contemplatione *Acquisita* non despiciantur omnino phantasmata, sed transcendantur; idest, Intellectus, postquàm satis ab illis species sibi ad contemplandum necessarias abstraxit, ab iisdem ita resilit, ut illa non consideret; illa videat, sed non attendat. Timeo hæc esse ita captu difficilia, ut operæpretium sit me ipsum quadam explicare similitudine. Quando ego, exempli gratia, qui in potentia visiva debilis sum, conspicillis ad legendum utor, certum est quòd per illa intuitu meo transeunte crystallum, a quo confortatur oculus videt; sed ad ea quæ legit, attentus, eum, quamvis verè videat, videre non advertit. Simili igitur modo in contemplatione *Acquisita* Intellectus phantasmatibus, & discursu, quantùm ad intellectionem necesse est, utitur; sed in neutris illaqueatus immoratur; per illa videt, sed non illa; quia ad Divina, eorum auxilio jam accepta, mentis aciem, intentionemque figit. Imò sicuti artifex, dum in perfecto a se opere delectatur, instrumenta seponit, ita mens in adepta veritate sibi sanctè complacens, illaque fruens, quæ ad eam adipiscendam instrumenta fuere, jam negligit. Hæc utique opinio, ni fallor, auctoritate fulcitur Divi Gregorii, contemplativos monentis, non ut phantasmatibus, aliisque formis non utantur, sed ut ascendentes ad Deum, non ea secum deferant (2): *Contemplantes non rerum umbras secum trahunt;* quod explicat Divus Thomas, forsitan a me alibi adductus (3): *Quia videlicet in eis non sistit eorum contemplatio, sed in consideratione intelligibilis veritatis.* In eodem sensu sumendum est, quod Timotheo præscribit Areopagita (4): *Linque sensus, & sensibilia omnia.* Ly etenim *linque* non interpretandum est, quòd verè abhorreantur, sed quòd trascendantur formæ, & imagines; idest, supra illas mens elevata, ab illis, ne ad superiora attollatur, impediri non permittat, quod clarè demonstrat Dionysius addens (5): *Nec ab illis detinearis.* Et hoc sequeretur, si ea delectatione, qua ab ipsis adescatur Spiritualis quidam Amor proprius, in illis Intellectus, altiora posthabens, nimis immoraretur; quod cavet jam citatum Areopagitæ locum, commentans Chartusianus (6): *Idest cuncta creata transcendas, hoc est vires sensitivas, & intellectivas, operationes quoque earum, & objecta, itaut illis non sis intentus, nec ab illis detinearis.*

§. IV.

---

[1] *Apud Carthus. de Div. Nom. c. 5.* (2) *Lib. 16 Mor. c. 17.* [3] 2, 2, q. 180, a. 4. (4) *In Myst. Theol. c. 1.* (5) *Ibidem.* (6) *In Myst. Areopag. Theol. a. 1.*

§. IV. Si ea, quæ in hiſce Paragraphis de Sanctorum mente exarata ſunt, ſeriâ notemus attentione, evaneſcent procul dubio contra hanc Mariæ Catharinæ Epiſtolam dubietates; & faventibus tot Theologorum ſententiis, clara eluceſcet, cujus rei gratia hæc exarata ſunt, dictorum ejus defenſio. Imò laudanda erit, qua ſcribit, cautela; non enim ad contemplationem invitato ipſa jubet, ut externas conſolationes, formas, imagines penitus relinquat; ſed ut in iſtis non immoretur, ſeu quieſcat, ut avium pullus, adhuc implumis, in nido; quod conſtabit obſervantibus dictorum ejus proprietatem: *Exeas de nido, &c.* In hoc enim ipſa innuit, vel Divino interno impulſu (quod ſæpius ei contigiſſe ex alibi relatis conſtat) vel ex aliorum, aut perſonæ ipſius, cui ſcribit, confidenti relatione, cognoviſſe Animam illam de earum eſſe numero, quæ ſenſibiliter, non ſpiritualiter devotæ, vel ſibi ipſis nimio, curioſoque ſatisfaciunt Intellectus diſcurſu, quod ut locum Amoris actibus non relinquens Sancta non probat Thereſia; vel imaginibus, quaſi pictoria arte a propria phantaſia effectis ſenſibiliter addictæ, in iis ſibi complacent; eis delectatione quadam Mulierecularum more fruuntur, & quaſi veræ eſſent, non phantaſticæ, ipſis inhærent, neſcientes illis uti debere, ut de exterioribus imaginibus docet Eccleſia, mentem ſcilicet ab imaginibus ad imaginatum fide duce elevandam. Hunc certè proficientibus maximè non laudabilem morem emendare eſt, ut ipſa ſcribit, de *Nido cogitationum, imaginum, formarum exire;* & Spiritum jam evacuantem, quæ ſunt parvulorum, a ſenſibilibus ad Divina, juxtà Sanctorum, quæ retulimus, placita erigere. De hoc quis eam condemnabit, qui Sanctos Patres, approbatoſque Myſticos, non audeat cenſuræ ſubjicere? Quod autem addit hæc Virgo, ad formas, ſcilicet, & imagines, delectabilem, & aviditate fœminea teneram nimis attentionem, *naturalium appetituum ſatisfactionem potiùs, quàm neceſſitatem eſſe*, illaſque, *vanitates*, magis dicit, *quàm veritates;* hoc vel audax, vel falſum non temerè judicabimus, ſi ultra ea, quæ in his Paragraphis, & maximè in ſecundo, & tertio de Doctorum Sententia jam retuli; audiamus Beatum Joannem a Cruce (1) docentem talia auxilio eſſe incipientibus dummodò ipſis debitâ utantur temperantiâ, ſed ad contemplationem poſt profectum in Via Dei accedentibus, ſuperflua; & ne ſimplicem Intellectus intuitum ad veritatem cognitam impediant, relinquenda. Si legamus quæ ſcribit eruditus, pariter & pius Pater Alvarez [2] in Epiſtolâ quadam, qua ex præcepto ſui Generalis, de ſibi familiari Oratione, rationem reddit (& quàm attentè perlegendam ſuaderem cuicumque Animæ, quæ *Activam* Contemplationem de ſuorum Directorum permiſſione deſiderat). Perniciosa inſuper contemplantibus illa eſſe demonſtrat abundè loco citato cum cæteris Divus Thomas; ſuperflua evincit Areopagita hac efficaci ratione. Sicuti (inquit ipſe) ei qui probè legere novit, ſupervacaneum eſſet immorari in inſpectione ſingulorum ſingillatim caracterum, quibus Scriptura componitur, conſumeretur enim otiosè tempus illud, quod in penetrando Scriptoris ſenſu utilius deberet

(1) *Aſcenſu ad Mont. Carmel. lib. 2, cap. 8.* (2) *In ſua Vita, per Patrem a Ponte deſcripta, cap. 20.*

ret impendi; sic otiosum est post veritatem cognitam se detinere in prægustandis interius symbolis, imaginibus, formisque, in quibus Divina Veritas, ad quam contemplandam a Deo data sunt, includitur: *Ubi noster animus* (Dionysii sunt verba (1) *intellectualibus operationibus ad intelligibilia se confert, superflui sunt cum rebus sensibilibus sensus, quemadmodum & vires Intellectuales supervacaneæ sunt, cùm animus Divinam indutus speciem, per ignotam Unionem, luminis inaccessibilis radios jam attingit*. Quòd ita commentatur Carthusianus (2): *Quando Anima nostra interioribus considerationibus, & abstractionibus, ad Divinam ascendit notitiam, & abstractionem, superflui sunt sensus, & sensibilia, quæ oportet transcendere, quamvis primò ministerialiter operentur*. In meditatione quidem Animæ, veluti adhuc infanti, illa lac sunt, quo nutritur, donec ad provectiorem in Deo perveniat ætatem: quando verò ad contemplationem acquisitam, quasi adulta, se elevat, perniciosa sunt, si in ipsis immoderatè figatur; ut de Angelici supra vidimus mente, superflua saltem, ut hic duo citati Dionysii authumant; ac propterea non damnanda est hæc Virgo, si eadem credit, *satisfactionis potiùs esse, quàm necessitatis*. Quòd autem ipsa addit, satisfieri debere *Veritati, non vanitati*; qua hoc scribat prudentia evidentissimum est, ut sensui omnium Mysticorum commune. Excipiamus tamen hìc imagines, formasque illas, quas a Dei nutu, ut alibi diximus, in phantasia imprimunt Angeli; ista enim ad Divina, ad quæ contemplanda data sunt, mentem elevant; imò quòd Angelica fiant ope, argumentum est, si ab ipsis tres Theologicæ roborentur Virtutes; unde de his ipsam loqui incredibile est, cùm sæpiùs eadem experta sit valde sibi proficua, ut alibi retulimus. Imagines autem, quas sibi mollis cujusdam oblectationis causâ, ipsa sponte sibi depingit phantasia, possunt in meditatione, si moderatione frænentur, ad veritatem ducere; sed quòd veritates sint nemo hucusque dixit. Demonstrat ex opposito experientia, si Anima in iisdem otiosa delectatione figatur, vanitates esse, & vanitates non parùm periculosas. Sciunt enim Confessarii, & Directores (quod et ego non sine animi dolore in aliquibus pœnitentibus expertus sum, nec facilè adinveni taliter habituatis remedium) quoties hæ sensibiles impressiones, in mulierculis maximè, Animas in detestabili constituant discrimine. Obscurè loquor, quia expertis loquor; & quædam, quæ audire dolui, referre pudet. Sed dico, quòd Imagines, & formæ, nisi ad fidei veritatem reducantur, ad quod acquisita collimat contemplatio, placere non poterunt Æterno Patri, de quo dixit Christus: *Pater quærit eos, qui eum adorent in Spiritu, & veritate*.

§. V. Descendamus ad cæteras hujus Epistolæ periodos explicandas; ubi quantum potero brevitati providebo, dicta trascurrens ut plurimum compendiosa interpretatione, absque eò quòd Sanctorum, nisi necessitas me cogat, doctrinas addam. Prosequitur ergo Maria Catharina, finem, seu mentis suæ consilium, quo hæc scripsit, addens: *Ad hoc ut acquirere possis vires, & alas, quibus adinstar Pulli aquilarum potentiis animæ tuæ tutoque volatu ascendas ad altitudinem gravis, seriæ, occultæ, Divinæque*

(1) *De Div. Nom. c. 4.* (2) *In loco citato Areopag. a. 23.*

æque contemplationis. Elevationem Animæ ad Divina effectum esse contemplationis *Acquisitæ*, atque hanc disponere ad Infusam, quam benè vocat occultam, ideſt ſenſibus protinus ignotam, in Libro quinto, Animadverſione quarta, abundè probavimus. *Quæ contemplatio* (proſequitur hæc Virgo) *in ſe ſplendere debet fixa, cœleſtique veritate, ingrediente anima in ſacratiſſimo Divinorum Myſteriorum conclavi; & eſſe debet in ſe ipſa ſimplex, ad hoc ut fortior ſit, & in ſua virtute efficacior, ſiſtente Anima in pura fide; hoc enim modo Divinam guſtabis præſentiam, & bonorum omnium tibi aperientur Januæ*. Explicemus breviter hæc omnia: Contemplatio activa ad infuſam, ſi velit Deus, ſicut jam dixi, viam aperit; & de hac ipſa, ut ei cui ſcribit, ad illam aſpirandi quaſi addat calcaria, ſpem aperit, promittens, quòd hoc exercitio paulatim Divina fruetur præſentia. Præſentia etenim Dei, cùm ſit omninò ſpiritualis, imaginibus, & rationibus, apprehendere quidem poſſumus, ſed ſola fide guſtare. Cætera, cùm Myſticorum omnium ſententiis conſonent, difficultatem non habent; duæ tantùm ſcrupuloſis forſitan ſe offerunt ſuſpiciones. Una, quomodo Divina Myſteria abſque phantasmatibus contemplari poſſint, cùm eorum aliqua cum ſenſibilibus affinitatem habeant. Altera, quæ videtur Quietiſtis favere, nomine illo *Puræ Fidei*, dum ſcribit, *Siſtens in pura Fide*. Quoad primam igitur tollit omne dubium Angelicus. Docet ſiquidem ipſe Formas, & Imagines, quibus eget Anima ad contemplandam, maximè Jeſu Chriſti Paſſionem, dupliciter conſiderari poſſe, ut materiales, & phantaſticas, & ut ſpirituales, & intelligibiles. Quamvis enim illæ, quia ab inferiori potentia Imaginativæ efficta, ab intellectu per ſe non poſſint recipi, intellectus nihilominus agens eas abſtractione ſpiritualizat, itaut imaginativæ repræſentationibus æquivaleant, & omnia quæ ſuggerunt materialiter ſenſus, menti ſpiritualiter præſententur (1): *Quamvis in mente non ſint materiales formæ, poſſunt tamen eſſe ſimilitudines rerum materialium*. His ergo ſpiritualibus formis, ſeu ſimilitudinibus, in contemplandis Divinis, quæ cum ſenſibilibus veluti agnationem habent, intellectus uti poteſt, & debet, ſpiritualiter quodam modo ſenſibilia, intelligens, abſque craſſo illo, & corporeo, quod ſæpe periculum infert; & has ſimilitudines hæc non excludit Virgo, ut Divinæ Veritati magis proximas. Percipiet facilè id qui de eo, ultra ſtudium, aliqualem habuit experientiam; & ego brevitatis gratiâ exempla præteriens, ad ſecundam tranſeo ſuſpicionem, ſi tam in illo, quo aliqui peſſimè uſi ſunt, *Puræ Fidei* nomine. Qui de hoc ſuſpicatur exoro noſtris temporibus ex aliquorum culpa vocabulo, legat Cardinalis Lauriæ de Oratione Opuſcula (2), qui dictum hoc ab errore vindicat, Catholicoque reddit ſenſui, notans *Puram* dici, quia nec ſenſuum phantasmatibus, nec humanæ rationi obedientem, ſed ſola infallibilitate a Deo revelatæ veritatis innixam. Conſulit inſuper ipſa, ut Fides in contemplatione adhibeatur, non quia credat ſolam ad ſalutem ſine aliqua noſtra cooperatione ſufficere, qui error a Sacra Tridentina Synodo juſtè damnatur, & a quo, ut ejus teſtantur, quæ retulimus, virtutum exercitia, fuit hæc Virgo

 ſem-

(1) *De Verit. q. 10, a. 4, ad 4.* (2) *Opuſc. 4, c. ult.*

semper aliena; sed quia advertit Fidem fontem esse, & originem bonorum omnium, quæ adipisci possunt ab anima: Ipsa revelatis Mysteriis, obscuro sed infallibili quodam lumine, mentem unit, eamque ad Deum elevat, ut ait Areopagita [1]: *Qua quidem ineffabilibus, & incognitis, ineffabiliter, & incognitè copulamur*. Quod commentans Carthusianus [2]: *Per quam Virtutem Spiritus Sancti Dono conjungimur per cognitionem, & affectum, modo ineffabili & incognito, Divinis Personis, & his quæ sola Fide, & supernaturaliter cognoscuntur*. Ipsa fovet spem, & ab utraque oritur Amor; unde notant Interpretes, quòd ab Abrahamo, credentium Patre, natus est Isaac sperantium Symbolum, a quo originem traxit Jacob, amorem exprimens. Ipsa parens est omnium virtutum, quas in revelatis mysteriis proponit, & docet, ut notat Divus Thomas (3): Ab ipsa tandem legem sumunt, ut perfectæ sint, omnes nostræ, sivè interiores, sive exteriores operationes; quod idem testatur Sanctus Doctor (4): *Fides se extendit etiam ad directionem bonorum operum, secundùm quòd per dilectionem operatur*. Quod autem magis interest, ubi cognitiones a phantasia, seu humana ratione exortæ, nos fallere possunt, & sæpe fallunt; sola fides infallibilis est; & qui ea firmiter innituntur, impossibile est, ut decipiantur; ita statuit sæpius a me citatum Theologiæ lumen (5): *Possibile est ex conjectura humana hominem fidelem falsum aliquid æstimare; sed quòd ex Fide falsum æstimet, hoc est impossibile*.

§. VI. Jure ergo ipsa contemplationem docens de Fide, quasi cæterorum bonorum parente, peculiarem facit mentionem; sed nos contemplationis acquisitæ videamus quos describat effectus. *Dependet* (ita prosequitur) *dependet ab ipsa contemplatione summum perfectionis* (perpendamus quòd perfectionem non dicit; sed perfectionis summum, ut innuat perfectionem meditatione etiam acquiri, sed summitatem ejus, aut apicem regulariter ab acquisita paulatim in infusam transeunte adipisci.) *Portans ad suam originem, idest ad unionem perfectam cum Deo. Dives est lactis, & Mellis, & agit in Anima, quod Ver in pratis, adornans eam pulchris atque fragrantibus floribus, & Sanctarum Virtutum fructibus. Eam fœcundat purpureis rosis ardentis charitatis, odorosis Violis humilis abjectionis, candidis liliis inviolatæ puritatis. Illi qui spargunt ab Intellectu sudores occupato in mysteriis Sanctæ nostræ Fidei, metunt sibi benedictionis fructus, & floridâ fruuntur contemplationis acquisitæ delectatione; & dummodo observent obligationem credendi, virtutumque imperio in obscuritate fidei proprias subdant affectiones, eorum Anima a Deo Sole increato illuminatæ remanent. Inter spinas floret pulchrior rosa; & quantò plus his contemplatur, cum cordis nuditate, mentisque simplicitate, eò magis ornatur anima virtutum pulchritudine, dummodo credat, quòd Deus sapientia est, quæ non potest decipere, & omnipotentia, cui omnia sunt possibilia*. De his a contemplatione expectandis effectibus, quia in loco supracitato abundè diximus, nihil hic repetendum censeo; nonnulla tamen ad horum clariorem notitiam sunt perpendenda. Quòd nomine puræ fidei non intellexerit hæc Virgo,

(1) *De Div. Nom. c. 1.* (2) *Ibi, art. 1.* (3) 2, 2, q. 4, a. 8.
(4) 2, 2, q. 8, a. 6. (5) 2, 2, q. 1, a. 3, ad 3.

Virgo, [ut aliqui facilè suspicarentur] purum, ociosumque assensum; luce meridiana clarius patet legentibus ipsam, *Felicem celebrare intellectum, qui in Mysteriis Fidei contemplandis insudat*. Quòd solâ non contenta contemplatione, virtutes, externa opera, humilemque Divinis præceptis obedientiam requirat (quæ omnia a Beguardorum erroribus aliena sunt) vident evidenter qui legunt illa verba, quibus multa contemplantibus promittens, cavet addendo: *Dummodo servent obligationem, &c.* Quod contemplatio acquisita laboriosa sit, & maximè in initio, repugnantibus spirituali solitudini sensibus, tædii ut plurimum, & laboris plena [ut omnes fatentur Mystici] illam probè intellexisse declarat consueto sibi proverbio: *Inter spinas floret pulchrior rosa*. Si tandem recensitæ examinentur periodi, Mystica repletæ invenientur scientia, & quales ex simplicis Virgunculæ penu eductæ credi non possint. In uno tamen hæsisse me fateor, quomodo videlicet, si laboriosa est activa contemplatio, in eadem proponat spirituales dulcedines, asserendo illam: *Divitem lactis, & mellis*, spondendoque eamdem amplexantibus, quòd *frui sperent florida delectatione*. Hæsitationem tamen meam sustulit Card. Lauria multis docens auctoritatibus, ultimum contemplationis acquisitæ gradum esse orationem Quietis, in qua quot sint, & quales spirituales deliciæ, Sancta explicat pluries Theresia; si hoc eruditissimo credi debet Purpurato, mirum non est, si contemplatio activa in initiis absynthio respersa, evadat in progressu *Dives lactis & mellis*, quòd hæc Virgo ut pusillanimitati, aliquorum in toleranda ex cordis duritie, Dæmonumque insidiis, inevitabili ferè ariditate, animum adderet, fortiter prosequentibus de Divina promittit clementia. Et revera si constat axioma, *Suprema infimi tangunt, infima supremi*; necesse est, quòd acquisita semper evadens perfectior, aliquid tandem de infusæ participet dulcedine; hoc Divina etiam disponente misericordia, ut labori in hac quoque vita, aliquod præmium succedat.

§. VII. Finem imponamus super hanc Epistolam Animadversioni, admirando Doctrinam, qua Maria Catharina suum claudens in scribendo zelum, animam, quam hortatur, monet de iis, in quibus se exercere debet, quando ab acquisita ipsam ponens Deus in Oratione Quietis, elevet ad infusam; & reperiemus docere hanc Virginem ea prorsus, quæ Sancta Theresia, omnesque proponunt Mystici, idest immorari in propriæ vilitatis confessione, gratitudine, Dei laude de beneficiis, quæ accipit, gratiarum actione, unde talem Epistolæ finem imponit: *Gaudens Paradiso quodam voluptatis remanebit Anima tua altè provocata ad celebrandas Divinæ Majestatis purissimas laudes, dicens: O mi Deus, fons immense omnis boni, quos rivos gratiæ effudisti super pauperem, miserrimamque Animam meam? quorum ope a quot malis, a quot periculis, a quot laqueis me liberasti? de me ipsa obstupesco, quòd non liquescat cor meum præ dulcedine amoris tui; quòd non omnibus visceribus pro tot beneficiis te laudem, exclamans: Lauda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea. Ita Domine mi, te laudare desidero puris, candidis, ardentissimisque laudibus illis, quas tibi dedere altiores Cedri Libani, idest Mentes Angelicæ, quando se confirmatas a te in sanctificante tua gratia*

viderunt ; & simul canticis, laudibus, & benedictionibus, quot in plateis Hierusalem tibi canent omnes Electi, post ultimam Judicii finalis sententiam, & tandem postquam virtute ipsis a quatuor beatificis Dotibus communicata, & cum Majestate, Sole ipso splendidiore, ad Cœlum pervenerint, ut ibi in lumine gloriæ beatum, & beatificantem tuum vultum contemplentur. Sic Epistolæ finem imponit hæc Virgo ; ubi videor mihi inspicere Æstrum quoddam, quo ipsa consueverat, & cæteris suadebat, ut videlicet, cùm Deus incipit communicare Animæ supernaturale lumen suæ Divinæ præsentiæ, cum humilitate perpendentes immensam, quibus de miseriis nostris habet pietatem, eum adorent, laudent, & in gratiarum se resolvant actiones. Hi nempe actus memoriâ simul, & gratitudine erga Divinam Misericordiam, amorem suscitant, cor accendunt, mentemque ad Deum mirabiliter elevant. Ex his ergo, quæ suadet, agnoscitur Doctrinæ hujus Virginis puritas; non enim proponit pigram insipidamque, ut aliqui eam fingunt, contemplationem ; sed quamvis ab ea quæsita phantasiæ figmenta, & curiosos ratiocinii excludat circuitus, admittit tamen, imo suadet, intellectus, & voluntatis actus, quales sunt supra allati humili sui cognitio, beneficiorum memoria, laus, & gratiarum actio. Hos actus cum Sancta Theresia consulunt omnes Sancti Patres, semper quidem frequentibus faciendos Jaculatoriis, sed præcipuè quando misericordi, dulcique quadam impressione vult Deus ut se Spiritus sentiat præsentem. Et utinam tot Animæ, quæ se nescire in contemplatione quid agant, quærulè dolent, vice sensibilium consolationum quas anxie quærunt, se occuparent in laude, adoratione, gratiarumque, actione erga bonitatem illam, quæ tot illis beneficia non ritè ab ipsis memori gratitudine perpensa, & contulit, & incessanter confert. Sic enim, ni silicibus duriores simus, accenditur in nobis amor ; beneficia etenim vult Deus, ut aureæ sint catenæ, quibus benefactori nostro nos liget fervens charitas: *In funiculis traham eos, in vinculis charitatis* dixit Oseas (1): *Qui sunt* (commentatur Richardus a Sancto Victore) (2) *Qui sunt hi funiculi, nisi munera Dei ? quæ sunt ista charitatis vincula, nisi Dei beneficia ?* Sic Deo offerimus, quas possumus, & ipse petit gratiores Victimas. Laus siquidem est acceptum maximè Deo Sacrificium (3): *Immola Deo Sacrificium laudis*, monet Psalmista ; & Divus explicat Hieronymus: *Hoc est Sacrificium acceptabile, hoc est Sacrificium pingue*; Sic in corde nostro etiam dum angustiantur vasa carnis, spatia dilatantur charitatis. Experiatur quicumque de ariditate luget, se ore saltem, firmaque fide, in Divinis laudibus, gratiarumque actionibus occupare; & experientiâ discet, quo amore remunerans hoc Deus, spiritualem quamdam lætitiam, si ipsa fortiter perseverat, infundet in Anima, testante hoc Crysostomo (4): *Lætitiam affert gratiarum actio*. Hæc omnia, ut hìc notare potuimus, & vidit, & monuit hæc Virgo ; & undè didicerit Muliercula, studio inepta, libris viduata, legendi tempore, quia Orationi addicta, carens, nisi superno illustrata in suis Raptibus lumine, fateor quòd non video. Qui in eis pejora, quasi aversione prophetante, divinare volunt, sentiant quòd eis

(1) c. 11, 4. (2) *Lib. de Viol. char.* (3) *Ps.* 49, 14. (4) *In Ps.* 19.

eis libet; unicuique liberum, divino tamen subjectum examini, judicium relinquo.

§. VIII. Hic, bone Lector, calamum sisto, tædio (quod fateri cogor) tot suspicionum contra imbellem Virginem, quas invitâ etiam Minervâ propulsare, Dei, veritatisque zelus me coegit, non parum lassatus. Sed quid agerem? Nemo credat me has suspiciones simulasse, ut haberem quid scriberem, quod idem esset ac si pugnarem, quasi *aerem verberans*. Qui utique timor mihi facilè indulgeri potest, quando idem Divum anxit Hieronymum, suspicantem ne sibi opponeretur efficas a se objectiones, contra quas Rhetorico declamaret fastu (1): *Fieri enim potest, ut malignus Interpres dicat fictam a me materiam, cui Rhetorica declamatione respondeam*. Si quis igitur in hanc de me incurreret suspicionem, sciat quòd has dubietates, sicut & cæteras, quæ in his secundæ Partis Libris enotare studui, fuisse quidem (& in hoc mentitus non sum) intra me conceptæ, & quæ diu mentem meam torserunt perplexitates; sed sunt simul ex aliquorum zelo contra actiones, & scripta Mariæ Catharinæ (quas mihi retulit amicorum charitas, & quorum authenticas apud me habeo relationes) evulgatæ nimis censuræ. His igitur ego compulsus opponere explicationes, veritate, ut spero, suadente, ne Apologiam, quam detestor, redoleret meus labor, evitato semper censuræ nomine, ut proprias, & maxime in hoc Sexto Libro, exposui dubitationes. Harum autem defensioni non mea tenuitas, sed Virginis hujus robur addent, in tribus prioribus Libris multorum suffragiis satis fundatæ, Virtutes; quæ per se, ut opinor, facilè convincunt, nec dicta in Anima tam illuminata Fidei opposita posse supponi, nec actiones, ut fictas, & ementitas posse suspicari. Hoc ostendisse, si mihi Deo dante contigit, satis est; scripsi etenim non ut huic Virgini existimationem adderem; sed solummodo, ut maculas, a præcipiti opinione ejus candori impositas, delerem. Profiteor tamen me in his sublimibus exarandis, quæ defensionis necessitate compulsus tetigi, audaciæ notam apud plurimos fore, ut incurram, quasi tentaverim, quæ intellectus mei debilitatem nimis excedunt; ac proinde tanto impar oneri, mirum non sit, si parum dicens, quod rei par esset majestati, sub ipso succubuerim quæstionum pondere; eveniente mihi, quod Divus minatur Hieronymus (2): *Grandes materias ingenia parva non sustinent; & ipso conatu ultrà vires succumbunt*. Quidquid autem de hoc sit, judicent alii; ego doctiorum emendationes libenter admittam; objectiones, si quæ a Criticis fiant, non refellam; satis enim est mihi Ecclesiæ, cujus auctoritatem in iis, quæ scripsi, veneratus sum semper, & in hisce veneror, tota, quam debeo, me humilitate subjicere; ea probans, quæ ipsa probaverit; illa condemnans, quæ ipsa repulerit; quapropter sequenti protestatione hisce meis Historicis Memoriis finem impono.

PRO-

---

(1) *Ep. adv. Vigilan.* (2) *Ep. ad Heliod.*


PROTESTATIO AUCTORIS.

Lector adverte in istis sex Historicarum Memoriarum Libris, nulla me obiter attingere, quæ huic Virgini, de qua loquor, Sanctitatem videantur adscribere; præstringo nonnulla ab eâdem gesta, quæ, cùm vires humanas superent, Omnipotentiæ Dei, ejusque voluntati possunt, ni fallor, attribui. Ipsius virtutes, actiones, illustrationes, & si quæ alia hujus generis ex multorum Relatione conscripsi, ita meis Lectoribus propono, tamquam a sola suorum Auctorum fide pondus obtineant; ac insuper doctrinas, quas super his proposui, eorum, ad quos attinet, judicio lubens subjicio, ut deleant si quas improbant, vel me, prompto animo pariturum, delere jubeant. Proindè Apostolicum Sacræ Congregationis, & Universalis Inquisitionis Decretum, anno 1625 editum, & anno 1634 confirmatum, integrè, atque inviolatè, juxtà Declarationem ejusdem Decreti a Sanctissimo D. N. D. Urbano Papa VIII, anno 1631 factam, servari a me omnes intelligant; nec velle me vel cultum, aut venerationem aliquam, per has meas narrationes ipsi arrogare; vel famam, & opinionem sanctitatis inducere. Sed omnia in eo statu a me relinqui, quem seclusis his meis Lucubrationibus obtinerent. Hoc tam sanctè profiteor, quàm decet eum, qui Sanctæ Sedis Apostolicæ obedientissimus haberi filius cupit, & ab ea in omni sua scriptione, & actione dirigi

MEMORIARUM HISTORICARUM,

DEO, ET BEATISSIMA VIRGINE AUXILIANTE,

FINIS.



INDEX
RERUM NOTABILIUM,
QUÆ
IN LIBRO V, AC VI REPERIUNTUR.

Primus Numerus indicat Librum; Secundus Animadversionem; Tertius Paragraphum.

Modi

APPARITIONES. *Vide Visiones Exteriores.*

ATTRIBUTA DIVINA.

BEATITUDO.

CHRISTUS.

COGITATIVA.

CONTEMPLATIO.

Pro-

CONTEMPLATIONIS EFFECTUS.

DELECTATIO.

DEUS.

ECSTASIS. *Vide RAPTUS.*

ESSEN-

INFERNUS.

INTELLIGENTIÆ.

LAUS.

LIBERTAS.

LOQUUTIONES INTERNÆ, SEU IMAGINARIÆ.

LUMEN A DEO INFUSUM.

MISERICORDIA.

MULIER.

OMNIPOTENTIA.

ORATIO QUIETIS. *Vide QUIES.*

PATER ÆTERNUS.

PARACLITUS.

Quò

PECCATUM.

PERSONÆ DIVINÆ.

POSSE, & NON POSSE.

PRÆSENTIA DEI.

PRIORITAS ORIGINIS.

PULCHRITUDO.

QUIES, & ORATIO QUIETIS.

In

RAPTUS, ECSTASIS.

RECOLLECTIO ANIMÆ IN SEIPSAM.

RESIGNATIO VOLUNTATIS.

SAPIENTIA.

SCRIPTURÆ.

Scri-

SECURITAS.

SPIRATIO.

TRINITAS.

VERBUM DIVINUM.

VISIO MYSTICA IN UNIVERSALI.

VISIONES IMAGINARIÆ.

VISIONES INTELLECTUALES, QUÆ DICUNTUR INTELLIGENTIÆ.

VISIONES EXTERIORES, SIVE APPARITIONES.

VITA.

UNIO ANIMÆ CUM DEO.

ERRATA.			CORRIGE.
Pag. 18	lin. 16	Non minor	Non miror
24	lin. 8	experimentalis se noscens	experimentalis noscens
24	lin. 33	desidererentur	desiderentur
24	lin. 42	oculis	oculus
28	lin. 13	concurrit	concurrunt
30	lin. 9	firmo, tandem	firmum tandem
30	lin. 10	intuitu	intuitum
39	lin. 35	anxietatem	anxietate
40	lin. 12	in Deo amoris, & cognitionis, ut	in Deum amoris, & cognitionis gressu, ut
51	lin. 38	ut dubium	ut unum dubium
54	lin. 34	infidelium	in fidelium
60	lin. 21	qui suus	quæ suus
61	lin. 44	sunt, quos	sunt effectus, quos
70	lin. 32	habet	habuit
80	lin. 6	lib. 1.	lib. 4.
83	lin. 15	infundit	infudit
83	lin. 36	Lib. I, Animadvers.	Lib. IV, Animadvers.
86	lin. 4	*moreris?*	*merereris?*
96	lin. 11	extatica	ecstatica
99	lin. 39	res urget	resurget
106	lin. 5	, non pertingunt	pertingunt
111	lin. 25	ea	eam
111	lin. 37	innuimus	inivimus
132	lin. 45	quia	qua
133	lin. 7	ad perfectionem	ad perfectiorem
138	lin. 1	a terrenis	& a terrenis
138	lin. 6	sufficiunt	sufficit
154	lin. 33	incredibile	increabile
155	lin. 26	ammirabilis	ammirabili
156	lin. 20	substantiam esse personale	subsistentiam Esse Personale
158	lin. 25	celectem	cœlestem
162	lin. 16	quodem	quodam
165	lin. 29	Mariæ Pater	Mariæ. Pater
170	lin. 1	exopto, a Directoribus, ut videant quid Animabus, in divina bonitatis	exopto a Directoribus, ut videant quid Animabus, divina donatis
170	lin. 26	te ipsum	se ipsum
170	lin. 27	te ipsum	se ipsum
184	lin. 6	vocationem; ipsam, impellente	vocationem, ipsam impellente

ERRATA,	*CORRIGE.*
Pag. 187, *lin.* 30, eadem	easdem
188, *lin.* 40, in specie	in specu
192, *lin.* 42, Dixit tunc illi Deus	Dixi tunc: Mi Deus
194, *lin.* 8, fortitudinem, & Deo: si	fortitudinem; & Deo, si
194, *lin.* 24, præclara, & pulchra (2)	præclaras, & pulchras, (2)
205, *lin.* 2, Majestati	Majestatis
210, *lin.* 25, *Quid tibi*	*Quid ibi*
212, *lin.* 28, *Amicam comiter appellavit*	*Amicam*, comiter appellavit
215, *lin.* 35, in primo libro hujus secundæ partis dictum	in Libro quarto dictum
216, *lin.* 26, libro secundo hujus partis fusè	libro quinto fusè
217, *lin.* 42, suscipe	suscipio
218, *lin.* 1, opponi ut	opponi, ut
222, *lin.* 19, damnosè	damnare
228, *lin.* 1, Deus (1).	Deus (1)?
229, *lin.* 35, ad tertiam	ad secundam
230, *lin.* 7, *malitiæ peccatis*	*malitiæ peccati*
231, *lin.* 2, libro primo	libro quinto
231, *lin.* 33, spirito	spiritu
235, *lin.* 36, Eodem methodo	Eadem methodo
238, *lin.* 29, quasve Dei	quasve in Dei
241, *lin.* 1, majoris	majores
242, *lin.* 44, pius approximant	plus approximant
246, *lin.* 21, & tamen a scripto	& a scripto
246, *lin.* 22, erroris, (quæ	erroris, seu (quæ
248, *lin.* 13, sunt, nisi ipsimet Deus, sunt	sunt nisi ipsemet Deus; sunt
249, *lin.* 43, induxisse	indulxisse
258, *lin.* 27, *innescibilitas*	*innascibilitas*
263, *lin.* 19, *non*	*nomen*
270, *lin.* 3, *a se ipso*	*a te ipso*
270, *lin.* 7, *ac actualis*	*actualis*
270, *lin.* 11, se ipsum omnia	se ipsum, & omnia
273, *lin.* 25, *& a qua*	*& ad quam*
273, *lin.* 35, nec Vitam?	nec Vita?
278, *lin.* 37, quærenda	quærendas
279, *lin.* 9, prætereà	prætereo
280, *lin.* 8, spernat	spernit

Pag

ERRATA,		CORRIGE.
Pag. 280, *lin.* 9,	videatur	videtur
283, *lin.* 46,	de beneplacito	Dei beneplacito
285, *lin.* 15,	Dei Animæ magis ac magis Dei Potentias	Dei, Animæ magis ac magis Potentias
285, *lin.* 18,	gratiam	gratia
285, *lin.* 24,	*eſt*	*eſt*
286, *lin.* 6,	poteſt correſpondere	poteſt, correſpondere
286, *lin.* 36,	*Spiritus*	*Spiritui*
287, *lin.* 26,	gnuinus	genuinus
289, *lin.* 2,	poſſit	poſſint
291, *lin.* 18,	*in lumen*	*in lumine*
294, *lin.* 27,	Libro Secundo	Libro Quinto
296, *lin.* 22,	ſtudeat. Anima	ſtudeat Anima
298, *lin.* 16,	*vir Animæ*	*vis Animæ*
298, *lin.* 38,	ſuſpenſa, ſeipſam	ſuſpenſa. Seipſam
298, *lin.* 40,	lib. 2.	lib. 5.
298, *lin.* 44,	e feminili	& feminili
300, *lin.* 22,	libri ſecundi	lib. 5.
303, *lin.* 21,	*poſtportat*	*poſtponat*
305, *lin.* 39,	ſuadet aſcendat	ſuadet ut aſcendat
310, *lin.* 45,	*itaut*	*ita ut*
314, *lin.* 23,	docens de Fide	docens, de Fide
315, *lin.* 26,	*tangunt, infima*	*tangunt infima*
316, *lin.* 18,	allati humili	allati, humilis
316, *lin.* 33,	petit gratiores	petit, gratiores
317, *lin.* 13,	cæteras, quæ in his ſecundæ Partis Libris	cætera, quæ in tribus poſterioribus Libris

PECCATUM.

PERSONÆ DIVINÆ.

POSSE, & NON POSSE.

PRÆSENTIA DEI.

PRIORITAS ORIGINIS.

PULCHRITUDO.

QUIES, & ORATIO QUIETIS.

RAPTUS, ECSTASIS.

RECOLLECTIO ANIMÆ IN SEIPSAM.

RESIGNATIO VOLUNTATIS.

SAPIENTIA.

SCRIPTURÆ.

Scri-

SECURITAS.

SPIRATIO.

TRINITAS.

VERBUM DIVINUM.

VISIO MYSTICA IN UNIVERSALI.

VISIONES IMAGINARIÆ.

Dan-

VISIONES INTELLECTUALES, QUÆ DICUNTUR INTELLIGENTIÆ.

VISIONES EXTERIORES, SIVE APPARITIONES.

VITA.

UNIO ANIMÆ CUM DEO.

FR.

ERRATA.	CORRIGE.
Pag. 18, lin. 16, Non minor	Non miror
24, lin. 8, experimentalis ſe noſcens	experimentalis noſcens
24, lin. 33, deſidererentur	deſiderentur
24, lin. 42, oculis	oculus
28, lin. 13, concurrit	concurrunt
30, lin. 9, firmo, tandem	firmum tandem
30, lin. 10, intuitu	intuitum
39, lin. 35, anxietatem	anxietate
40, lin. 12, in Deo amoris, & cognitionis, ut	in Deum amoris, & cognitionis greſſu, ut
51, lin. 38, ut dubium	ut unum dubium
54, lin. 34, infidelium	in fidelium
60, lin. 21, qui ſuus	quæ ſuus
61, lin. 44, ſunt, quos	ſunt effectus, quos
70, lin. 32, habet	habuit
80, lin. 6, lib. 1.	lib. 4.
83, lin. 15, infundit	infudit
83, lin. 36, Lib. I, Animadvers.	Lib. IV, Animadvers.
86, lin. 4, *moreris?*	*morereris?*
96, lin. 11, extatica	ecſtatica
99, lin. 39, res urget	reſurget
106, lin. 5, , non pertingunt	pertingunt
111, lin. 25, ea	eam
111, lin. 37, innuimus	inivimus
132, lin. 45, quia	qua
133, lin. 7, ad perfectionem	ad perfectiorem
138, lin. 1, a terrenis	& a terrenis
138, lin. 6, ſufficiunt	ſufficit
154, lin. 33, incredibile	increabile
155, lin. 26, ammirabilis	ammirabili
156, lin. 20, ſubſtantiam eſſe perſonale	ſubſiſtentiam Eſſe Perſonale
158, lin. 25, celeſtem	cœleſtem
162, lin. 16, quodem	quodam
165, lin. 29, Mariæ Pater	Mariæ. Pater
170, lin. 1, exopto, a Directoribus, ut videant quid Animabus, in divina bonitatis	exopto a Directoribus, ut videant quid Animabus, divina donatis
170, lin. 26, te ipſum	ſe ipſum
170, lin. 27, te ipſum	ſe ipſum
184, lin. 6, vocationem; ipſam, impellente	vocationem, ipſam impellente

ERRATA,			*CORRIGE.*
Pag. 187,	*lin.* 30,	eadem	easdem
188,	*lin.* 40,	in ſpecie	in ſpecu
192,	*lin.* 42,	Dixit tunc illi Deus	Dixi tunc: Mi Deus
194,	*lin.* 8,	fortitudinem, & Deo: ſi	fortitudinem; & Deo, ſi
194,	*lin.* 24,	præclara, & pulchra (2)	præclaras, & pulchras, (2)
205,	*lin.* 2,	Majeſtati	Majeſtatis
210,	*lin.* 25,	*Quid tibi*	*Quid ibi*
212,	*lin.* 28,	*Amicam comiter appellavit*	*Amicam*, comiter appellavit
215,	*lin.* 35,	in primo libro hujus ſecundæ partis dictum	in Libro quarto dictum
216,	*lin.* 26,	libro ſecundo hujus partis fusè	libro quinto fusè
217,	*lin.* 42,	ſuſcipe	ſuſcipio
218,	*lin.* 1,	opponi ut	opponi, ut
222,	*lin.* 19,	damnosè	damnare
228,	*lin.* 1,	Deus (1).	Deus (1)?
229,	*lin.* 35,	ad tertiam	ad ſecundam
230,	*lin.* 7,	*malitiæ peccatis*	*malitiæ peccati*
231,	*lin.* 2,	libro primo	libro quinto
231,	*lin.* 33,	ſpirito	ſpiritu
235,	*lin.* 36,	Eodem methodo	Eadem methodo
238,	*lin.* 29,	quasve Dei	quasve in Dei
241,	*lin.* 1,	majoris	majores
242,	*lin.* 44,	pius approximant	plus approximant
246,	*lin.* 21,	& tamen a ſcripto	& a ſcripto
246,	*lin.* 22,	erroris, (quæ	erroris, ſeu (quæ
248,	*lin.* 13,	ſunt, niſi ipſimet Deus, ſunt	ſunt niſi ipſemet Deus; ſunt
249,	*lin.* 43,	induxiſſe	indulxiſſe
258,	*lin.* 27,	*inneſcibilitas*	*innaſcibilitas*
263,	*lin.* 19,	*non*	*nomen*
270,	*lin.* 3,	*a ſe ipſo*	*a te ipſo*
270,	*lin.* 7,	*ac actualis*	*actualis*
270,	*lin.* 11,	ſe ipſum omnia	ſe ipſum, & omnia
273,	*lin.* 25,	*& a qua*	*& ad quam*
273,	*lin.* 35,	nec Vitam?	nec Vita?
278,	*lin.* 37,	quærenda	quærendas
279,	*lin.* 9,	prætereà	prætereo
280,	*lin.* 8,	ſpernat	ſpernit

Pag

ERRATA,		CORRIGE.
Pag. 280, lin. 9,	videatur	videtur
283, lin. 46,	de beneplacito	Dei beneplacito
285, lin. 15,	Dei Animæ magis ac magis Dei Potentias	Dei, Animæ magis ac magis Potentias
285, lin. 18,	gratiam	gratia
285, lin. 24,	*ect*	*est*
286, lin. 6,	poteſt correſpondere	poteſt, correſpondere
286, lin. 36,	*Spiritus*	*Spiritui*
287, lin. 26,	gnuinus	genuinus
289, lin. 2,	poſſit	poſſint
291, lin. 18,	*in lumen*	*in lumine*
294, lin. 27,	Libro Secundo	Libro Quinto
296, lin. 22,	ſtudeat. Anima	ſtudeat Anima
298, lin. 16,	*vir Animæ*	*vis Animæ*
298, lin. 38,	ſuſpenſa, ſeipſam	ſuſpenſa. Seipſam
298, lin. 40,	lib. 2.	lib. 5.
298, lin. 44,	e feminili	& feminili
300, lin. 22,	libri ſecundi	lib. 5.
303, lin. 21,	*poſtportat*	*poſtponat*
305, lin. 39,	ſuadet aſcendat	ſuadet ut aſcendat
310, lin. 45,	*itaut*	*ita ut*
314, lin. 23,	docens de Fide	docens, de Fide
315, lin. 26,	*tangunt, infima*	*tangunt infima*
316, lin. 18,	allati humili	allati, humilis
316, lin. 33,	petit gratiores	petit, gratiores
317, lin. 13,	cæteras, quæ in his ſecundæ Partis Libris	cætera, quæ in tribus poſterioribus Libris